CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIUS

IN

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

IV

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

QUATUOR S. EVANGELIA

DOMINI N. IESU CHRISTI

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

IV

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM

Cum approbatione Superiorum

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1898

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est « *Commentarius in Evangelium secundum Ioannem* » auctore P. Iosepho KNABENBAUER, nostrae Societatis Sacerdote, compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas nostrique officii sigillo munitas dedimus.

Fesulis die 24 Augusti anno 1897.

LUDOV. MARTIN S.I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28 Augusti 1897.

†FRANCISCUS, CARDINALIS RICHARD

Archiepiscopus Parisiensis.

PROLEGOMENA.

I. — De sancto Ioanne.

Ioannes fuit filius Zebedaei, piscatoris ad lacum Genesareth et Salomes. Parentes eius pauperes non erant; nam pater habuit mercenarios et mater enumeratur inter mulieres quae Dominum a Galilaea secutae facultatibus suis ministrarant (cf. Matth. 27,56. Marc. 1,20; 3,17; 15,40). Discipulus erat Ioannis baptistae et cum audisset eum dicentem de Iesu : ecce agnus Dei, cum Andrea Dominum secutus est et cum eo mox in Cana, dein in urbem se contulit (Ioan. 1,36 seq.). Simul cum fratre suo Iacobo ad continuam Iesu sequelam invitatus est (Matth. 4,21. Marc. 1,20. Luc. 5,10). Postmodum ipse et frater eius electi sunt apostoli (Matth. 10,3. Marc. 3,17. Luc. 6,14); iis a Iesu nomen impositum est Boanerges, filii tonitrui (Marc. 3,17). Indolem vehementiorem ac fervidam prodiderunt, cum contra Samaritanos qui Dominum hospitio recipere nolebant, ignem de coelo mitti volebant (Luc. 9,54; cf. Marc. 9,37). Ioannes erat inter tres illos discipulos quibus Iesus maxime familiariter utebatur, quos fecit testes resuscitationis filiae Iairi, transfigurationis, agoniae in horto (Marc, 5,37; 9,1; 14,33); ipse vero inter hos ille erat quem diligebat Iesus, qui in coena ultima recubuit in sinu Domini (ἐν τῷ κόλπῳ ἀνακείμενος, ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος Ioan. 13,23. 25; 21,20 — quare vocatur a Patribus ὁ ἐπιστήθιος; cf. Suiceri Thes. p. 1188) et cui Iesus moriens matrem suam commendavit (Ioan. 19,26). Ipse et Petrus mittuntur ad parandam coenam paschalem; ei innuit Petrus ut Dominum interroget de proditore; Ioannes notus pontifici Petrum introducit in atrium Annae pontificis, uterque ad sepulcrum currit, Ioannes Dominum agnoscens Petro dicit, Petrus de eo Dominum interrogat (Luc. 22,8. Ioan. 13,24; 18,15; 20,4 seq. 21,7. 20) atque haec duorum discipulorum societas ac consuetudo etiam cernitur in Act. 3,1 seq. 4,13. 19; 8,14; etiam in concilio (quod dicitur) apostolorum cum Petro et Iacobo (fratre Domini) inter δοκοῦντας et columnas recensetur (Gal. 2,9). Postea propter verbum Dei et testimonium Iesu Christi in insu-

lam, cui Patmos erat nomen, relegatus vidit ea quae in Apoc. describit (Apoc. 1,9). Et haec quidem ex s. litteris colliguntur.

Quando Palaestinam reliquerit incertum est. Apocalypsin ab eo esse visam tempore Domitiani Imperatoris testimoniis veterum certum est. Iam *Irenaeus* scribit : « neque enim ante multum tempus visa est (apocalypsis), sed pene ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς ad finem Domitiani imperii » (c. haer. 5,30; *M.* 7,1207). Similiter *Victorinus* Petav. affirmat Ioannem in insula Patmos a Domitiano Caesare fuisse in metallo damnatum ibique vidisse apocalypsin (*M.* 5,333. 338). Pariter narrat *Clemens alex.* Ioannem post tyranni obitum e Patmo insula Ephesum rediisse (quis dives 42; *M.* 9,648) et *Origenes* quoque scribit : Romanorum imperator, ὡς ἡ παράδοσις διδάσκει, Ioannem... in Patmum insulam relegavit (in Matth. t. 16,6; *M.* 13,1385). Hunc autem imperatorem Domitianum fuisse *Eusebius* quoque refert (h. eccl. 3, 18; *M.* 20,252), item *Hieronymus* (c. Iovin. 1,26; de vir. ill. 9; in Eus. Chron. an. 14; *M.* 23,247. 625; 27,602). Epiphanius quidem Claudium Caesarem nominat; sed erronee, ipsa eius verba satis clamant : « Spiritus s. Ioannem ad scribendum evangelium impulit provecta iam aetate, quippe qui nonagesimum vitae suae annum iam excederet, post eius reditum ex Patmo sub Claudio Caesare » (haer. 51, 12. 33; *M.* 41,909. 949); innuit evangelium mox post reditum ex Patmo scriptum et tum Ioannem iam excessisse annum 90; ergo Claudius (an. 41-54) nequit intelligi. Si alii Neronem dicunt, advertendum est Domitianum etiam a profanis scriptoribus quandoque Neronem appellari (cf. Iuvenal. 4,37; Ausonius *M.* 19,865). Et Tertullianus quidem refert, Ioannem in insulam relegatum esse, postquam Romae in oleum igneum demersus nihil passus est (de praescr. 36; *M.* 2,49); idem ex Tertulliano narrat Hieronymus (c. Iovin. 1,26); acta apocrypha id Ephesi contigisse perhibent. Fuerunt qui id excogitatum esse assererent[1] propter Domini verba : calicem meum quidem bibetis (Matth. 20,23); verum cui in mentem veniret calicem passionis Domini illustrare velle dolio ferventis olei?

Apostolum ultimos vitae annos Ephesi degisse gravissimis testimoniis traditur. Nam repetito id *Irenaeus* commemorat : omnes, inquit, presbyteri testantur qui in Asia cum Ioanne Domini discipulo convixerunt, haec Ioannem tradidisse; mansit enim cum illis usque ad Traiani tempora; et : Ioannes discipulus Domini qui et supra pectus eius recumbebat, edidit evangelium Ephesi Asiae commorans etc. (cf. c. haer. 2,22; 3,1. 3; *M.* 7,785. 845. 853). Et *Polycrates*, episcopus

1. Vide : Die apocryphen Apostelgeschichten, R. A. *Lipsius*; 2. Band 2. Hälfte, 1884.

ephesinus, Ioannem recenset inter μεγάλα στοιχεῖα Asiae; « pontifex Domini fuit, auream laminam in fronte portavit, martyr et doctor fuit, qui Ephesi sepultus est » (apud Euseb. h. e. 3,31; 5,24; *M.* 20, 280. 493); immo gravissimum nobis servatum est ipsius *Polycarpi* testimonium de commoratione ephesina Ioannis; nam Irenaeus narrat : sunt qui audierunt Polycarpum dicentem, quoniam Ioannes Domini discipulus in Epheso iens lavari, cum vidisset intus Cerinthum exsilierit de balneo non lotus (adv. haer. 3,3. 4; *M.* 7,853; Euseb. h. e. 3,28; *M.* 20,276). Eius commorationis testis est *Apollonius* quoque eiusdem cum Polycrate aetatis, qui ab Ioanne mortuum Ephesi suscitatum esse narrat (apud Euseb. h. e. 5,18; *M.* 20,480). Eandem commorationem testantur *Clemens* alex. in narratione de iuvene converso (quis dives, 42), *Origenes, Eusebius* (h. e. 3,1).

Contra quae testimonia[1] aliqui excipiunt Ioannem apostolum nunquam fuisse in Asia et eos omnes qui de Ioanne apostolo loquuntur errasse et alterum Ioannem presbyterum ab iis habitum et nominatum esse Ioannem apostolum (ita *Holtzmann* in Schenkel, Bibellex. III p. 352 seq. Einleitung in d N T 3 ed. p. 472; similiter Scholten, Keim). Verum haec plane incredibilia sunt. Igitur Ioannes apostolus nunquam fuit in Asia et nihilominus Irenaeus toties id asserit! Dicunt Irenaeum grandaevum istum commisisse errorem. Sed qui hoc fieri potuerit, nemo explicabit. Nam Irenaeus iuvenis vivebat Smyrnae cum Polycarpo; ex eius ore audivit quae Ioannes docuit; haec se viva retinere memoria scribit ad Florinum : « vidi te cum adhuc puer essem in inferiore Asia apud Polycarpum, cum in imperatoria aula splendide ageres et illi te probare conareris. Nam ea quae tunc gesta sunt melius memoria teneo quam quae nuper acciderunt, adeo ut locum dicere possim in quo sedens beatus Polycarpus disserebat, processus quoque eius et ingressus vitaeque modum et corporis speciem, sermones denique quos ad multitudinem habebat et familiarem consuetudinem quae illi cum Ioanne et reliquis qui Dominum viderant intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat, quaeque de Domino ex ipsis audierat, de miraculis illius etiam ac de doctrina quae ab iis qui Verbum vitae ipsi conspexerant acceperat Polycarpus, qualiter referebat, cuncta Scripturis consona » (*M.* 7, 1227). Idem Irenaeus scribit : « Polycarpus ab apostolis edoctus et

1. Haud immerito dicit *Weizsaecker* argumentum primum et per se sufficiens esse ipsam Apocalypsin; nam si sit a Ioanne apostolo, eo ipso eius commorationem ephesinam esse probatam; si sit composita ab alio sub nomine Ioannis, idem demonstrari; neminem enim eiusmodi rationem scribendi audere potuisse, si Ioannes non fuisset Ephesi (Apostol. Zeitalter, 1892, p. 480). Bene quoque dicit alia quoque pro commoratione illa praesto esse argumenta (Irenaei etc.) quae neutiquam destruantur vel convellantur.

conversatus cum multis qui Dominum nostrum viderunt, quem et nos vidimus in prima nostra aetate » (c. haer. 3,3. 4; *M.* 7,851). Iam idem Irenaeus, ut Holtzmann fatetur, unum tantum Ioannem agnoscit qui Ephesi docuerit, apocalypsin et evangelium scripserit et manserit usque ad Traiani tempora; et hunc unum Ioannem de quo aliquid scit, vocat discipulum Domini qui supra pectus Domini recumbebat (c. haer. 3,1; *M.* 7, 845) et de eo iterum scribit ad Victorem papam : « Polycarpus cum Ioanne discipulo Domini et cum reliquis apostolis quibuscum familiariter vixerat, eum morem perpetuo observavit » (*M.* 7, 1231). Polycarpus martyrio coronatus est an. 166, postquam per annos 86 Domino servivit (martyr. Pol. cap. 9); unde natus erat c. annum 80; Irenaeus eum audiit puer; proin c. an. 150-160. Iam si Ioannes apostolus nunquam fuit in Asia plane explicari nequit, quomodo Irenaeus qui nullum alium Ioannem novit haec omnia asserere potuerit, vel quomodo aliquem nomine eodem putare potuerit Ioannem apostolum, si is iamdudum a Iudaeis in Palaestina occisus nunquam pedem in Asiam intulisset. Plane igitur gratuito ac frivole asseritur : quae puer audivit de Ioanne presbytero ipse postmodum de Ioanne apostolo asseruit et in eum transtulit.

Porro bene notandum est, eam exceptionem iam propterea esse reiiciendam, quia de *tali* Ioanne presbytero mirum est silentium, qui tamen, si exstitit, vir debuit esse celeberrimus. Dionysius alex. apocalypsin non esse scriptam a Ioanne apostolo putavit; cum tamen ab ea nomen Ioannis praeferatur, quaerit Dionysius, quinam alter Ioannes eam scripserit; Ioannem Marcum non potest habere auctorem; illum enim in Asiam venisse non est scriptum; unde concludit : ἄλλον δέ τινα οἶμαι τῶν ἐν Ἀσίᾳ γενομένων; nam duo dicunt Ephesi esse monumenta καὶ ἑκάτερον Ἰωάννου λέγεσθαι (apud Euseb. h. e. 7,25; *M.* 20,696 seq.). Ex quo loco evidens est Dionysium Ioannem presbyterum alium non cognovisse nisi Ioannem apostolum; nam epistolas illas duas quas ὁ πρεσβύτερος scripsit Ioanni apostolo attribuit (Euseb. h. e. 7,25; *M.* 20, 700); si itaque alium cognovisset Ioannem presbyterum, virum celebrem, habuisset cui apocalypsin attribueret. De tali presbytero Ioanne nihil novit Polycrates, qui erat octavus episcopus ephesinus; ille quoque solum novit Ioannem ὁ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Κυρίου ἀναπεσών et dum enumerat μεγάλα στοιχεῖα ecclesiae Asiae minoris nullatenus meminit alterius Ioannis presbyteri, quem tamen si cognovisset non potuit silentio premere, quia alii multo minus noti, uti Thraseas, Sagaris, Papirius ab eo nominantur. Unum solum Ioannem eumque apostolum in Asia norunt, uti supra locis allatis ostensum est, Irenaeus, Clemens alex. Origenes, Tertullianus.

Illum Ioannem presbyterum, distinctum ab apostolo Ioanne Eusebius invenire voluit in prooemio librorum Papiae. Alterum hunc autem invenire ei gratum erat, quia dubitans de apostolo Ioanne tamquam auctore apocalypseos altero indigebat Ioanne; quare postquam duos se reperisse nomine Ioannis putavit, scribit : « atque hoc animadvertere in primis necessarium puto; verisimile est enim revelationem illam Ioannis nomine inscriptam, si non a priore illo, certe ab hoc posteriore visam fuisse » (h. e. 3,39; *M.* 20,298). Cum itaque eius interfuerit alterum habere Ioannem, diligenter est inquirendum, num eius interpretatio prooemii Papiae vera sit, idque eo magis quia ante Eusebium de duobus nomine Ioannis viris nemo quidquam novit, quia post eum nihilominus Papias tamquam auditor Ioannis apostoli habetur, ita ab Apollinari laodiceno, ab Anastasio sinaita, a Maximo confessore qui opus Papiae novit et ipsum nominat συναχμάσαντα τῷ θείῳ εὐαγγελίστῃ Ἰωάννῃ (cf. Contempl. in Hexaem. *M.* 89,860; In Schol. ad Dionys. areop. Hier. c. 7; *Poggel,* der 2. und 3. Brief des Ap. Ioan. p. 18) et quia alias ipse Eusebius Papiam discipulum et auditorem Ioannis apostoli dicit; ita in Chronic. : μεθ' ὃν (i. e. Ioan. apost.) Παπίας Ἱεραπολίτης καὶ Πολύκαρπος... ἀκουσταὶ αὐτοῦ ἐγνωρίζοντο (ed. Schoene II p. 162) et secundam et tertiam epistolam Ioannis apostolo Ioanni adscribit, quamvis ὁ πρεσβύτερος eas scripserit (cf. Dem. ev. 3,5; *M.* 22,216; *Poggel* l. c. p. 13. 18).

Ex quibus iam satis elucet Eusebium sibi non constare et habuisse insuper peculiarem rationem, cur sibi gratum fuerit alterum Ioannem invenire. Quare illud prooemium Papiae accurate inspicere opus est : « non pigebit ea quae quondam a senioribus didici (παρὰ τῶν πρεσβυτέρων) et memoriae mandavi interpretationibus inserere... si quis advenit interdum qui cum senioribus (τοῖς πρεσβ.) versatus erat, τοὺς τῶν πρεσβυτέρων ἀνέκρινον λόγους (dicta seniorum exquirebam), quid Andreas vel quid Petrus dixisset vel quid Philippus, vel quid Thomas aut Iacobus, vel quid Ioannes aut Matthaeus aut aliquis alius ex discipulis Domini, ἅ τε Ἀριστίων καὶ ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης, οἱ τοῦ Κυρίου μαθηταὶ, λέγουσιν et quae Aristion et presbyter Ioannes, discipuli Domini dicerent » (Euseb. h. e. 3,39; *M.* 20,297). Tria itaque asserit Papias : se quondam ποτὲ a senioribus didicisse; dein se ab iis qui cum senioribus versati erant, exquisivisse dicta seniorum i. e. quid Andreas etc. dixisset etc. et tertio se exquisivisse quae Aristion et presbyter Ioannes dicerent. Papias igitur asserit *dicta seniorum* se accepisse i. e. dicta apostolorum ac discipulorum Domini ab iis qui cum ipsis versati erant, nam plana et obvia sententiae constructio est, ut τοὺς τ. πρ. λόγους ἀνέκρινον explicetur sequentibus : τί Ἀνδρέας etc. εἶπεν; quare πρεσβύτεροι dicuntur apostoli et di-

scipuli Domini[1]. Quod sequitur ἅ τε λέγουσιν, eodem modo sicut τί εἶπεν, dependet a verbo ἀνέκρινον; pronomen relativum poni etiam in interrogatione indirecta notum est (cf. *Winer* 25,1. *Blass*, Grammatik d. nt. Gr. p. 171 n. 5); quare simplicissima constructio est, ut ἅ τε λέγουσιν et quae dicerent, ita ad antecedentia τί εἶπεν adiungatur; solent enim in interrogationibus indirectis pronomina interrogativa et relativa inter se iungi (cf. 1 Tim. 1,7). Dicit autem Papias λέγουσιν, quia eo tempore quo olim ποτέ exquirebat dicta seniorum hi duo erant superstites. In priore sententia τί εἶπεν exquirebat quid isti seniores tempore transacto dixissent; in hac sententia asserit se olim etiam inquisivisse quid hi duo dicerent, cum eorum superstitum socios rogaret.

Iam quis est ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης? in priore membro intelligi apostolum Ioannem extra controversiam est. In hoc membro Aristion et Ioannes dicuntur discipuli Domini i. e. tales qui ipsum Dominum viderint, Ioannes praeterea dicitur ὁ πρεσβύτερος, i. e. declaratur esse eundem Ioannem qui iam in priore membro inter τοὺς πρεσβυτέρους enumeratus est. Debuit hic titulus *addi;* nam sine eo potuit ac debuit intelligi alter Ioannes, qui sicut Aristion fuisset quidem discipulus Domini at non idem ille Ioannes cum senioribus iam nominatus. Aristion est discipulus, Ioannes presbyter et discipulus. Hoc est bene attendendum; iam qui sint presbyteri *et* discipuli, ex hoc prooemio manifestum est, sunt apostoli. Ergo Ioannes presbyter *et* discipulus non est alius nisi Ioannes apostolus[2]. Atque idem ex toto eruitur contextu. Papias exquirebat ab iis qui cum presbyteris versati erant dicta horum presbyterorum; quos autem presbyteros vocet, declaratur sententia τί εἶπεν;

1. Quam acceptionem plane obviam *Harnack* solum ideo non admittit, quia sequitur ὁ πρεσβύτερος Ἰωάννης — ergo iam supponit quod est in quaestione τὸν πρεσβύτερον non posse esse Ioannem apostolum (Chronol. p. 660).

Apostolos autem dici a Papia πρεσβυτέρους omnino perspexit Eusebius scribens : καὶ ὁ νῦν δὲ ἡμῖν δηλούμενος Παπίας τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρηκολουθηκότων ὁμολογεῖ παρειληφέναι, Ἀριστίωνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτήκοον ἑαυτόν φησι γενέσθαι. Ita verba Papiae interpretatur (h. e. 3, 39; *M*. 20, 297).

2. Quare nequit consistere quod *Harnack* contra obviam hanc explicationem statuit, ipso hoc titulo clare ostendi Ioannem hunc ab apostolo distingui (l. c. 661). Antea quidem dixerat (l. c. p. 338) Papiam *videri* distinguere alterum Ioannem; postea tamen id tamquam rem certam et indubitatam affirmat (657.662.664 etc.). Mirum est quod p. 669 profert : testimonium ecclesiae asianae versus finem saeculi secundi esse clarum et certum de Ioanne apostolo; sed quia sileatur de Ioanne presbytero nobis non praeberi certitudinem. Et p. 674 merito dicit, non posse assumi exstitisse in Asia duos Domini discipulos nomine Ioannis qui usque ad Traiani tempora vixerint; sed quid inde concludit? ergo non Ioannes apostolus, sed ille alter Ioannes presbyter in Asia fuit — aliis igitur verbis affirmat : ille de quo testimonia clara et certa adsunt, non erat in Asia; sed erat ille, de quo veteres illi plane nihil sciunt et quem solus Eusebius ex loco Papiae male intellecto sibi videbatur invenisse! Nam Dionysii alexandrini testimonium revera omni vi testimonii destitui, Harnack ipse fatetur. Quid ergo restat testimonii pro illo altero Ioanne?

huic adiungitur ἅτε λέγουσιν; sed quomodo posset intelligi, Papiam etiam ab iis qui cum presbyteris versati erant exquisivisse quid duo alii quidam fideles, et Ioannes senex et Aristion vir fidelis dicerent. Rectissime itaque Irenaeus scribit Παπίας Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἑταῖρος et ipse Papias affirmat se didicisse παρὰ (immediate) τῶν πρεσβυτέρων i. e. ab apostolis et discipulis Domini; et recte ipse Eusebius alias et Hieronymus aliique Papiam auditorem Ioannis apostoli dicunt. Et alius quidam Ioannes presbyter, quem nemo novit ante Eusebium, nemo fere post eum Hieronymo excepto (qui tamen eodem modo quo Eusebius minime sibi constat) nunquam exstitit. De hac quaestione vide *Cornely,* Introd. III 2. ed. p. 210 seq. *Poggel* l. c. p. 7-51; *Fillion,* Évangile selon S. Jean p. x seq.; *Keil,* Commentar p. 5 seq., *B. Weiss* Ioannes-Evangelium, 8 ed. p. 3 seq.

Constat igitur Ioannem apostolum ultimo vitae suae tempore in Asia, Ephesi, degisse. Quando autem ibi ecclesias regere inceperit nequit dici. Cum eius in epistolis ad Ephesios, in prima ad Timotheum nulla occurrat mentio, e contra aperte ex eis eluceat, nullum ex apostolis ibi versari, hoc unum certum est, eum postea advenisse. De eius senectute narrant Clemens alex. (quis dives 42), Hieronymus (ad Gal. 6,10), Cassianus (coll. 24,21); vide *Cornely* l. c. p. 215; *Schanz,* Commentar p. 5. In eo praeprimis laudatur virginitas (cf. Hieronymus ad Princip. ep. 127,5; c. Iovin. 1,26; in Is. 56,5; *M.* 22,1090; 23,246; 25,541); ceterum vide ad 19,27; 21,7.23.

II. — Ioannem scripsisse evangelium.

Ioannem apostolum evangelium scripsisse, in ipso libro clarissime asseritur. Legimus enim 21,24 hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec[1]. Iam « ille discipulus » est is quem

1. Contra testimonium hoc ita arguit Harnack : ex 21, 23 patet Ioannem iam mortuum esse; certum quoque est eum qui scripsit 21,1-23 etiam scripsisse totum evangelium; iam evidens est Ioannem apostolum non scripsisse post suam mortem, ergo v. 24 : hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec — aperte prodit falsitatem, et ipse hic versus testimonio fit evangelium non esse ab apostolo Ioanne conscriptum (Chronologie I, Leipzig 1897, p. 676). Sed ex v. 23 nullo modo sequitur eo loco Ioannem iam supponi mortuum : exiit sermo iste inter fratres quod discipulus ille non moritur. Hic sermo sane exiit ante eius mortem et multum etiam intererat, ut ante eius mortem sermo Christi a falsa interpretatione vindicaretur. Porro ipse Harnack ait eos qui adiecerint v. 24 non animadvertisse nec vidisse, in v. 23 Ioannis mortem innui. Profecto id non viderunt; neque enim adeo hebetes erant, ut mortuum dicerent evangelium scripsisse. Quid ergo concludi debebat? id quod in aperto est, in v. 23 non supponi mortem Ioannis iam evenisse. Illud autem « scimus quia verum est testimonium eius » iam declaratum est in fragmento muratoriano, apud Clementem alex. (vide postea) etc. Proinde nullo modo v. 24 stulte apponebatur (gedankenlos).

Iesus diligebat, qui et recubuit in coena super pectus eius 21,20 et qui eo nomine « quem diligebat Iesus » saepius in evangelio legitur (13,23; 19,26; 21,7) qui iuxta crucem stetit, cui Iesus moriens matrem commendavit et qui de rebus istis testimonium perhibet. Iam ex narratione synopticorum facile deprehenditur, quis ille fuerit. Tres enim discipuli nobis exhibentur reliquis familiariores apud Iesum : Petrus, Iacobus, Ioannes. Ille discipulus quem diligebat Iesus et qui in sinu eius recubuit iam hisce profecto ut unus ex familiarioribus designatur. Eum non esse Petrum luce clarius est quia haud semel a Petro distinguitur; ita 13,24; 20,2; 21,7.20. Eum non esse Iacobum filium Zebedaei pariter evidens est; hic enim anno 44 a Herode Agrippa occisus erat (Act. 12,1 seq.); nemini vero in mentem venire potest eo tempore iam evangelium hoc esse scriptum. Proinde discipulus ille est Ioannes apostolus, prout etiam maximo consensu tota antiquitas testatur et ex recentioribus quoque nemo fere in dubium vocare audet. Dicit enim ipse Holtzmann : si discipulus ille sicut Petrus considerandus erit vir in historia celeber, convenientissime quaeretur inter tres illos familiares Marc. 5,37; 9,2 (13,3) 14,33 quo in casu propter Act. 12,2 solus relinquitur Ioannes filius Zebedaei (Handcommentar, IV, p. 18).

Apostolo auctori plane congruit quod tamquam testis ocularis loquitur 1,14; 19,35; ita etiam explicatur prima epistola Ioannis, in qua sermo est de aliquo scripto quo id consignarit quod audierit, viderit, manibus suis contrectaverit de verbo vitae, quod tamen in ea epistola non exprimitur, habetur vero in evangelio. Apostolo porro plane congruit quod tot res gestas refert novas quae apud synopticos non tanguntur et quibus non raro narratio illorum explicatur et a periculo vindicatur, ne perperam intelligatur. Ita nova sunt, quae de legatione synedristarum ad Ioannem baptistam narrantur, quae Ioannes de Iesu ad discipulos dicit, item tota narratio de primis qui se Iesu adiunxerunt, de nuptiis in Cana, de primo Iesu adventu in urbem et templum, de Nicodemo, de baptismo per discipulos Iesu dato, de aemulatione discipulorum Ioannis, de Samaritana, de sanatione filii reguli; de variis quae in urbe fecit, docuit tempore festorum cap. 5.7-10, de sermone illo panis vitae in Capharnaum, de resuscitatione Lazari, de Graecis qui Iesum videre quaerebant, de lotione pedum, de sermonibus post coenam habitis (cap. 14-17). Item in enarratione passionis multa referuntur, quibus narratio aliorum suppletur; de iis vide in Comment. ante cap. 18; idemque valet de narratione resurrectionis. Accuratam prodit regionis morumque cognitionem; varia loca commemorat quorum nulla est apud synopticos mentio; ita legitur Bethania trans Iordanem, Cana Galilaeae, Aennon iuxta Salim, Sichar iuxta praedium

quod dedit Iacob Ioseph filio suo, fons Iacob, Tiberias, Bethania iuxta Ierusalem quasi stadiis quindecim, piscina Bethesda in Ierusalem, quinque porticus habens (ad portam ovariam), civitas Ephrem in regione iuxta desertum, torrens Cedron, Gabbatha.

Item narratio synopticorum ita respicitur, ut et explicetur et suppleatur. Monetur 3,24 Ioannem nondum fuisse missum in carcerem, ut scil. intelligatur quando reditus ille in Galilaeam ponendus sit, a quo synoptici narrationem vitae publicae incipiunt. Narratione quarti evangelii explicatur, cur Matth. 4,12 bene dicatur : ἀνεχώρησεν (sese recepit in locum tutiorem), item iure dici apud synopticos de urbe Ierusalem : quoties volui congregare filios tuos etc.; item ex quarto evangelio intelligitur vocatio illa discipulorum eorumque prompta obedientia (Matth. 4,18 seq.), nam praecesserant illa quae Ioan. 1,35-4,54 leguntur. Quae apud alios in universum dicuntur, accuratius determinantur; ita dicit Philippus 6,7, quae Marc. 6,37 generatim referuntur; Iudas Iscariotes 12,4 conqueritur de unguenti perditione et pretium eius assignat (qua occasione etiam discimus eum fuisse furem, loculos habuisse), dum alii rem generatim narrant (Matth. 26,8. Marc. 14,4). Ex Ioan. 11,1 discimus nomen castelli Marthae et Mariae, de quo Luc. 10,38 agitur. Porro quae leguntur Luc. 9,51 et 10,38 et 13,22 et 17,11 de tribus scil. in urbem itineribus, explicantur Ioan. 7,1 et 10,22 et 11,54. Pariter quaenam sit illa mulier, de qua Matth. 26,7 et Marc. 14,3 sermo fit, discimus Ioan. 12,3; sabbatum illud, de quo Marc. 15,42 accuratius determinatur Ioan. 19,14 et in sepultura Christi Nicodemum quoque operam contulisse ab Ioanne discimus. Item ex narratione demum Ioannis de resuscitatione Lazari et de admiratione populi explicatur, cur Iesus veniens ad urbem tanto plausu populi et festivis acclamationibus sit salutatus; item ex sermone Ioan. 6,35 seq. de manducatione carnis Iesu intelligitur, cur apostoli institutionem eucharistiae revera statim recte percipere potuerint. In narratione de flagellatione Ioannes solum aperit, cur a Pilato fuerit imposita et praesertim in passione Domini plura eiusmodi elucidantur quae apud alios obscura videntur v. g. quomodo Petrus admissus sit in atrium pontificis, cur Pilatus audiens a Iesu ipsum esse regem Iudaeorum statim declarare possit : nihil invenio causae in hoc homine (Luc. 23,3. 4; cf. Ioan. 18,36), cur milites acetum Iesu in cruce obtulerint (Ioan. 19,28) etc.

Iam ita narrationem aliorum, quae iam plena auctoritate a fidelibus erat recepta, et explicare et supplere ille utique potuit qui erat apostolus et testis ocularis; et quia hoc ab eo factum est, eius narratio summo consensu ab omnibus est suscepta; et suscepta eo quidem tem-

pore quo omnibus fatentibus narratio synopticorum iam diutius erat nota. Iam id ipsum quod evangelium adeo a synoptica narratione diversum (ratione habita temporis, regionis ubi Iesus docebat, sermonum, eventuum) tamen sine ulla controversia accipiebatur tamquam liber ab apostolo Ioanne conscriptus testimonio est de origine apostolica omnibus certissime constitisse. Haec una et firma persuasio efficere potuit, ut non obstante ea diversitate tamen praeter synopticos quartum evangelium communi consensu reciperetur.

Iste vero consensus tum sua antiquitate tum sua universalitate simul praebet argumentum firmissimum de origine apostolica evangelii. Nam iam ante finem saeculi secundi evangelium hoc in universo orbe catholico agnitum erat tamquam opus apostoli Ioannis; et bene notandum testimonia quae scripta sunt eo tempore circa annum 170 non solum declarare persuasionem eo anno vigentem, verum usum diuturnum et persuasionem a multis annis alte animis insitam. Insigne hac in re est testimonium Irenaei, discipuli Polycarpi, qui Polycarpus discipulus erat Ioannis apostoli : « postea et Ioannes discipulus Domini qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit evangelium Ephesi Asiae commorans » (c. haer. 3,1; *M.* 7,845). Eius autem persuasio firma eo magis valere debet, quia testis nobis est et evangelia nostra communi omnium sententia haberi genuina et sui temporis doctrinam referri ad auctoritatem apostolicam. Et de evangeliis quidem ita habet : « tanta est autem circa evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam firmare doctrinam » (l. c. 3,11. 5). Quanta autem constantia et firmitate singula doctrinae capita ad apostolicam traditionem et auctoritatem referri et ab ea derivari ei persuasum sit, integer liber eius c. haer. testis est (cf. 3,3. 3; 3,4. 2; 3,5,1. 4,33,8). Qui vero ita sentit neque ullam doctrinam amplectitur nisi eam ab apostolis traditam cognoverit, certe is non integrum librum tamquam ab apostolo scriptum adeoque summae auctoritatis documentum suscepisset, nisi certissime scivisset librum habere apostolum auctorem (vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 5 seq.). Irenaeus cum Polycarpo, discipulo et auditore Ioannis conversatus ab eodem de auctore evangelii est edoctus.

Uti in ecclesia Asiae, ita quoque in ecclesia alexandrina evangelium hoc antiquitus notum erat. Clemens enim alex. refert tamquam παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων : Ioannes omnium (evangelistarum) postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea quae ad corpus Christi pertinent tradita esse, divino Spiritu afflatus spirituale evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit (apud Euseb. h. e. 6,14; *M.*

20,552). In quo testimonio notari oportet id referri tamquam traditionem antiquam. Clemens audierat Pantaenum, qui ipse a discipulo quodam apostolorum edoctus erat. Unde facile illa traditio derivari potest ab ipsis discipulis apostolorum; nam designatur non simpliciter tamquam traditio τῶν πρεσβυτέρων (i. e. Pantaeni et aequalium) sed τῶν ἀνέκαθεν πρ. i. e. eorum qui Pantaenum eiusque aequales antecedebant. In ecclesia romana evangelium hoc notum fuisse testatur circa annum 170 fragmentum quod dicitur muratorianum; nam sine ulla dubitatione tamquam res nota refertur inter libros qui publice in ecclesiis legebantur evangelium quartum; quarti evangeliorum (auctor est) Ioannes ex discipulis (de fragmento cf. *Cornely*, Introd. I 2. ed. p. 182). Porro testis est Tertullianus in ecclesia quoque africana certam de auctore evangelii huius exstitisse traditionem : « nam nobis fidem ex apostolis Ioannes et Matthaeus insinuant, ex apostolicis Lucas et Marcus instaurant » (c. Marc. 4,2. 5; *M.* 2,363. 367). Et ecclesiae antiochenae fidem testatur Theophilus, sextus post Petrum eius ecclesiae ab anno 169 episcopus, qui prima evangelii verba nomine Ioannis apposito allegat : haec nos docent Scripturae sanctae et quotquot Spiritu s. afflati erant, inter quos Ioannes dicit : in principio erat Verbum (ad Autolyc. 2,22; *M.* 6,1088).

Aliud testimonium praebet Tatiani Diatessaron, in quo evangelium Ioannis insertum fuisse nemo negat et ex commentario S. Ephraem et ex arabica eius versione evidenter constat (cf. *Ciasca,* Tatiani Evangeliorum Harmoniae arabice; *Hill,* The Diatessaron of Tatian). Porro cum Holtzmann ipse concedat a tempore Iustini incipere usum evangelii nostri et Iustinum uti, etsi raro, nostro evangelio (Einleitung, 3. ed. p. 467), non opus erit id exemplis allatis demonstrare. Eodem tempore Claudius Apollinaris, episcopus hierapolitanus, evangelium hoc simul cum synopticis evangeliis agnoscit, uti patet ex duobus fragmentis, quae ex eius libro de paschate servata sunt (cf. *M.* 5,1297). In epistola ecclesiae Viennensis allegatur tacito utique nomine Ioan. 16,2. Iam ostendi potest, ipsis apostolorum discipulis hoc evangelium notum fuisse. Ita Irenaeus affert explicationem, quam dederunt οἱ πρεσβύτεροι (de Ioan. 14,2) : et propter hoc dixisse Dominum multas esse apud Patrem mansiones (c. haer. 5,36. 2), quem locum *Harnack* ex opere Papiae depromptum esse censet adeoque nos habere testimonium Papiae directum pro evangelio (Chronologie I p. 336. 656). Polycarpus et Papias, Ioannis discipuli, primam Ioannis epistolam certe norunt (cf. Euseb. h. e. 3,39; Polycarp. ad Philip. 7 affert verba 1 Ioan. 4,2. 3). In epistolis Ignatii martyris plura leguntur, quae ex hoc evangelio deprompta esse verba ipsa testantur : Spiritus enim, cum

a Deo sit ortus, non decipitur; scit enim, unde veniat et quo vadat (ad Philad. 7); et nota, nisi haec Ioan. 3,8 occurrerent verba, plane non posset intelligi, quomodo quae de vento valent, ipse de Spiritu potuerit edicere. Et si Romanis scribit : panem Dei volo quae est caro Christi et potum volo sanguinem eius (Rom. 8), si loquitur de principe huius saeculi, de vivente in se et loquente aqua, de Filio Dei qui est eius Verbum, haec sane ad dictiones evangelii nostri referuntur[1] (cf. ad Rom. 7; ad Eph. 17; ad Magn. 8). Epistolas autem esse genuinas hodie ipsi acatholici concedunt.

Uti apud catholicos, ita quoque apud haereticos saeculi secundi evangelium hoc in usu erat. Praesertim gnostici eo gaudebant ad gnosin mysticam suam commendandam. Quare Schanz merito monet quam firma et certa Patrum persuasio esse debuerit de origine apostolica; nam si quid iis potuisset dubium iniicere de auctoritate et origine eius, favor iste a gnosticis evangelio praestitus debuit persuasionem illam suffodere, nisi argumentis plane invictis esset subnixa. Iam Heracleon, amicus Valentini, commentarium evangelii scripsit et Irenaeus testatur : hi qui a Valentino sunt eo quod est secundum Ioannem plenissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso detegentur nihil recte dicentes quemadmodum ostendimus in primo libro (c. haer. 3,11,7; *M.* 7,884) et ostendit Irenaeus (1,8,5) quomodo, qui sunt circa Ptolemaeum (οἱ περὶ Πτολεμαῖον 1,1,2), ex prologo Ioannis sua commenta derivarint (1,8,5). Idem usus evangelii apparet in homiliis clementinis (cf. hom. 3,52 - Ioan. 10,9. 27; hom. 11,26 - Ioan. 3,3. 5; hom. 19,22 - Ioan. 9,2. 3, uti *Holtzmann* concedit p. 468). Porro ex iis quae Epiphanius et auctor Philosophumenon allegant, etiam Basilides, Naasseni evangelium hoc cognoverunt (cf. *Cornely* l. c. p. 225; *Kaulen,* Einleitung n. 503; *Corluy,* Comment. in Ioan. 2. ed. p. 4; *Schanz*, Commentar p. 11; *Fillion,* Évangile selon S. Jean p. XXII seq.; *Keil,* Commentar p. 21; *Weiss,* Das Iohannes-Evangelium 8 ed. p. 13 seq.). Vestigia huius evangelii eiusque usus et cognitionis sedulo collegit *Resch,* Paralleltexte zu Iohannes, Leipzig 1896, p. 1-35, ubi incipiens a doctrina apostolorum (διδαχή) usque ad Irenaeum ex 38 scriptoribus vel operibus ea indicat quae aliquam notitiam evangelii produnt.

Tot ac tanta igitur exsistunt testimonia ac documenta quibus evangelium hoc ad apostolum Ioannem auctorem refertur. Iam quaerere licet, quot libri ex antiquitate, uti v. g. scripta Herodoti, Thucydi-

1. « Die ignatianischen Briefe berühren sich unverkennbar mit johanneischer Gedankenwelt und Litteratur », Holtzmann l. c. p. 468.

dis, Platonis etc. sine ulla dubitatione ab omnibus recipiuntur, pro quibus tamen nullatenus tot testimonia summae antiquitatis proferri possunt; cur itaque nostrum evangelium in dubium vocetur? Omnino verum est quod Ezra Abbot dicit : esse moraliter certum tempore Iustini martyris quartum evangelium generali modo receptum fuisse tamquam opus Ioannis apostoli (Authorship of the fourth Gospel p. 80). Iam talis persuasio nequit explicari nisi ipsa rei veritate. Atque si quis testimonia illa perpendit, dicere debebit quod Watkins asserit : vis argumentorum mihi videtur talis esse, ut plane nullum dubium possit relinqui, immo ullum dubium moveri posse penitus excludatur (cf. Modern Criticism considered in its relation to the fourth Gospel, London 1890, p. 103). Atque revera plurimi qui in eam quaestionem investigarunt evangelium opus esse genuinum apostoli affirmant. Multos recenset Watkins (l. c. p. 313-350) : Lücke, Bleek, Bunsen, Ebrard, Tholuck, Hengstenberg, Meyer, Lechler, B. Weiss, Luthardt, Godet, Beyschlag, Zahn, Franke (Aug. Hermann), Olshausen, Thiersch, Baumgarten-Crusius, Norton, Alford, Wordsworth, Alexander, Maurice, Astié, Tischendorf, Thenius, Fischer, Uhlhorn, Riggenbach, Oosterzee, De Pressensé, Hutton, Schaff, Milligan, Liddon, Leates, Wace, Mc Lellan, Lias, Murphy, Ezra Abbot, Charteris, Plummer, Reynolds, Lightfoot, Salmon, Sanday, Westcott. Hisce addi possunt alii, pariter acatholici : Carl Müller, B. Brückner, Gess, Kahnis, Schnedermann, Leuschner, Paul Ewald, Grau, Ritschl, Lobstein, Kaftan, Resch, Koehler, Wendt (cf. Holtzmann l. c. p. 436). Alii librum alicui ex discipulis Ioannis apostoli attribuunt, qui mox post eius mortem opus composuerit; ita Renan, qui prius opus apostoli generatim agnoverat, at ex anno 1867 et deinceps illud attribuit alicui ex eius discipulis (c. an. 100); similiter Carl Hase, qui opus decem vel pluribus annis post mortem apostoli secundum traditionem Ioannis scriptum esse vult; item Weizsäcker librum esse ortum mox post apostoli mortem ex schola ephesina, et Harnack demum ad id inclinat, ut evangelium hoc consideretur « evangelium Ioannis (presbyteri) secundum Ioannem (filium Zebedaei) »; verum quid et quantum sit in evangelio *secundum* Ioannem plane esse incertum (Chronologie I p. 677).

III. — Quo consilio evangelium scriptum sit.

De consilio edocemur 20,31 : haec scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius. Iis itaque quae referuntur id obtinere vult evangelista, ut Iesus,

vir ille qui in Iudaea, Galilaea per aliquot annos publice docuit, signa patravit et demum crucifixus est, credatur esse Christus i. e. Messias ille a prophetis annuntiatus idemque Filius Dei sensu vero et uni illi plene convenienti; hac fide haberi vitam, i. e. vitam illam filiorum Dei beatam, salutem messianam. Simul ibi indicat evangelista multa quidem alia signa fecisse Iesum in conspectu discipulorum; unde nos iam docet se ex multis aliqua selegisse et ea quidem quorum ipse testis erat. Atque se testem esse iam in prologo asserit. Postquam enim dixit Verbum quod apud Deum erat et quod ipsum Deus est hominem esse factum, statim addit: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre (1,14) i. e. gloriam talem qualem habere debet Unigenitus a Patre. Ipse evangelista, discipulus Ioannis baptistae, ea profert de Iesu testimonia illius quae eius divinam naturam et officium messianum declarant; Ioannes baptista Iesum dicit ante se exstitisse, eum vocat agnum Dei tollentem peccatum mundi, qua ratione ut is declaratur, quem Isaias propheta cap. 53 annuntiavit; eum dicit Spiritu sancto descendente talem significari qui baptizaturus sit in Spiritu sancto; proin eum describit de quo Is. 11,1, et per quem vaticinia de spiritus Dei effusione implenda sint (Is. 44,3. Ez. 36,26. 27. Ioel 2,28). Tamquam Messiam qui iam regnum suum fundandum mente prospicit evangelista ipse statim Iesum legentibus exhibet (1,41. 42), qui cognitione cordium fidem in se excitat (1,48. 49) et se ipso nomine filii hominis eum declarat, de quo Dan. 7,13 loquitur, et qui bona coelestia hominibus tribuit (1,51). Dein miraculo in Cana patrato manifestat gloriam suam ad fidem conceptam discipulorum confirmandam et augendam. Tali enim signo, utpote sigillo divino, eius de se testimonium divinitus approbatur; eo modo prophetae se esse a Deo missos demonstrarant et ut nuntii Dei ab aequalibus agnoscebantur. Ad id Iesus provocat, cum toties Iudaeis dicat, ut si non testimonio saltem operibus credant (5,36; 10,25. 37. 38; 14,10. 12; 15,24). Prima eius in templo manifestatio talis est qualis Messiae adventus in templo a propheta praedicitur (Mal. 3,1 seq.); Nicodemo declaratur iam adesse periodum illam quam prophetae annuntiabant, in qua scil. Deus effundet aquam mundam super suos et dabit cor novum et ponet spiritum suum in medio suorum (Ez. 36,26; 11,19. Is. 44,3), i. e. adesse periodum messianam; insuper Iesus se Nicodemo manifestat clare tamquam talem in quo omnes salutem consequi debent, proinde satis manifestat in se impleri oracula illa : benedicentur in ipso omnes tribus terrae (Ps. 71,17. Gen. 12,3; 18,18; 22,18 etc.), et se esse doctorem qui descendit de coelis et est in coelis Nicodemo exponit; Messiam vero promissum esse ducem ac praeceptorem oracula vatum testantur

(Is. 42,4; 50,4; 55,4; 61,1-3. Mich, 4,2). Iesus appellatur sponsus (3,29), et de tempore messiano dicitur : sponsabo te mihi (Os. 2,19); ipse Messias ut sponsus celebratur (Ps. 44,2 seq.). In colloquio cum Samaritana affirmat Iesus imminere tempus veri cultus Dei universalis; proin illud adesse tempus designat quod Is. 11,9 indicatur : repleta est terra scientia Domini; et praeterea se dicit Messiam et a Samaritanis agnoscitur Salvator mundi (4,21. 26. 42). In disceptatione cum Iudaeis clare loquitur de sua natura divina, de sua cum Patre aequalitate et ad opera sua provocat quibus hoc de se testimonium approbatur et aperte asserit se esse in Lege praedictum i. e. Messiam (5, 17 seq. 36. 46).

Contra falsam notionem messianam qua populus eum regem facere vult (6,15), ipse veram notionem exponit declarans se esse panem vitae, a se salvari et vita donari credentes, carnem suam se dare pro mundi vita. Hisce autem significat se esse eum, de quo dictum est : ut sis salus mea usque ad extremum terrae; dedi te in foedus populi; si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum; iustificabit ipse multos (Is. 49,6. 8; 53,10. 11). Evangelista autem contra aliquorum infidelitatem explicite effert praeclaram Petri confessionem : tu es Christus Filius Dei (6,70). In festo scenopegiae iterum praeclara Iesus de se edit testimonia : si quis sitit, veniat ad me et bibat (7,37); tempus proin illud adesse i. e. tempus messianum, de quo vaticinatus est Isaias (49,10; 55,1); de se dicit : ego sum lux mundi (8,12), ergo ille est, ad quem dictum apud vatem : ecce dedi te in lucem gentium (Is. 42,6; 49,6; cf. 9,2; 60,3) et insigne suae divinitatis dicit documentum : antequam Abraham fieret, ego sum (8,58). Eximio quoque modo quis sit manifestat, cum dicat : ego sum pastor bonus ὁ ποιμὴν ὁ καλός (10,11), cuius indolem ita describit, ut et appellatione et descriptione plane referantur ea quae propheta dicit de pastore quem Deus suscitaturus est et de Deo ipso tamquam pastore sui populi : ecce ego ipse requiram oves meas et visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas et liberabo eas; ego pascam; quod perierat requiram etc. (Ez. 34,11 seq. 23; 37,24) et similiter Is. 40,11 : sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos et in sinu suo levabit — quibus idem enuntiatur quod Iesus inter alia dicit : non rapiet eas quisquam de manu mea (10,29). Porro si Iesus loquitur de aliis ovibus quae non sint ex hoc ovili (Israel) et quas oporteat se adducere, id enuntiat quod omnibus vaticiniis messianis proprium est gentibus scil. ianuam aperiri ad regnum messianum (cf. Gen. 12, 3 etc. Is. 2,2; 11,10; 14,1; 25,6; 40,5; 42,4; 49,6; 60,3 etc.). Et ibi simul suam potestatem esse eandem ac Patris affirmans praeclarum ite-

rum edit testimonium divinitatis; probat enim suam potestatem esse eandem dicens : ego et Pater unum sumus (10,30) et quid asserere velit Iudaei intelligunt dicentes et blasphemiam obiicientes : facis teipsum Deum (10,33). Quam suam divinitatem in sermonibus ultimis ad discipulos habitis vario modo asseruit : qui videt me videt et Patrem; ego in Patre et Pater in me; qui me odit et Patrem meum odit, omnia quaecumque habet Pater mea sunt; si abiero, mittam Paraclitum ad vos, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, qui de meo accipiet (14,9. 11; 15,26; 16,14. 15). Talia selegit Ioannes miracula quibus quam maxime omnipotentia quasi oculis subiicitur.

Quae igitur 20,31 dicuntur, revera per totum librum clare efferuntur : Iesum esse et Messiam a prophetis praedictum et esse verum Dei Filium, verum Deum et in eo solo haberi posse salutem. Testimonia quidem pro eius caractere messiano *explicita* non affert nisi pauca (2,17; 3,14; 12,15; 13,18; 19,24. 28. 36. 37); at nemo poterit ignorare Iesum eo modo loqui, describi, agere, ut continuo ea in memoriam reducantur quae prophetae de Messia et de tempore messiano vaticinati sunt. Imago itaque Iesu in evangelio exhibita aperte prae se fert indolem illam quam de Messia prophetae exhibuerunt. Aeque clare et aperte affirmatur divina eius natura. Ex hisce per se sequitur in eo solo salutem omnium esse repositam.

Ex fine quem evangelista sibi proposuit et quem enuntiat 20,31, consequitur ordo quem in libro observat. Praemisso enim prologo, in quo tria illa (de divina natura, de Messia, de vita beata per eum consequenda) summatim proponuntur (1,1-18), ordinem sequitur temporis ostendens quomodo Iesus paulatim se manifestaverit primo discipulis (1,19-2,11), dein Iudaeis (2,12-3,36), postea Samaritanis et in Galilaea (4,1-54); dein iterum Iudaeis (5,1-47) et Galilaeis (6,1-72), et denuo repetitis vicibus Iudaeis in festo scenopegiae (7,1-10,21), encaeniorum (10,22-42), occasione resuscitationis Lazari (11,1-56), et sollemnis in urbem ingressus (12,1-36). Uti in enarratione singularum partium effertur, quomodo haec manifestatio sit accepta vel fide vel incredulitate, odio, ita tali observatione generali evangelista 12, 37-50 vitam Iesu publicam concludit. Iam enarrat quomodo Iesus se discipulis manifestaverit ulterius, dum illos ad suum praepararet discessum (13,1-17, 26) et quomodo se manifestaverit in passione (18,1-19,42) et in resurrectione (20,1-21,25). Quare iam S. Thomas merito duas libri distinguit partes : « primo narrat ea quae Christus fecit in mundo vivendo ad manifestationem suae divinitatis, secundo quomodo suam divinitatem monstraverit moriendo. »

Hac itaque manifestatione gloriae Iesu, Messiae et Filii Dei, evange-

lium hoc consistit. Haec gloria affirmatur dogmatice in prologo, ostenditur historice, rebus gestis et sermonibus Iesu in reliquo libro. Cum S. Thoma et aliis nonnullis (Schanz, Fillion, Cornely) duae partes commode distinguuntur : manifestatio gloriae Christi in vita publica (1,19-12,50) et in morte (13,1-21,23); duo ultimi versus epilogum totius libri praebent. Praeterea Cornely trinas sectiones inter se quodammodo correspondentes in utraque parte distinguit hac ratione : in prima utriusque partis sectione manifestatio haec gloriae describitur fide accepta ab iis qui bonae erant voluntatis (1,19-4,54 et 13,1-17,26), in altera impugnata et reiecta a Domini adversariis (5,1-11,56 et 18,1-19,37), in tertia triumphum agens de obstaculis oppositis (12,1-36 et 19,38-21,23). Rem ita distribuit *Schanz :* in prima parte habetur 1. manifestatio Iesu sui ipsius et fides 1,19-4,54; 2. manifestatio Iesu et incredulitas 5,1-12,50; in altera parte 1. discessus a discipulis 13,1-17,26; 2. profectio ad Patrem (18,1-21,23). Alii tres partes distinguunt (Bisping, Keppler, Kaulen), alii (Bacuez) quattuor partes; de quibus vide Cornely l. c. p. 254. Septem partes invenit Weiss : 1. Iesus introducitur testimonio baptistae et se verbo et opere manifestat coram primis credentibus (1,19-2,12); 2. sese manifestat in tribus regionis partibus : Iudaea, Samaria, Galilaea (2,13-4,54). 3. ostenditur defectus fidei in Iudaea (cap. 5) et Galilaea (cap. 6); 4. describitur pugna victrix Iesu cum ducibus incredulitatis in Ierusalem (7-10); 5. complet Iesus sui manifestationem coram populo (11.12) et coram discipulis 13-17); 6. describitur incredulitas consummata in passione (18. 19); 7. fides consummata per apparitiones Iesu resurgentis (20). Alii aliter rem distribuunt, de quibus vide (si vacat et tua interest) Keppler, Composition des Johannes-Evangeliums p. 8 seq. Fillion l. c. p. LVII, Schanz p. 53, Keil p. 40, Weiss p. 39, Holtzmann, Handcommentar p. 19 seq. etc.

IV. — Qua occasione liber sit scriptus.

Consilio libri perspecto ulterius quaeri potest, fueritne peculiaris quaedam causa seu occasio vel necessitas, cur evangelista manifestationem Iesu eo modo describendam et exhibendam duxerit. Quam quaestionem iam veteres vario modo attigerunt. Et in fragmento quidem muratoriano Ioannes evangelium scripsisse dicitur cohortantibus condiscipulis et episcopis suis (lin. 10; cf. *Cornely*, Introd. I 2. ed. p. 182); sed quare isti petierint, non exprimitur. Id autem refert *Clemens* alex. : Ioannes omnium postremus, cum videret in aliorum evangeliis ea quae ad corpus Christi pertinent (τὰ σωματικὰ) tradita esse,

ipse divino Spiritu afflatus spiritale (πνευματικὸν) evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit (apud Euseb. h. e. 6,14; *M.* 20,551) et traditionem de ordine evangeliorum (περὶ τῆς τάξεως) dicit esse a vetustioribus presbyteris (τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων). Evangelium scriptum esse contra errores serpentes alii tradunt. Ita *Irenaeus:* hanc fidem annuntians Ioannes Domini discipulus, volens per evangelii annuntiationem auferre eum qui a Cerintho inseminatus erat hominibus errorem et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitae qui sunt vulsio eius quae falso cognominatur scientia, ut confunderet eos et suaderet quoniam unus est Deus qui omnia fecit per Verbum suum (c. haer. 3,11,1; *M.* 7,879); proin esse scriptum contra errores Cerinthi et Nicolaitarum. Et *Victorinus* refert: cum essent Valentinus et Cerinthus et Ebion et ceteri scholae satanae diffusi per orbem, convenerunt ad Ioannem de finitimis provinciis omnes et compulerunt, ut ipse testimonium conscriberet (Scholia in Apoc. *M.* 5,333) et *Epiphanius* haec habet: beatus Ioannes cum homines in infima Christi natura totos occupari cerneret, atque Ebionaeos ob corpoream Christi genealogiam ab Abraham deductam... in errorem abductos videret, imo et Cerinthianos et Merinthianos ex utriusque sexus copulatione merum hominem natum illum asserere idemque et Nazaraeos et nonnullas alias haereses sentire, tamquam postremus omnium aberrantes illos et in humanam Christi generationem plus quam par esset intentos revocare instituit (haer. 69,23; *M.* 42,238; cf. haer. 51,12; *M.* 41,909). Et similiter scribit *Hieronymus:* Ioannes novissime omnium scripsit evangelium rogatus ab Asiae episcopis adversus Cerinthum aliosque haereticos et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse; unde et compulsus est divinam eius nativitatem edicere (de vir. ill. 9; cf. in Matth. prolog. *M.* 23,623; 26,18).

Aliam quoque causam veteres quandoque afferunt, voluisse Ioannem supplere quae ab aliis essent omissa, ita narrationem earum rerum quas Christus circa praedicationis initium gesserat (cf. *Euseb.* h. e. 3,24; *M.* 20,265) et idem *Hieronymus* quoque adnotat (de vir. ill. 9). Et *Theodorus* Mopsuestenus narrat fideles Asianos beato Ioanni libros evangeliorum obtulisse, ut eius iudicium de iis exquirerent; ipsum eos approbasse, at esse omissa aliqua miracula quae maxime omnium ad eruditionem conducerent et non oportere omittere sermones de divinitate; proin rogatum esse a fratribus, ut quae maxime ad doctrinam necessaria iudicaret, omissa autem ab aliis conscriberet; atque hoc eum fecisse (*M.* 66,728). Alii eum praeprimis voluisse divinitatem Iesu demonstrare docent (cf. Chrysostomus, hom. 2,3; *M.* 59,32; Augustinus, tract. in Ioan. 36,1). Simul tamen etiam observatum est, Ioannem

merito ea praeterisse, quae iam ab aliis enarrata in omnium erant notitia; ita v. g. scribit *Eusebius :* et seriem quidem ipsam generis Christi secundum carnem, utpote a Matthaeo et Luca prius traditam, Ioannes merito omisit (l. c.). Et *Epiphanius* scribit, cum Ioannes iam anno nonagesimo vitae exacto evangelium conscriberet, « nihil opus habuit accuratius ea mandare litteris quae Christus quatenus carne erat praeditus edidisset; haec enim stabilita iam ac constituta erant » (οὐκ ἦν αὐτῷ χρεία περὶ τῆς ἐνσάρκου πραγματείας λεπτολογεῖν· ἤδη γὰρ ἠσφάλιστο, haer. 51,12; *M.* 41,909); et alio loco dicit : « quae ante se praeclare erant digesta repetere noluit, verum ea exponere quae nondum dicta erant... spiritualia enim ferme sunt quae ille memoriae commendavit, cum quae ad corpus pertinerent iam essent stabilita (τῶν σαρκικῶν ἤδη ἐπασφαλισθέντων; haer. 51,19; *M.* 41,924). Cum synoptici noti essent, patet quam inepte quandoque asseratur, ea quae evangelista non narret eo ipso ab eo aut nesciri aut negari (cf. Volkmar, Marcus).

Hisce similia a recentioribus quoque proponuntur. Cerni in evangelio ea quibus synopticorum narratio suppleatur omnes concedunt, et aliqui id ad ipsum scopum quem evangelista intenderit referunt (ita Hug, Corluy et ex acatholicis Weizsaecker, Ewald, Hengstenberg, Godet; cf. apud Keil). Eum impugnare errores gnosticorum, imprimis Cerinthi multi affirmant; addunt alii docetas, Ebionitas, Iudaeos, immo etiam sectam quandam discipulorum baptistae (harum sententiarum patronos vide apud Schanz, Keil, Weiss).

Et Cerinthus quidem docuit non a primo Deo factum esse mundum, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea principalitate quae est super universa et ignorante eum qui est super omnia Deum; Iesum non esse ex virgine natum, sed filium Ioseph et Mariae; post baptismum descendisse in eum ab ea principalitate quae est super omnia Christum figura columbae et tunc annuntiasse incognitum Patrem et virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterum Christum de Iesu et Iesum passum esse et resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse, exsistentem spiritalem (*Irenaeus*, c. haer. 1,26; *M.* 7,686). Docetae autem verum Christi corpus negant. Ebionitae de Christo similiter sentiunt, sicut Cerinthus; ex lege repetunt iustificationem; Iesum quoque ex lege observata esse iustificatum eumque fuisse hominem aeque ac reliquos (*Iren.* l. c. Philosoph. 7,33. 34; *M.* 16,3342; *Epiphanius* haer. 30,1; *M.* 41,405).

Horum quidem errores excludi quarto evangelio clarum est. Verum quaestio est, sitne liber explicite scriptus contra eos, ita ut haeretici hi impugnentur, refutentur et directa quasi contra eos acie certamen instituatur. Id de evangelio dici nequit. De prima Ioannis epistola id

aliquo modo recte asseritur; ibi enim sermo fit de antichristis multis qui prodierint quidem ex nobis, at non fuerint ex nobis; « mendax est qui negat quoniam Iesus est Christus; hic est antichristus qui negat Patrem et Filium » (2,19 seq.) et : « omnis spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est et hic est antichristus de quo audistis quoniam venit et nunc iam in mundo est » (4, 3), qua sententia directe impugnatur error Cerinthi, qui Christum avolasse a Iesu ante passionem docuit. Sed eiusmodi genus loquendi pugnax et quasi bellatorium in evangelio non deprehenditur. Asseritur quidem et saepe et strenue Iesum esse Christum et praecipue in enarranda passione vatum oracula crebriora quam alias in medium proferuntur; sed haec omnia dicuntur modo docendi; non apparet directa quaedam impugnatio aliorum. Multoque minus statui potest iniri certamen contra docetas. Nemo enim ex eo quod 19,34 explicite asseritur ex latere Iesu mortui percusso effluxisse sanguinem et aquam inferet hoc iam sufficere, ut impugnatio docetarum tamquam scopus evangelio praefigatur. Idem dicendum erit de opinionibus Ebionitarum. Doctrina quidem in libro exposita illae omnes opinationes excluduntur, quia veritate stabilita errores contrarii eo ipso prostrati iacere intelliguntur. At aliud est errores oppugnare, aliud verum proponere. Quare potius dicendum est apostolum librum suum scripsisse, non ut illos haereticos directe impugnaret, sed ut fideles contra errores illos et fallacias serpentes praemuniret (cf. *Cornely,* Introd. III p. 244). Serpsisse illos errores et iam semina quaedam et initia gnosticismi esse propagata patet tum ex Apocalypsi et epistolis ad Col. Eph. et pastoralibus, tum ex prima Ioannis epistola. Quare haec ab apostolo respici et contra illa pericula firma suppeditari subsidia, utique necesse erat (cf. *Keppler,* Das Iohannes-Evangelium und das Ende des ersten christlichen Jahrhunderts p. 12 seq.). Simili modo *Irenaeus* loquitur, cum dicat Ioannem confirmasse veritatem providentem blasphemas haereticorum regulas (c. haer. 3,16,5; *M.* 7,924). Pari ratione patet librum non contra discipulos baptistae esse scriptum. Nam valde dubium est exstiterintne eiusmodi discipuli qui in aliqua secta essent congregati; quae enim Act. 18,25 et 19,2 narrantur, minime ostendunt talem coetum. Censet quidem *Lightfoot* indicari in evangelio opiniones Hemerobaptistarum, et fortasse coetum eorum exstitisse in Asia proconsulari; imo illis adscribit sententiam Ioannem baptistam fuisse Messiam (Dissertations on the Apostolic age p. 388). Verum quae de Hemerobaptistis referuntur apud Epiphanium (haer. 17; *M.* 41,256) nullo modo indicant eos se profiteri discipulos baptistae; id unum tenent debere hominem quotidie lavando crimina purgare; frustra allegat Lightfoot Const. apost. 6,6 et Euseb. 4,22, quia hisce locis nihil occurrit nisi nudum He-

merobaptistarum nomen, et Clement. hom. 2,23 solum Ioannes nominatur; in Recognit. Clement. 1,54. 60. 93 (*M.* 1,1238 seq.) dicitur quidem ab aliquibus Ioannis discipulis magistrum praedicatum fuisse Messiam, at hos discipulos esse ex Hemerobaptistis nullatenus innuitur. Neque ex evangelio nostro 1,19 seq. et 3,25 seq. potest concludi id dirigi contra eiusmodi discipulos. Evangelista testimonio Ioannis utitur, quia ipsius auctoritas apud Iudaeos erat magna, uti ex synopticis et Act. 13,24 patet. Utique si aderant eiusmodi cultores Ioannis baptistae, error eorum eodem modo excluditur, quo reliquorum haereticorum, contra quos tamen directe agi dici nequit.

Verum contra quos aperte et directe scribat Ioannes et quos pugnaciter aggrediatur, satis apparet ex disceptationibus Iesu cum ducibus populi, cum synedristis. Horum infidelitatem, contumaciam, odium effert. Haec nobilium oppositio statim describitur 2,18; horum perversitas accusatur 3,19-21; iis exprobratur quod Iesus debuit Iudaeam relinquere 4,1 et quod Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet 4,44. Eorum malitia exponitur 5,12. 16. 18, cum Iesum ob sanationem sabbato factam persequantur et ob suum de se testimonium signis probatum magis quaerant interficere; illis obiicitur appetitus gloriae quo a fide retineantur, et iam ne Moysi quidem credere perhibeantur (5,44-47). Festo scenopegiae quam maxime proditur odium eorum et malignitas; turbae timore coercentur; pharisaei eum apprehendere volunt; invehuntur in eos qui coacti sunt fateri : nunquam sic locutus est homo, et in Nicodemum qui monet tumultuarie non esse contra eum procedendum (7,11. 13. 30. 45-52). Quam maxime deprehenditur haec oppugnatio cap. 8; nam testimonio Iesu opponunt irrisionem; unde merito Iesus eos morituros esse in peccatis dicit, nisi crediderint; demonstrat eos esse servos peccati, facere quae a diabolo patre suo didicerint, eos esse non ex Deo, sed ex patre diabolo et eius perficere desideria. Blasphemant illi in Iesum, eum Samaritanum et habentem daemonium vocantes et praeclaro Iesu de sua divina natura testimonio respondent conatu cum lapidandi. Voluntas eorum summopere perversa exhibetur cap. 9; caecum illum esse sanatum negare nequeunt; argumento eius : nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam, nihil possunt opponere, verum impotenti furore in eum invehuntur eumque eiecerunt. Quid igitur de talibus ducibus, qui iam conspiraverant ut si quis Iesum confiteretur Christum e synagoga excluderetur? fures et latrones eos vocat Iesus et tales eos esse statim iterum patet, quia Iesum ad opera sua provocantem et de se testantem lapidare volunt (10,8. 24-40), quamvis ipsi postularint ut palam diceret quis esset. Resuscitatione Lazari synedristae et hoc miraculo et fide mul-

torum ad firmum propelluntur consilium eum interficiendi; signa agnoscunt : quid facimus quia hic homo multa signa facit (11,47)? et dum vident populi in Iesum studium ac venerationem, augent invidiam (12,19).

Compositio itaque evangelii ita facta est, ut Iesus Iudaeis in urbe i. e. nobilibus, synedristis, pharisaeis saepe et signis et verbis clarissimis suam missionem a Patre et suam naturam divinam exponat, hi autem sese exhibeant contumaces, contemptores, irrisores, blasphemantes et demum mortem eius machinantes. Horum culpam evangelista ipsa narratione disceptationum effert et eam in fine vitae publicae duobus modis iterum consignat; nam dicit 12,37 cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum etc.; et dein eorum culpam auget addens : verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur (v. 42). Proin ostendit signa illa et testimonium Iesu revera plene fuisse sufficientia, verum tyrannide et terrore ab iis fidem aliorum esse coercitam et suffocatam (cf. 3,2; 7,13). Confirmatur itaque illud : vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis (Luc. 11,52).

Idem modus culpam synedristarum efferendi cernitur in enarranda passione; nam eorum perversitas quam maxime apparet eo quod variis illis conatibus Pilati Iesum in libertatem vindicandi furor eorum magis accenditur et tandem ad illam progrediuntur insaniam, ut Messiam et spem messianam et theocratiam plane abiiciant : non habemus regem nisi Caesarem; Iesum autem propterea in crucem agi postulant : quia Filium Dei se fecit (19,7. 15).

Quae omnia si consideraveris, fatendum erit evangelio hoc per se et directe impugnari non Cerinthum aliosve haereticos, sed principes et duces synagogae. Apud synopticos legimus quidem : Ierusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas et noluisti (Matth. 23,37. Luc. 13,34) at Iesum saepius in ipsa urbe et signa fecisse et principibus synagogae suam missionem demonstrasse ab iis explicite non proponitur. Ex eorum narratione (neglecto illo indicio) potuit obiici : Iesus non coram principibus synagogae, in urbe principali suam missionem probavit, solum in regione despecta Galilaeae commoratus est; ergo non se ibi probavit Messiam, ubi primario debuit. Erat itaque necesse, ut quantis modis Iesus se illis manifestasset clare exponeretur atque ita culpa illorum ac perversitas summa evaderet manifesta.

Atque id postulabatur ipsa temporis illius conditione et oppugnatione illa qua synagoga post ruinam urbis et templi rediviva (si ita loqui li-

cet) rem christianam infestabat. Nam mox post ruinam urbis et templi principes rabbinorum Iamniam quasi novam urbem Ierusalem constituerunt ibique celebrabant conventus ad leges condendas et ad populares moribus et traditionibus paternis coercendos. Uti Iamniae, ita in aliis quoque urbibus, Lyddae, Caesareae, scholae instituebantur a rabbinis. Primus doctor et praeses synedrii illius novi erat Gamliel II (an. 80-115). Rabbini vero animos hostiles in Christianos gerebant; eos vocabant מנים Minim (qua voce eos ut apostatas designabant) et Epicuraeos; vocem evangelii mutarunt in aven (i. e. iniquitas) et « argumenta Epicuraeorum » refutare i. e. Christianorum argumenta convellere maxime intererat illorum doctorum; « scito quomodo Epicuraeis respondeas » saepe ab illis inculcabatur (cf. *Jost*, Geschichte des Iudenthums II p. 1 6.25.37-42). Et has rabbinorum impugnationes et inimicitias etiam illis illustrare licet quae *Iustinus* affert, disputans cum Tryphone Iudaeo : delectos homines constituistis ac per eos in totum orbem terrarum missos praedicastis impiam quandam et exlegem sectam a plano quodam Iesu Galilaeo excitatam esse et cum illum a nobis crucifixum discipuli ex monumento in quo depositus fuerat noctu subripuerint, decipi ab illis homines (c. Tryph. n. 108; *M.* 6,726; cf. n. 17) et pariter : vos nomen Iesu profanatis et ut in toto orbe profanetur operam datis (n. 117. 120; *M.* 6,748.753). Ceterum etsi haec testimonia deessent, iam ex iis quae in Act. de infestationibus Iudaeorum leguntur necessario esset concludendum Iudaeos etiam post ruinam urbis omni quo possent modo contra Christianos egisse.

Ioannes igitur demonstravit evangelio suo Iesum esse Christum, Filium Dei, Verbum incarnatum et hac sua demonstratione initia gnosticismi eo ipso convellit; verum potissime agit contra Iudaeos, ideoque ea seligit miracula quae in urbe coram omnibus patrata innotuerunt, eos seligit sermones quos Iesus ad legis doctores direxit, eorumque malitiam et contumaciam toties spectandam exhibet (cf. *Aberle* in Theolog. Quartalschrift 1861, p. 53 seq. 1864, p. 24; *Keppler*, Iohannes-Evangelium und das Ende des ersten christl. Jahrhunderts p. 10; *Schanz,* Commentar p. 46). Haec autem exponit ut fideles fidem quam conceperunt firmiter teneant, ut muniantur contra impugnationes, ut sciant quomodo Iesus a synagoga sit reiectus, et ut intelligant infidelitatem principum nullo modo praeiudicium inferre causae Christi. Vult igitur modo invicto demonstrare ex Iesu operibus et testimonio de se eum esse Christum et Filium Dei et Iesum id ducibus quoque synagogae multis probasse argumentis. Imminere Christianis periculum impugnationis, periculum fidei amittendae, immo iam aliquos defecisse et fidem illam oppugnari, sufficienter patet ex prima Ioannis epi-

stola, quam cum evangelio cohaerere eique quasi iunctam esse merito a plerisque assumitur (cf. *Cornely,* Introd. III 2 ed. p. 662; *Holtzmann,* Einleitung 3 ed. p. 476; Handcommentar p. 233).

De tempore quando evangelium scriptum est nullum certum exstat testimonium. Epiphanius tradit eum scripsisse μετὰ ἔτη ἐνενήκοντα τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς post eius ex Patmo reditum (haer. 51,12). Certum est eum scripsisse post synopticos et longiore tempore post ruinam urbis. Nam ex modo quo evangelium dirigitur contra duces synagogae elucet, synedrium denuo esse constitutum et a synedrio rem christianam iam ex aliquo tempore impugnari. Ioannem superstitem fuisse usque ad Traiani tempora affirmat Irenaeus (c. haer. 2,22,5 et 3,3,4; *M.* 7, 785. 855) i. e. an. 98-117; eius mortem Eusebius in Chron. refert ad annum 3 Traiani. Proinde dici potest circa ultimum decennium primi saeculi librum esse compositum. Esse scriptum Ephesi [1] tradit Irenaeus (3,1,1); esse destinatum iis qui extra Palaestinam degebant, facile eruitur ex explicationibus quae adduntur v. g. 1,38 rabbi, quod dicitur interpretatum magister; 1,41 pariter Messias explicatur Christus; item 1,42 et 4,25; mores et consuetudines Iudaeorum explicationis causa referuntur 2,6; 4,9; 5,2 seq.; 6,4; 9,7; 11,18; 19,13. 17. 40.

In quaestionem vocati sunt tres loci etiam ab illis ex acatholicis haud paucis qui ceteroquin evangelium esse Ioannis apostoli opus agnoscunt; scil. 5,4 et pericope illa de adultera 7,53-8,11 et cap. 21. De duobus prioribus vide Comment. — Et caput illud 21 habetur in omnibus codicibus, versionibus et ipso Harnack fatente, is qui 1-20 scripsit etiam cap. 21 composuit (*Harnack,* Chronologie I p. 676). Ceterum de integritate evangelii accurate agit *Cornely* l. c. p. 232-238.

V. — A quibus Ioannem auctorem esse evangelii negetur.

In antiquitate parva solum secta, quae ab Ephiphanio Ἄλογοι vocatur, hoc evangelium esse Ioannis negavit. Cum enim Montanistae doctrina de Paracleto abuterentur, isti Alogoi evangelium hoc in quo Paracletus promittitur et in quo iis multa ab aliorum narratione discrepare videbantur, sicut et apocalypseos librum Cerintho adscripserunt (cf. Epiph. haer. 51,3; Iren. 3,11,9. Philastrius, haer. 60). Plures adversarii exstiterunt recentiore tempore : Ed. Evanson (1792) evan-

1. Nuperrime Resch voluit evangelium esse scriptum in regione decapolitana, in Pella Irenaei testimonium de evangelio Ephesi scripto reiicit; contendit in fragmento muratoriano legendum esse non : Iohannes ex discipulis cohortantibus condiscipulis, sed corrigendum : Iohannes ex Decapoli! Verum bene respondet Batiffol, si oporteat lectionem discipulis suspectam habere propter illam adeo vicinam condiscipulis, potius corrigendum esse : Ioannes ex apostolis (Revue biblique 1897. p. 479).

gelium reiecit, utpote discrepans a narratione Lucae; illud impugnarunt Vogel (1801), Horst (1804), Cludius (1808), Ballenstedt (1812) aliis uti Süsskind, Schlecker, Wegscheider, Schmidt, Eichhorn, Kuinoel, Tittmann, Hug illud defendentibus. Ex rationibus potissimum internis Bretschneider dubia movit in opere : Probabilia de evangelii et epistolarum Ioannis apostoli indole et origine eruditorum iudiciis modeste subiecit (Lipsiae 1820); potissimum arguit ex diversitate, qua Christus in eo libro agens ac docens describatur, ex doctrina de Λόγῳ, ex erroribus contra geographiam et historiam; et auctorem esse vult hominem christianum, qui probabiliter vixerit in Aegypto et librum in secundo saeculo composuerit. Contra eum multi scripserunt; iam eodem anno 1820 Schott, Eichhorn, Lücke, Roehr; postea Stein, Hemsen, Olshausen aliique. Iterum impugnatum est evangelium a Strauss (Leben Iesu 1835 seq.), a Lützelberger, qui Ioannem unquam in Asia fuisse negavit, a Br. Bauer, qui evangelium consulto fictum esse voluit, a Chr. Baur eiusque « schola tubingensi », evangelium esse scriptum ad oppositionem illam antiquam inter partes paulinas et iudaicas finiendam, ad ceteras quoque sententias et systemata inter se diversa in unione quadam sublimiore inter se concilianda; multa esse ficta, alia ex synopticis liberrime mutata; a Ioanne non posse esse compositum, quia hic arctis iudaismi limitibus constrictus teneretur (Gal. 2,11; Apoc.). Alias oppugnandi rationes petebant Schwegler (1841) et Koestlin (1843) ex veterum disceptationibus de celebratione paschatis (cf. Euseb. h. e. 5,23); sed cum Asiani illi celebrarent die 14 τὴν τοῦ σωτηρίου πάσχα ἑορτὴν i. e. mortem Christi, redemptionem nostram per Iesum, pascha nostrum (1 Cor. 5,7), perfectam, nullo modo contradicebant evangelio quo dicitur Christum mortuum esse ante diem sollemnem paschatis. Alii ex eodem schola tubingensi (Zeller, Schwegler, Hilgenfeld, Volkmar) ostendere nitebantur, non Iustinum ex evangelio doctrinam verbaque deprompsisse, sed e contra auctorem evangelii ex Iustino res suas, doctrinam de Verbo etc. accepisse; quam sententiam valde oppugnarunt Bindemann, Semisch, Luthardt, Tischendorf aliique eo successu, ut hodie sit plane derelicta. Contra illam scholam tubingensem scripserunt Ebrard, Thiersch, Schleiermacher, Bleek, Hase, et ex catholicis Mayer aliique.

Disceptationibus istis manifestum evasit constare testimoniis historicis quae removeri non possent evangelium hoc iam ortum fuisse c. an. 110-115, et innotuisse nomine Ioannis. Ut igitur origo apostolica negari posset, Keim (Geschichte Iesu von Nazara, 1867-72) ostendere nitebatur, apostolum Ioannem nunquam fuisse in Asia et quae ab Asianis dicantur de Ioanne, solum valere de Ioanne presbytero; dein quam

maxime urget in doctrina et narrationibus hoc evangelium continuo contradicere synopticis : inferri nobisque obtrudi pro Galilaea Samariam et Ierusalem, pro tranquilla commoratione et praedicatione itinera crebra et festinata, pro uno vitae publicae anno duos, pro baptista populari philosophum ac theologum christianum, pro matre dubitante matrem fidelem, pro tribus familiaribus Iesu unum solum quem diligebat, pro genere dicendi populari aenigmata, pro custodia legis abolitionem, pro Lazaro parabolico Lazarum e sepulcro suscitatum, pro coena paschali lotionem pedum, pro angore et timore triumphum, pro satellitibus iudaeis cohortem romanam, pro synedrio tribunal romanum, pro messiana indole regnum veritatis etc. etc. Contra eum scripserunt Luthardt, Godet, Beischlag, Weiss. Non historiam, sed doctrinam in evangelio praeberi alii, uti Thoma, volunt; unde narrationes non eventus resque gestas continere sed allegorias esse ad aliquam veritatem illustrandam. Notiones autem partim esse paulinas, partim depromptas maxime ex alexandrinismo (O. Holtzmann, Hausrath, Pfleiderer, Thoma) vel ex gnosticismo (Hilgenfeld, Volkmar).

Alii mediam quandam viam tenere maluerunt; esse scil. in evangelio hoc aliqua et historica et ad doctrinam pertinentia quae ad Ioannem apostolum referri possint, quae tamen plurimis aliis admixta ab aliquo Ioannis discipulo post eius mortem sint conscripta; ita fere iam Eckermann (1796), Paulus (1821), Ammon (1824), Weisse (1838. 1856), Freytag (1861. 1863), Thenius (1865), Weizsaecker (1864), Hase (qui antea auctorem esse Ioannem diu defenderat, tandem 1876 concessit, decennio vel amplius post Ioannis mortem ab aliquo eius discipulo librum esse compositum secundum traditionem apostoli additis aliquibus quae potius mythum redolerent). Alii, uti De Wette, Schenkel, saepius sententiam de origine et auctoribus evangelii mutarunt. Partitionem satis subtilem Delff (1890) invexit : reperiri in evangelio descriptiones quasdam Iudaeo-christiani cuiusdam, quibus postea addita sint quae de Logo agant (1,1-5; 15-18) aliaque, uti 2,1-11. 17. 21. 22; 4,26-54; 5,17-29; 6,1-29. 38. 39. 59; 7,39. 53-8,11; 12,16. 25-30. 33. 38-41; 13,20. 19,35-38; 20,11-18; 21,1-25.

Alii historica veritate evangelii reiecta librum explicant ex notionibus christianis, quae systemate et sententiis philonismi et gnosticismi sint temperatae et imbutae; ita Krenkel (1871), Schwalb (1872; 1885), Brückner (1887); qui modus explicandi adoptatur etiam a Scholten, Matthes, Loman, Eichthal, Stap, Aubé, Havet, Réville, Tayler, Hanson etc. De hisce vide Keil, Commentar p. 25 seq. Weiss l. c. p. 33 seq., Holtzmann, Einleitung 3 ed. p. 433 seq.; praeterea Theologischer Jahresbericht 1882 seq.

Si de tempore quaeritur quo evangelium hoc ortum sit, maxima deprehenditur varietas. Annum 160-170 assignarunt Baur, Scholten; 155 Volkmar, 150 Zeller, Schwegler, 130-140 Lützelberger, Hilgenfeld, Thoma; 110-117 Keim, prius; postea descendit ad annum 130; 110-115 Nicolas, Renan, Schenkel; 110 Harnack, circa 70 Resch, et Holtzmann declarat, quo antiquius evangelium censeri possit, eo facilius declarari aenigma originis eius; nam illud ortum esse medio saeculo secundo non posse admitti, quia nequeat explicari quomodo eo tempore evangelium adeo diversum a synopticis esset receptum. Melius dici debet, hoc ipsum quod evangelium hoc a synoptica narratione et docendi ratione Christi adeo recedens tamen a tota antiquitate habitum est evangelium ab apostolo conscriptum, iam sufficienti argumento esse originis vere apostolicae. Neque ullo pacto verum est quod asseritur : evangelium demum ex anno 180-200 habitum esse opus apostoli (Holtzmann, Handcommentar p. 10) vel in fine saeculi secundi demum non solum ab Irenaeo, sed generatim ab Asianis apostolum creditum esse auctorem evangelii et apocalypseos; nam opinio haec non tum demum orta est quando a Theophilo, Irenaeo, auctore canonis muratoriani litteris est consignata, verum horum testimoniis sententia demonstratur diu iam vigens et ubique per orbem catholicum recepta. Sed recentiores quidam ita loquuntur ac si tum demum res exsistere coepisset, cum primum habeatur scriptum eius testimonium. At quod Irenaeus circa an. 175 scripto testatur de evangeliis, non eo anno didicit, sed tamquam rem testatur quam ab apostolis eorumque discipulis traditam semper novit.

VI. — Cur potissimum negent Ioannem auctorem.

Candide fatetur *Weizsaecker,* cur apostolus nullo modo cogitari possit auctor evangelii, rationem praecipuam, quacum comparata reliqua omnia sint solum secundaria et subordinata, eo contineri quod Iesus in hoc evangelio describatur tamquam Logos incarnatus. Nulla enim, inquit, magnitudo fidei et philosophiae sufficere potest, ut in apostolo qui cum Iesu vixit vera eius imagine vitae plane exstincta exorta sit notio et forma personae divinae, ut ipse apostolus sibi persuaserit se una cum Logo divino incarnato familiarissime vixisse (Apostolisches Zeitalter p. 517); nullo enim modo cogitari posse, apud aliquem apostolum fidem Christi potuisse coniungi cum doctrina de Logo (l. c. p. 537). Eodem modo loquitur *Holtzmann,* esse aenigma psychologicum, quomodo is qui Iesum illum, virum vere historicum, quotidie viderit et audierit et modum eius docendi popularem noverit, ad id

pervenire potuerit, ut imaginem eius adeo determinatam mutaret et transfunderet in incarnationem τοῦ Λόγου, cui sermones adscriberet modo alexandrinismo tinctos modo gnosticismo; imaginem veram historicam Christi imaginatione poetica esse exornatam et secundum id quod notione illa τοῦ Λόγου necessario exigeretur praeditam esse novis plane coloribus et lineamentis; Christum illum synopticum neutiquam cogitare potuisse de disceptationibus quibus se unum cum Deo probaret (Einleitung 3 ed. p. 446.450.452). Et in Handcommentar (IV p. 6) omnino consentit cum Weizsaecker afferens eius verba : disceptatio qua Christus de sua natura divina vel humana dissereret secundum leges historicas nequit cogitari (ist ein Geschichtsbild, das sich nie vollziehen laesst). Hac ipsa affirmatione divinae naturae nos iam transferri dicunt in tempus illud quo doctrina de Christo Deo tandem sit exculta, quae explicatio fieri non potuit per apostolos, sed per discipulos apostolorum (Handcommentar p. 5.13.23; Weizsaecker l. c. 517.526).

Hoc utique concedendum est evangelium hoc non posse concipi opus apostolicum, si doctrina de Christo Deo exorta est tempore posteriore. At isti non advertunt Christi divinitatem iam satis clare contineri in epistolis paulinis (cf. Gal. 1,1; 4,4. 2 Cor. 8,9. Rom. 9,5) et praesertim iis locis, ubi quae in vetere testamento dicta sunt de Iahve, explicantur de Christo (Rom. 10,13. 1 Cor. 10,4 etc.). Neque advertunt divinam Christi naturam etiam apud synopticos exprimi; ita clare Matth. 11,27 : nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (cf. Matth. 3,17; 14,33; 16,16; 17,5; 22,45; 24,31; 26,64; 28,19). Atque etiam secundum synopticos divinitas Iesu iam enuntiatur eo quod Ioannes baptista dicatur vox esse clamantis : parate viam Domini (Iahve; Matth. 3,3; 11,10. Marc. 1,3; cf. Luc. 1,17. 32). Proinde etsi res solum historice consideratur, ab apostolo Christum haberi ac describi Deum nemini offensioni esse potest. Neque minus describitur Iesus omniscius apud synopticos, quam apud Ioannem. Apud utrosque enim exhibetur nosse secretas hominum cogitationes et nosse quae futura sunt; vide Matth. 12,25 : Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis; Luc. 9,47 : at Iesus videns cogitationes cordis illorum; 11,17 ipse autem ut vidit cogitationes eorum; et de rebus futuris annuntiat Matth. 16,21; 17,9; 20,18; 21,2; 24,15; 26,34. Marc. 11,2; 13,14; 14, 13,27.30; Luc. 19,30; 22,34. Adde Iesum propria auctoritate peccata remittere, se exhibere dominum sabbati, maiorem angelis, ita continuo loqui de Patre suo, ut ostendat se esse singulari prorsus et propria ratione Filium; cogita de nuntio angeli ad beatam Virginem, de Patris testimonio in baptismo, de summa potestate qua Iesus dicat se in ultimo iudicio et vitam aeternam et supplicium aeternum decreturum (cf. Matth. 9,6;

12,8; 25,41. Marc. 13,32. Luc. 1,32; 3,23 etc.). Unde patet apud ipsos synopticos satis clare altiorem Christi naturam ac divinam indicari. Verum illud potius nulla ratione explicari potest, quod illi nobis persuadere volunt et quod nihil est nisi aenigma psychologicum, quomodo scil. discipuli apostolorum eum Deum putarint quem apostoli solum hominem fuisse docuissent; verum non solum aenigma est, sed res quae nequit cogitari.

Dicunt praeterea aliam prorsus imaginem Christi exhiberi in quarto evangelio, quam apud synopticos. Ita ei attribui potestatem miracula patrandi quae longe excedat illam quae apud eos deprehendatur (Handcom. p. 9) : aquam mutari in vinum; aegrotos sanari itinere dierum distantes, claudum 38 annorum, caecum a nativitate, mortuum iam ex quattuor diebus resuscitari. Sed en, apud synopticos potestatem miracula patrandi etiam duodecim discipulis largitur : infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite (Matth. 10,8. Luc. 9,1), et ad septuaginta quoque dicit : curate infirmos, qui reduces referunt : etiam daemones subiiciuntur nobis in nomine tuo (Luc. 10, 9. 17). Nonne maior quaedam potestas apud synopticos exhiberi videtur, quia eam tot aliis potest tribuere? Et qui ipse mortuos excitat et hanc potestatem aliis largitur, hanc mensuram potestatis non longe superat mortuum quatriduanum suscitando. Apud synopticos mulier sanatur sanguinis fluxum passa per annos duodecim (Matth. 9,20. Marc. 5,25. Luc. 8,43) et alia per octodecim annos alligata a satana (Luc. 13,16); apud synopticos Iesus non solum sanat solo nutu voluntatis aegrotum absentem, verum iam a priore creditur a centurione id posse efficere. Porro si considerantur quae referuntur Matth. 8,16; 9,27; Marc. 1,32. Luc. 6,19 etc., iam elucet immerito asseri in quarto evangelio potestatem longe maiorem. — Praeterea monent Iesum in hoc evangelio statim ab initio suae dignitatis sibi esse conscium, semper manere eundem in hac gloriae suae manifestatione, solum de se et sua natura divina loqui, exhiberi omniscium; dum apud synopticos Iesus paulatim in cognitione muneris sui proficiat, primo de eo in baptismo eruditus, tentationibus probatus, indigens pro se oratione ad Deum; omitti in quarto evangelio quae naturam divinam dedeceant, agoniam in horto, derelictionem in cruce; sitis mentionem fieri solum, ut consummaretur Scriptura (Holtzmann, Einl. p. 431.444; Handcom. p. 4.9). Verum haec omnia per se diluuntur, dummodo quis sciat Christum Deum esse et hominem et Ioannem ea omittere plerumque quae ab aliis narrata sunt. Insuper opus est ut synopticis non ea adscribantur quae minime docent; ita nullatenus docent Iesum baptismo tandem didicisse se esse forsitan Messiam. Neque apud Ioannem desunt quae animum eius humanum variis affec-

tibus moveri ostendant; vide 11,33.35.38 et praesertim 12,27 quae verba eundem affectum produnt ac Luc. 22,42. Cur docendi ratio sit alia et debeat esse alia, facile patet; voluit enim evangelista demonstrare contra Iudaeos, Iesum de se, sua missione et natura luculentissima testimonia ducibus synagogae exhibuisse. Quare hi Iesu sermones iis solum videntur ficti, qui divinam Christi naturam negant et qui ideo *sibi* fingunt discipulos apostolorum paulatim Iesum ad Dei dignitatem provexisse et evangelium hoc exhibere nobis hunc progressum eumque absolvere (Handcom. p. 5. 13. 23).

Quamvis itaque evangelista in Iesu voluerit Λόγον nobis proponere, tamen notionem τοῦ Λόγου ab eo non ex necessaria consecutione esse explicatam et confectam contendunt. Nam ex una parte exhiberi Deum loquentem, volentem, amantem, agentem immediate per se ita ut Λόγος non intercedat, ex altera parte exhiberi Iesum qui de morbo Lazari debeat per nuntium edoceri, et debeat sorores interrogare, ubi positus sit quamquam mortem eius ex omniscientia sua noverit; mortuum verbo suscitari; ibi contineri symbolum eius quod futurum sit in consummatione saeculi, et tamen Iesum lacrimas fundere, dum eat ad sepulcrum (Holtzmann l. c. 445; Handcom. p. 10). Utique, si evangelista habuisset notionem illam Philonis de Deo et Logo, tum debuit Deum ita concipere, ut nullo modo directe et immediate agere possit, verum plane semotus ab omni commercio cum mundo sit. Reliqua quae obiiciuntur, solum ostendunt evangelistam rem vere gestam narrare eamque, uti decet eum qui vere homo est et Verbum incarnatum; utique si voluisset ficta narratione praefigurare id quod Iesus exaltatus in consummatione saeculorum creditur facturus, non fecisset Iesum rogantem : ubi posuistis eum, nec lacrimas fundentem etc. Proinde sumatur narratio, uti proponitur — et omnia bene congruunt!

Insuper plurima reperiri obiiciunt quae narrationi synopticae contradicant; ita baptistam apud synopticos in carcere demum suspicari fieri posse, ut propheta ille potens Galilaeus sit Messias; hic vero iam antequam Iesus appareat de eo eiusque munere reddere testimonium, immo iam de eius passione : ecce agnus Dei; apud synopticos Iesum per annum versari in Galilaea, tum ascendere in urbem et pati; hic Iesum praedicare per duos vel tres annos, saepius ac diutius versari in urbe et praecipue Iudaeam proponi provinciam, in qua munere suo functus sit; apud synopticos Iesum solum tempore posteriore sibi attribuere dignitatem messianam, hic statim ab initio et statim ut talem agnosci; secundum synopticos evangelium transire ad gentes, quia Iudaei id repudiarint; hic vero gentes aequo iure ad regnum messianum pertinere; Ioannem apostolum exhiberi Gal. 2,9 tuentem obser-

vationem legalium et praedicationem Iudaeis faciendam, auctori autem evangelii Iudaeos esse solum inimicos Messiae, ab omni spe exclusos, filios diaboli (cf. Holtzmann l. c. p. 432. 443. 448. 458; Handcom. p. 4. 17; Weizs. l. c. p. 523; Jülicher, Einleitung, p. 257).

Pauca quaedam reponere sufficiet. Baptista etiam apud synopticos annuntiat statim ab initio τὸν ἐρχόμενον; « fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, qui baptizabit in Spiritu sancto et igni; cuius ventilabrum in manu sua, permundabit aream suam, congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili » (Matth. 3,11. 12. Marc. 1,7. 8) et talia dicit, cum populus cogitaret, ne forte ipse esset Christus (Luc. 3,15). Iam hisce satis clare designat et annuntiat Messiam; immo divinam eius naturam innuit in baptismo Spiritus sancti et in sorte aeterna quam bonis et malis attribuet. Eum in carcere non dubitasse, iam ex eo elucet, quod dicitur audisse opera *Christi;* cur miserit discipulos, vide quae dixi ad Matth. 11,2. Porro ex vaticiniis messianis satis apparet fore ut Messias expiet peccata et auferat (Is. 53.); quare baptista etiam dicere potuit quod 1,29 refertur et Luc. 3,18 insuper legitur, multa quidem et alia eum evangelizasse; ergo potuit discipulus baptistae scire effatum quod apud synopticos non legitur. — Dein reperiuntur apud synopticos indicia commorationis Iesu frequentioris in urbe; nam illud : Ierusalem, Ierusalem, quoties volui etc. (Matth. 23,37) non potest aliter intelligi, cum Iesus id in ipsa urbe proferat; inepte provocatur ad Gal. 4,25, ut ostendatur[1] non intelligi ipsos urbis incolas — at quid tandem sibi vult quod immediate additur : ecce relinquetur vobis domus vestra deserta? Dein Matth. 4,25 Iesum sequuntur turbae de Ierusalem et de Iudaea, pariter Marc. 3,7 turbae de Iudaea, et Luc. 5,17 et 6,17 pharisaei et legis doctores et turbae de Iudaea et Ierusalem; proinde ita notus erat in Iudaea, ut ad eum in Galilaeam confluerent; id quod omnino supponit eum fuisse in urbe; Lucas ter mentionem facit itineris in urbem (9,51; 13,22; 17,11); iam valde improbabile est *unum* iter ita ter designari; Iesus prope urbem habet familiares (Luc. 10,38), Ioseph synedrista, qui igitur in urbe vivebat, discipulus est Christi

1. Ita v. g. vult Holtzmann (Einl. 3 ed. p. 448) ex Gal. 4,25 probare, filios Ierusalem non referri ad incolas urbis. Candide vero fatetur Strauss : hier sind alle Ausflüchte vergebens, und man muss bekennen, sind das wirklich Worte Iesu, so muss er oefter und laenger als es den synoptischen Berichten nach scheint, in Ierusalem thaetig gewesen sein (i. e. in verbis omnia effugia excludi; si haec verba a Iesu dicta sint, necessario sequi eum saepius et per longius tempus in urbe praedicasse, etsi id a synopticis non referatur; cf. Leben Iesu 1864, p. 249). Quid ergo facit? num fatetur veram esse narrationem Ioannis? minime; ad id recurrit quod facere solent, si textus adsunt contra opiniones praeconceptas, verbum : *quoties* tamquam spurium delet!

(Matth. 27,57). Porro vehementes illas increpationes quas Iesus in principes sacerdotum et seniores populi congerit Matth. 21. 23 seq. solum intelligere poteris, si Iesus saepe coram ipsis doctrinam suam praedicavit. Quomodo alias iis posset opponere : amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedent vos in regnum Dei? quomodo fieri posset, ut Iesum prima vice in urbem ingressum iam illo odio persequerentur et statim eum interficere statuerent? Quae apud synopticos de morte Christi narrantur, quam mortem principes sacerdotum et seniores populi tanta malitia moliuntur, evadunt aenigma psychologicum, nisi narrationem Ioannis supponas. Utique ex frequentioribus illis disceptationibus et oppugnationibus, quae Ioan. 5. 7. 8. 9. 10 habentur, declaratur odium illud letale in Iesum, quod principes sacerdotum et seniores populi gerunt, i. e. illi ipsi quos Ioannes cum emphasi Iudaeos nominare solet. Praeterea nullibi dicunt synoptici Iesum solum per annum praedicasse; e contra Luc. 6,1 indicat tempus inter pascha et pentecosten, postquam Christus iam diutius praedicavit. — Neque verum est apud synopticos solum tempore posteriore Iesum sibi attribuere dignitatem messianam (Marc. 8,29); eam enim iam clare profitetur Luc. 4,18 seq. et Marc. 8,29 non id agitur, ut discipuli de hac dignitate edoceantur, sed ut hac fide roborati doctrinam percipiant de Messia *patiente;* hoc novum est et ab eorum notione alienum; ad id audiendum praeparantur fidei Messiae iam habitae aperta professione. Neque verum est secundum synopticos evangelium ideo solum transire ad gentes quia Iudaei id repudiarint. Id minime enuntiatur Matth. 8,11; et 21,41 seq. solum iusta poena denuntiatur recalcitrantibus; alias solum exprimitur Iudaeis primis fieri annuntiationem (Matth. 22,3); evangelium omnibus destinari et offerri clare edicitur Matth. 24,14; exhibetur iam in explicatione parabolae seminis : ager est *mundus* ὁ κόσμος Matth. 13,38; discipulis dicit : vos estis lux mundi (Matth. 5,14); declaratur verbis illis : euntes docete omnes gentes etc. (Matth. 28,19), euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae (Marc. 16,15) et oportet praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes (Luc. 24,47). Ex Gal. 2,9 nihil potest concludi contra Ioannem auctorem evangelii. Nam dignitas et iura populi electi omnino servantur et vindicantur in evangelio : Iudaeis fit annuntiatio per baptistam, Iesus ipse omni conatu iis solis testimonia et signa exhibet; solum per duos dies sine ullo miraculo versatur apud Samaritanos; aperte profitetur : salus ex Iudaeis est. Verum, uti Paulus (Rom. 9) explicare debet, cur Iudaei quibus haec salus missa est illam non admiserint, ita Ioannes triste illud declarare debet : sui eum non receperunt; quare non potuit si-

lentio premere contumaciam et perversitatem Iudaeorum; ideo debuit ea describere quae in urbe gesta erant.

Porro vestigia deprehendi gnostica obiicitur; reperiri dualismum gnosticum in illa oppositione inter regnum Dei et regnum mundi (8,23; 15,19; 17,14. 16), inter Deum et diabolum (8,44. 47), lucem et tenebras (1,4. 5. 10; 3,19-21; 12,35), veritatem et mendacium (8,44; 18, 37); saepius illam proponi doctrinam fieri non posse, ut qui nativitate ad mundum pertineat ad beatitatem pertingat (3,3. 5. 27; 8,43. 47; 10,26; 12,37-40; 14,17; 17,9), quamvis concedatur eam doctrinam ab auctore non necessaria consequentia ubique retineri (1,7. 29; 3,15-17; 12,47). Haec ultima clausula iam ostendit vitium non esse apud auctorem, sed apud eius interpretem. Et revera auctor nihil aliud affirmat nisi opus esse, ut quis regeneratione spirituali, dono coelitus accepto, docili erga Deum obedientia aptus evadat ad salutem accipiendam; fore, ut multi eam salutem repudient et animos exhibeant a Deo alienissimos et mendacio deditos. Si hoc evangelium dualismi gnostici accusatur, eodem iure synoptici quoque accusari debent, id quod tamen nemini hucusque in mentem venit. Nam synoptici quoque norunt oppositionem inter regnum Dei et regnum mundi, inter Deum et diabolum. Quae oppositio describitur in sermone montano (Matth. 5,3 seq. Luc. 6,21); habetur in sententiis et parabolis : non potestis Deo servire et mammonae; bonus homo de bono thesauro profert bona, malus homo de malo thesauro profert mala; non veni pacem mittere sed gladium, separare hominem adversus patrem; qui non est mecum, contra me est; idem habetur in parabola de bono semine et zizaniis; item si filii sapientiae opponuntur generationi isti malae (cf. Matth. 6,23; 10,34; 11,19; 12,30. 31; 13,24 etc.). Pariter sciunt synoptici diabolum adversarium Dei (cf. Matth. 4,1-11; 12,28. 43-45; 13, 19. 39 etc.). Neque notiones illas lucis et tenebrarum debuit auctor petere ex gnosticismo; hae notiones iam exsistebant simili plane modo et in vetere testamento et apud synopticos. Deus ipse lucis symbolo describitur (Ps. 103,2. Sap. 7,26 etc.), qui notiones boni et mali pervertunt dicuntur ab Isaia ponentes tenebras lucem et lucem tenebras (5,20); qui in ignorantia et peccatis vivunt dicuntur ambulare in tenebris, sedere in umbra mortis; ut eripiantur, promittitur illis lux magna (Is. 9,2. Matth. 4,15); psalmista orat : Deus illumina tenebras meas; exortum est in tenebris lumen rectis, lucerna pedibus meis verbum tuum (17,29; 111,4; 118,105); iustorum semita lux splendens, via impiorum tenebrosa; mandatum lucerna est, lex lux (Prov. 4,18; 6,23) et Luc. 1,79 legimus : oriens ex alto visitavit nos illuminare his qui in tenebris sedent, et Christus ipse loquitur de potestate tenebra-

rum (Luc. 22,53), monet ne lumen quod in te est tenebrae fiant (Matth. 6,23); Messias praedictus est caecis visum redditurus et Iesus de se hoc explicat (Luc. 4,19. Is. 60,3); apostolus loquitur de operibus tenebrarum, de potestate tenebrarum, de armis lucis; et quantopere eiusmodi notiones Iudaeis sint familiares, ostendit quia Iudaei se iactant esse lumen eorum qui in tenebris sunt (Rom. 2,19; 13,12. Col. 1,13) et Petrus quoque dicit Deum nos vocasse de tenebris in admirabile lumen suum (1 Pet. 2,9; cf. Act. 26,18 etc.). Cum itaque haec metaphora adeo sit frequens et ad multiplicem significationem apta, profecto auctor evangelii minime opus habuit eam a gnosticis petere, qui ea abusi sunt. Apud synopticos beatitas nomine vitae, vitae aeternae describitur : arcta est via quae ducit ad vitam; ad vitam ingredi, in vitam intrare, vitam aeternam possidere (Matth. 7,14; 18,8. 9; 19,27. 29; 25,26; item in locis parallelis Marc. Luc.). Haec vita nobis obtingit per Christum, in quem oportet credere : omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo; venite ad me et ego reficiam vos; beatus qui non fuerit scandalizatus in me (Matth. 10,32; 11,6. 28). Hac itaque ad Christum habitudine acquiritur vita aeterna. Apud Ioannem hoc discrimen advertitur, quod salus messiana etiam eo modo quo hisce in terris possidetur, iam appellatur vita. Sed transitus ad hunc usum vocis vitae est sat facilis, quia salus messiana qua nobis vita aeterna contingit, revera hisce in terris a filiis Dei possidetur; regeneratione novam illam vitam iam acquisierunt. Unde hic usus vitae apud Ioannem nequit afferri, ac si contra doctrinam synopticorum esset; multo minus ex gnosticismo peti potuit.

Neque eo constituitur discrimen doctrinae quod apud Ioannem quam maxime fides in Christum postulatur. Verum quidem est credendi necessitatem magis apud eum efferri saepiusque commendari; sed id minime deest apud synopticos. Nam apostoli beati praedicantur qui Christum vident et audiunt et Iesus affirmat : amen quippe dico vobis quia multi prophetae et iusti cupierunt videre quae videtis (Matth. 13,16.17; Luc. 10,24), quo loco idem enuntiatur quod Ioan. 8,56 in exemplo Abraham demonstratur. Ioannes baptista omnibus prophetis praefertur quia Christum vidit (Matth. 11,10); Petrus beatus praedicatur, quia Christum cognovit (Matth. 16,17), magnam mercedem accipit qui parvulum in nomine Iesu suscipit; maxima poena dignus est, qui scandalizaverit unum de pusillis qui in eum credunt. Christus postulat, ut ipse omnibus praeferatur : qui amat patrem et matrem plus quam me non est me dignus, et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus (Matth. 10,37); ut vita ipsa pro se profundatur severe exigit (Matth. 10,39. Luc. 9,34) idem scil. quod Ioan.

12,25 a suis postulat. Item plenam abnegationem, renuntiationem exigit, ut quis possit esse discipulus, ut quis se sequi possit (Matth. 16,24. Luc. 9,23;14,26.33). Et iis qui relictis omnibus ipsum sequuntur, amplissima praemia promittit (Matth. 19,29). Hisce adde quod modo dixi, quomodo qui ipsum confitetur hunc ipse quoque confessurus sit coram Patre suo, et quam poenam ei intentet qui ipsum negaverit (Matth. 10, 32.33. Marc. 8,38. Luc. 9,26; 12,8). Proin minime dici potest apud Ioannem *personam* Christi ita unice efferri, ut neutiquam apud synopticos.

Dein multas in ipso libro invenisse sibi videntur contradictiones aliaque quibus indoles historica destruatur; ita Christo adscribi dicta quae inter se pugnent 3,17 et 12,47 et 9,39 — at priore loco et altero dicit Iesus se non esse missum ut iudicaret mundum; et alio loco indicat rebus a se gestis fieri, ut inter homines fiat discretio, manifestentur mali et boni; et 5,22 sibi adscribit id quod apud synopticos habetur scil. sibi iudicium in consummatione saeculi esse commissum. Neque inter se pugnant dicta 5,31 et 8,14; prius enim dicitur ex mente adversariorum tamquam assumptio quaedam, alterum ex rei veritate; nam testimonium quod Iesus de se fert, certe valet, etsi Iudaei illud non admittant; inter se pugnare dicuntur verba 7,39 et 13,31 — at Christus vario modo clarificatur; — inter se contradicere aiunt 13,18. 19 et 6,70; 14,16 et 16,26; sed sufficiet legere, ut appareat nullam adesse sententiarum pugnam; nam Christum dicere se rogare Patrem ut mittat paracletum, et postea docere efficaciam orationis apostolorum, quae tandem fingi potest contradictio, nisi quis solis verbis inhaereat : ego rogabo — non dico quia ego rogabo; at *quae* roget, plane diversa sunt in utroque loco, et alia huiusmodi afferre non puduit Holtzmann (Handc. p. 22); ad quae refer : « in montem, ad quem 6,3 ascendit, Iesus iterum 6,15 ascendit, quamquam interea eum non reliquerat »; « sermo qui 6,25 in litore haberi cogitandus est, postea 6,59 in synagogam transfertur »; « iam 9,22.34 et 12,42 Christus cum suis e synagoga exclusus est; at 16,2 hoc suis annuntiat solum pro tempore futuro »; fieri non posse ut Iudaei dixerint 7,35 : quo hic iturus est, quia non inveniemus eum; numquid in dispersionem gentium iturus est? ; verum *talia* refutare non erit opus. Alia quae tamquam obscura accusantur, solum obscura sunt, quia non eum Iesum intelligunt critici, quem Ioannes describit; v. g. quomodo Iesus possit esse in terris et simul in coelis (3,13; 12,26; 14,3; 17,24).

Porro contendunt in evangelio non narrari res tempore Christi gestas, sed eventus designari et depingi qui tempore posteriore evenerint; ita historiam scribi non Christi, sed ecclesiae; multa illa quae

1,6-4,1 de baptista referantur, et quae de Samaritanis 4,31-42 habeantur, non esse ex tempore Christi, verum alludere ad Act. 19,1-7 et 8,5. 8. 14 et narrare, quomodo discipuli Ioannis et Samaritani iam receperint evangelium; pariter 3,22 et 4,1.2 doceri ritum baptismi iam esse receptum; cap. 10 exhiberi quomodo de officiis antistitum eo tempore iudicatum sit; cap. 11 agitari quaestionem aetatis apologetarum de resurrectione; 12,20 seq. non tempore Christi gentiles voluisse eum videre, sed depingi quomodo res christiana iam ad Graecos transierit; etiam cap. 1 describi quomodo coetus christianus incrementa capiat fratre fratrem ad Christum adducente; cap. 9 exhiberi quomodo quaecumque synagoga astute excogitaverit contra rem christianam, incassum ceciderint; (quae caeco sanato 9,34 inflicta dicantur, christianis pro futuro annuntiari 16,2; en argumentum, narrationem illam esse symbolicam); immo in ipso quoque Pilato 18,29-19,16 cerni descriptionem modi agendi procuratorum et iudicum romanorum; eodem modo 9,35-10,21 proponi propagationem evangelii iam factam et eius triumphum 14,14; 16,24. 33; exhiberi mutuam illam caritatem, quam gentiles in christianis sint admirati 13,35 et 14,15; refutari calumnias de conviviis thyestheis 6,59. Insuper clara adesse vestigia temporis posterioris: 4,38 misi vos metere etc.; 17,20, proin iam multos sese rei christianae addixisse; 10,16 gentiles iam esse adductos; 10,12 et 15,4.6 exstitisse iam malos antistites; alios iam a re christiana defecisse; de paracleto fieri sermonem, ut commendentur novae illae cognitiones quae invaluerint post tempus apostolorum; at paracletum mitti a Christo et promitti apostolis, ut novae illae cognitiones tamen exhibeantur non alienae a Christo etc. (cf. Holtzmann, Einl. p. 451; Handcom. p. 5.8; Weizs. l. c. p. 518 seq. 523; Jülicher, Einleitung p. 248).

Quae singula refutare piget, neque opus erit. Toto enim narrandi modo qui adeo res singulas effert ac determinat, illa explicatio refutatur; vide v. g. haec in Bethania facta sunt trans Iordanem; altera die... altera die iterum stabat... hora autem erat quasi decima (1,28 seq.); erat baptizans in Aennon iuxta Salim; Sichar iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo; Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem; hora erat quasi sexta; reliquit hydriam suam mulier etc. Ita in singulis narrationibus multa occurrunt adeo propria, definita et determinata, adeo sensibus subiecta, adeo loco et tempore circumscripta, ut appareat res vere gestas auctorem narrare; vel quid haec omnia sibi vellent in illa acceptione, secundum quam res et eventus saeculi secundi ineuntis depingantur? num ullam admittunt explicationem non dico probabilem, sed saltem tolerabilem?

Simili modo obiiciunt cerni usum typologiae posterioris temporis;

ita 2,19. 21; 3,14; 6,31; 19,36. 37. Sed si typologia haec cum illa in evangelio Matthaei comparatur, plane non intelligitur, quaenam haberi possit ratio contra originem apostolicam. Nonne apud synopticos Iesus ipse typo usus est in signo Ionae (Matth. 12,40) neque profecto frustra narratur Iesum suis exposuisse quomodo omnia oportuerit in se impleri quae scripta sint in lege, in prophetis, in psalmis (Luc. 24,44).

Res narratas symbola esse et involucra doctrinarum; non ita ut ex rebus vere gestis aliquid doctrinae colligatur, sed ut totum allegorice accipiendum sit. Tali modo apostolum non scribere concedi potest. Quare dicunt statim in nuptiis in Cana patere, non rem vere gestam exhiberi; nam narrationem sensu litterali acceptam offensioni esse et 2,4 auctorem satis ostendere se velle, ut relicta littera symbolum vel πνεῦμα concipiatur : is scil. qui tamquam sponsus venit manifestat laetitiam evangelii de regno Dei; mater repraesentat periodum anteactam (Apoc. 12,1. 2. 5). Similiter regio samaritana occurrit Christo ut mulier quae in se sortem praeteritam regionis exhibet (4,18 i. e. 2 Reg. 17,24. 28-33; Iosephus, Antiq. 9,14,3); suum populum Iesus invenit in aegroto illo qui habet annos 38 in infirmitate; panis ille quo populus reficitur, non est nisi symbolum, quo panis vitae coelestis adumbretur; sanatio caeci nati significat ablationem caecitatis spiritualis; item resuscitatio Lazari doctrinam resurrectionis symbolo exprimit etc. (cf. Holtzmann, Einl. p. 449). Alia explicationis portenta alii invenerunt, ut rem vere gestam sensumque litteralem negarent : nuptiis in Cana proponi illud : beati qui ad nuptias agni vocati sunt (Thoma); in narratione de muliere samaritana depingi Gen. 24,13 seq.; pro Lia quae erat lippis oculis Messiam sibi acquirere Rachel, Samariam (Thoma); alii in muliere samaritana gentes vident depictas evangelii cupidas (Hoenig). Regulus ille 4,46 et aegrotus 5,5 personificatione quadam exhibent iudaismum, cuius filii aegroti sunt et qui ipse est plane debilis et impotens, verum a Messia sanatus vigori restituitur (Hoenig; cf. Keppler, Composition des Ioh. Evang. p. 27. 38. 46).

Verum haec singula reiicienda sunt. Nullum reperitur vestigium seu indicium quo auctor innuat se non rem vere gestam, sed allegoriam vel parabolam proponere; e contra singula ita exprimit ac determinat conditionibus loci, temporis, ut in rebus gestis enarrandis fit. Praeterea attende quam coacte singula explicentur aliter quidem ab aliis, quae ipsa explicationis varietas argumento est erroris, dum acceptio litteralis maxime obvia est et simplex et antecedentibus et consequentibus cohaerens. Veteres ex rebus gestis doctrinam colligunt et explicationi litterali saepe adnectunt explicationem allegoricam, tropolo-

gicam; recentiores hi qui saepe contra veteres gloriantur de methodo unice sana interpretationis grammatico-historicae iam ad putidum genus omnia allegorice interpretandi delapsi sunt. Sed quid nos inde discemus? en quibus conatibus vere desperatis opus habent, ut evangelii originem apostolicam possint negare!

Alii quoque ex erroribus geographicis et historicis apostolicam originem negare conabantur (cf. *Cornely* l. c. p. 231). Ex hisce unum solum retinent quod valeat et quod obiiciant Holtzmann et Jülicher: Caipham dici pontificem anni illius (11,49. 51; 18,13); proinde supponi singulis annis dignitatem pontificalem ad alium transferri, quem « errorem » Holtzmann ex consuetudine explicat secundum quem in Asia proconsulari singulis annis pontifex constituebatur et annus ex eo designabatur (cf. Mommsen, Roemische Geschichte V p. 318). Sed cum Caiphas pontifex illius anni dicatur, solum affirmatur eo anno adeo pro re christiana memorabili eum munere functum esse; utrum antea vel postea tenuerit sacerdotium neque affirmatur neque negatur; multo minus ea locutione asseritur mutatio ex consuetudine singulis annis facta. Ceterum vide ad 11,49.

Ex antiquissimis et certissimis testimoniis docemur apocalypsin opus esse Ioannis apostoli, id quod satis clare in ipso libro asseritur et confirmatur auctoritate illa qua sermo fit ad septem ecclesias. Interpretes catholici hisce testimoniis historicis ducti et evangelium et apocalypsin Ioanni apostolo attribuunt (cf. Hug, I. M. Aug. Scholz, Ad. Maier, Aberle-Schanz, Kaulen, Cornely, Bacuez etc. in libris introductoriis), item multi ex acatholicis, vide v. g. quos enumerat Düsterdieck (Offenbarung Joh. 3 ed. p. 66). Verum haud pauci ex acatholicis vel utrumque vel alterutrum negant. Sunt enim qui apocalypsin quidem apostolo adscribunt, sed ideo evangelium ei abiudicant (Baur eiusque schola, Koestlin, Hilgenfeld, Krenkel, Davidson, Völter etc.) vel qui evangelium ei attribuunt, at propterea apocalypsin ab eo esse scriptam negant (Lücke, Credner, Bleek, Ewald, Neander, Düsterdieck); et res iam eo processit, ut asserere non dubitent, omnes qui via et ratione de libris iudicare sciant affirmare: rem esse exploratam fieri non posse, ut qui scripserit apocalypsin etiam evangelium litteris mandaverit, et pariter, ut qui evangelium composuerit, idem sit auctor apocalypseos (cf. Holtzmann, Einl. p. 422. 458, ubi alios eius sententiae patronos enumeratos habes).

Quare de hac quoque quaestione hic aliqua dicenda sunt et videndum, sitne illud « aut-aut » uti loqui solent, adeo firmum et inconcussum, ut aut evangelium aut apocalypsin Ioanni oporteat abnegari et alterum solum ei servari possit altero abiecto. Primo iam notandum

est quod omnes concedunt intercedere inter opus utrumque sat magnam similitudinem, ita ut opus utrumque ad eandem originis regionem, ad eandem quasi scholam referendum sit et ut uterque auctor ex eodem fonte hauserit. Eam utriusque operis cognationem iam cernit probatam Weizsaecker eo quod ex omnibus novi foederis libris soli isti duo Iesum annuntiant esse Λόγον; uti in evangelio, ita in apoc. quoque modo plane sublimi magnum illud praedicari mysterium de Iesu eum esse Λόγον; atque id esse summum quod de eo enuntiari possit; in utroque opere Iesum designari Agnum et praeter haec duo praecipua quibus iam cognatio statuatur, utrique libro alia esse propria quibus eaedem sententiae et imagines exprimantur: cultum Dei sine templo, aquam vitae, Iesum venire ad suos et manere cum eis, eandem esse notionem ἀγάπης et ἔργων; haec tamen non sufficere, ut idem auctor utriusque operis statuatur (Apostolisches Zeitalter, 2. ed. p. 484 seq.). Eadem Holtzmann quoque l. c. p. 459 concedit.

Discrimina inter utrumque opus exsistere nemo negat. Argumentum enim utriusque valde diversum est. Quare tota quaestio ad id reducitur, ut prudenti iudicio statuatur quid in materia adeo diversa ab eodem auctore praestari possit, quid non ad eundem referri queat. Ita scil. procedunt qui neglectis testimoniis historicis rem dirimere volunt solis rationibus internis. Res est sane salebrosa. Et multum sibi confidere is debet qui putet apud se statuere posse quid idem scriptor quem ex uno libro novit scripturus sit vel non scripturus in alio opere plane diversi et temporis et argumenti. Quare in re nostra bene adnotat Düsterdieck non a solis observationibus criticis rem in alterutram partem definiri, verum hanc definitionem occulte regi ab assumptionibus theologicis, quae in ipsum iudicium illud criticum iam vim quandam exerceant. Unde omnino concedit, posse pro utroque opere unum bene statui auctorem ab eo, qui existimet in apocalypsi ea describi quae non ab auctore excogitata, sed ab eo divinitus percepta et oculis mentis visa sint (l. c. p. 69 seq.).

Cum itaque testimonia historica exsistant certissima et insuper cognatio quaedam utriusque operis ab omnibus agnoscatur, nulla adest ratio solida recedendi ab uno auctore. Atque quae in contrarium afferuntur, neutiquam rem evincere, ex ipsa opinionum varietate et diversitate haud immerito concluseris. Ita v. g. Harnack leviter irridens acumen criticorum, affirmat se profiteri « criticam haeresin » de uno utriusque operis auctore (quem utique non Ioannem apostolum, sed illum Ioannem presbyterum esse vult, Chronologie I p. 675).

Qui unum auctorem assumi posse negant, tria afferre solent, ni-

mirum cerni in apocalypsi proprietates linguae, descriptionum, doctrinarum, quae uni eidemque scriptori adscribi nequeant.

Proprietates linguae quae in apocalypsi notantur hae sunt: saepe ponitur participium pro tempore finito 1,16; 4,1. 5. 8; 5,6; 7,9. 10 etc.; tempora verbi promiscue adhibentur 4,9-11 (1,7; 2,5. 16) 3,9; 6,15. 16; 11,9. 10 etc.; peccatur contra grammaticam in usu casuum 1,5; 2,20; 3,12; 4,4; 6,1 etc. et in usu generis 4,1. 3; 11,15; 14,19; adhibetur genetivus loco nominis adiectivi aliis genetivis adiunctis 14,8. 10; 16,19; 18,3 etc.; pronomen demonstrativum additur post relativum 3,8; 7,2; 13,12; 20,8 etc. Verba quae in evangelio et epp. frequenter occurrunt, non reperiuntur in apocalypsi, uti κόσμος, φῶς, σκοτία sensu translato, ζωὴ αἰώνιος, πνεῦμα τῆς ἀληθείας, παράκλητος, εἶναι vel μένειν ἔν τινι, ἐν εἶναι, ἀληθῶς, παρρησία, ὑψοῦν, γεννηθῆναι ἐκ τοῦ θεοῦ, τέκνα τοῦ θεοῦ, ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν etc. Alia leguntur in apocalypsi quae desiderantur in evangelio et in epistolis: ὁ δράκων ὁ μέγας 12,3; ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος 12,9; 20,2; ὁ πρωτότοκος τῶν νεκρῶν καὶ ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς 1,5; ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τῆς γῆς 3,14; οἰκουμένη 3,10; 12,9; 16,14; κρατεῖν τὸ ὄνομα, τὴν διδαχὴν 2,13. 14. 15; παντοκράτωρ 4,8 etc. (cf. Ad Maier, Einl. p. 466). Desunt in apocalypsi particulae ὡς temporale, καθώς, μέν, μέντοι, πάντοτε, πώποτε; in apoc. scribitur Ἱερουσαλήμ, ψευδής, ἰδού; in evang. Ἱεροσόλυμα, ψευστής, ἴδε (cf. Düsterdieck, Holtzmann, Jülicher).

At istis rem definiri non posse, collige ex his: participia frequentius poni declaratur ex modo visionis; describit enim id quod ei in visione erat ostensum; in aliis habentur hebraismi vel aramaismi, qui in evangelio quoque minime desunt; usus temporum varius explicatur partim ex modo visionis, partim ex indole eius qui aramaice cogitat et graece scribit. Aliis exemplis apparet scriptorem bene scire quo casu v. g. adhibenda sit praepositio ἀπό et quomodo appositio ex norma grammaticali sit conformanda; si hoc neglexit, consulto id fecisse censendus erit, ut ipsa notio maxime efferretur. Ceterum dictio in evangelio quae magis ad normam grammaticalem accedit etiam explicari et illustrari potest ex eo quod 21,24 indicatur. Uti enim apostolus ab asianis discipulis rogatus est ut evangelium scriberet, et uti hi simul suam persuasionem de veritate testimonii eius omnibus propositam volunt, ita non erit abs re assumere quod hi quoque curaverint sermonem ut adhiberet evangelista cultiorem neque adeo ab indole graeca alienum. Dein verba si spectas, sat multa explicantur diversitate argumenti. Describit visiones quae secundum partes plerasque veterum prophetarum visa referunt; quare color dicendi idem est; neque doctrinas exponit more docentis, sed symbolis signisque sibi

demonstratis; quare mirum non est verba illa non legi quibus in evangelio ad doctrinam tradendam uti debuit. Ex sermone prophetico utitur voce Ἱερουσαλήμ forma magis ad hebraeum accedente; ex ratione *visionis* (videt terram etc.) explicatur, cur non κόσμος, sed οἰκουμένη, οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς dicatur. Cum tot calamitates et afflictiones exhibeantur, non est mirum quod in apoc. commendetur ὑπομονή, ubi critici ex sermone evangelico παρρησίαν, χαράν exspectassent — sed quo iure? Ceterum bene notandum est, etiam in usu verborum phrasiumque multa adesse quae cum evangelio congruunt; ducentas phrases similes concedit Holtzmann (etwa 200 Phrasen verwandten Characters, l. c. p. 459). Exempla vide apud Ad. Maier l. c. p. 468. Alia quae reponi possunt ad eam diversitatem et minuendam et explicandam vide apud *Cornely,* Introd. III 2 ed. p. 704 seq.

Magnum exsistere aiunt discrimen in ipsa rerum perceptione ac descriptione; in apocalypsi enim omnia esse sensibus accommodata, sensibus subiici et exprimi imaginibus, symbolis; in evangelio vero sola mente et cogitatione cerni; ibi dominari imaginandi vim, hic tranquillam contemplationem ac sublimem veritatis; ibi praecedere ante Domini adventum plagas terribiles, quae infligantur miro quodam genere locustarum horribilium, equorum ignem spirantium; hic plane nihil eiusmodi cerni; ibi iram et impetum sermonis, acrem reperiri reprehensionem, hic potius suavitatem, genus orationis fusum (cf. Düsterdieck l. c. p. 72 seq.). Tale discrimen in rerum perceptione cerni utique evidens est. Verum, ut eo discrimine cum aliqua probabilitate statui possit alter auctor, iam debet supponi ea quae describit tamquam a se visa et sibi ostensa ipsum sibi partim cogitatione finxisse partim ex visionibus descriptionibusque prophetarum composuisse et efformasse. Nam si solum ea describit, quae ei in visione exhibita sunt, apparet eam diversitatem plane immerito afferri. Iam vero nihil frequentius in apocalypsi occurrit quam illud: vidi et ecce; veni et vide; 4,1; 5,1. 2. 6; 6,1. 2. 3. 5. 12; 7,1. 2. 9; 8,2. 13; 9,1. 17; 10,1. 5; 13,1. 3. 11; 14,1. 6. 14; 15,1. 2. 5; 16,13 etc. etc. Praeterea auctor de se profitetur ἐγενόμην ἐν πνεύματι 1,10 et 4,2; et abstulit me in spiritu in desertum et vidi, 17,3. Quare retenta proprietate verborum dicere oportet, haec quae describat non esse symbola et involucra quae ipse selegerit et mente conceperit, sed quae ei divinitus ostensa sint et quae describere iussus sit. Eodem modo ea refert quae audivit vel ab aliis dici vel ad se enuntiari (cf. 4,11; 5,2. 5. 9; 11,1. 15; 14,7; 16,1. 5; 17,7 etc.). Si vero ita liber compositus est, nulla eius ab evangelio diversitas merito afferri potest tamquam argumentum contra testimonia certa et historica de uno utriusque auctore.

Alterum quoque discrimen inter sermonis impetum et suavitatem immerito affertur. Acri reprehensione utique utitur auctor apoc. et quae habentur 2,2.6.9; 3,9.15.16, omnino congruere filio tonitrui Holtzmann fatetur; cf. Marc. 9,38; item 15,7; 20,9 cf. Luc. 9,54 (et 3,21; 20,4.6.11 cf. Marc. 10,35-37). Sed acris reprehensio et vehemens quidam dicendi impetus minime abest ab auctore evangelii et epistolarum. Idem impetus profecto cernitur, cum scribat : si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis (2 Ioan. 10.11), cernitur quoque in narratione disceptationum cum Iudaeis; ita 7,19 seq. 8,17 seq. 38-59; acriter quoque reprehenduntur qui mandata Dei non observant, doctrinam adulterant; vide 1 Ioan. 2, 4.22.26; 3,8.15; 4,3; 5,16. Et quod suavitatem orationis attinet, quae utique in epistolis et in evangelio saepe deprehenditur, illa ne ab apocalypsi quidem penitus abest; habes ibi verba suavia, consolatione plena 1,5-9; 2,9.10.17; 3,12; 5,9.10; 7,9-17; 19,6-9; 21,1-7, 22,1-7.

Contendit Jülicher (l. c. p. 177), rationem theologicam evangelistae fere ex diametro opponi sententiis apoc.; ut argumentum profert, nomen Iudaei esse nomen honorificum Apoc. 2,9 et 3,9; in evangelio autem eo nomine solum designari nationem Christicidam; desideria eschatologica quae in apoc. adeo emineant animumque plane occupent, vix ac ne vix quidem deprehendi in evangelio. Et Düsterdieck notat in apoc. doceri primam resurrectionem et alteram; in evangelio solum unam omnibus communem; apostolum scribere de antichristo, non tamen ipsum reperiri in apoc.; alio modo sese habere evangelium ad vetus testamentum, alio apocalypsin. Alii invenerunt in apoc. solum Iudaeos esse participes regni Dei et qui ex gentibus se Iudaeis adiunxissent, dum in evangelio salutem ad omnes aequo iure perferri doceatur.

Hisce minime ostendi diversitatem doctrinae haud difficile probatur. Nam in evangelio quoque salus esse dicitur ex Iudaeis et Iudaei dicuntur adorare quod sciunt (4,22); appellantur filii Abraham (8,37). Ceterum Apoc. 2,9 et 3,9 de Iudaeis simili modo fit mentio quo Christus in evangelio 8,39 de iis loquitur; ibi : dicunt se Iudaeos esse et non sunt, sed sunt synagoga satanae; hic : si filii Abrahae estis (dixerant enim : semen Abrahae sumus), opera Abrahae facite; vos facitis opera patris vestri; vos ex patre diabolo estis (8,39.41.44). Unde in utroque opere nomen adhibetur, prout rei veritas exigit : manet nomini suus honor, ideoque maior ignominia in eos recidit qui hoc nomine se indignos praebent. Quod de eschatologia in apoc. sermo sit, id ex ipso argumento declaratur; in evangelio sermones Christi de altero suo adventu non referun-

tur, quia iam a synopticis relati sunt. Neque tamen iste adventus plane tacetur; vide 5,27-29; 6,40. — Verum est nomen antichristi in apoc. non legi; at nonne ipsa res, pugna contra fideles et seductio multorum, opus itaque antichristi iterum iterumque fuse describitur? Et si nos non possimus determinare, sitne antichristus bestia ascendens a mari (13, 1 seq. 17,3; 20,19) vel bestia habens duo cornua, pseudopropheta (13, 11 seq. 20,10), hac nostra ignoratione tamen non efficitur contrarietas doctrinae inter apoc. et evangelium. Quodsi aliqui putant doceri in apoc. primam resurrectionem corporum quae longo temporis spatio praecedat ante communem omnium ad vitam resuscitationem, iis dicendum est, ut videant ne ipsi errent interpretes falsam auctori impingentes doctrinam. Porro quod spectat Iudaeos et gentes et amborum in regnum Dei ingressum, id in utroque opere prorsus eadem ratione proponitur. Nam in evangelio Iesus loquitur : et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere (10,16); unde ovile ad quod aliae oves i. e. gentes adducendae sunt est ovile quod iam consistit apud fideles Iudaeos, et gentibus adductis fiet unum ovile. Iam hoc idem exprimitur Apoc. 7,4-9 : audivi numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israel... post haec vidi turbam magnam... ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis. Neque in apoc. considerari fideles ex gentibus quasi dignitate inferiores, apparet 5,9 : cantabant canticum novum dicentes : dignus es Domine... et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et lingua et populo et natione et fecisti nos Deo nostro regnum; et qui cantant, sunt quattuor animalia et viginti quattuor seniores offerentes orationes sanctorum 5,8, quare nullo modo in apoc. (ut vult Holtzmann l. c. 460) Iudaeo-christianis prae aliis locus eminentior in regno Dei assignatur.

Mirum est quod Düsterdieck monendum esse censet, in apoc. nullibi explicite laudari locum aliquem ex vetere testamento — 19,37 evangelistam citare; id non fieri Apoc. 1,7 — sed habes utrobique eandem dictionem ἐξεκέντησαν, quae recedit a LXX et conformis est textui hebraeo. Aeque mirum est quod ulterius obiicit, in apoc. quam maxime exprimi modum loquendi veteris foederis, sed quam minime in evangelio. Verum attenta diversitate argumenti id nullatenus dici potest; nam supra iam ostensum est quomodo Christus in evangelio describatur ex vaticiniis (cf. 1,19.49.51; 2,14-17; 3,3.14.29 etc.). Porro monet longissime distare ab indole Ioannis apostoli artem illam aenigmaticam describendi nomen hominis ope numerorum 13,18. At si ipsi in visione nomen eo symbolo exhibitum est, quid aliud facere potuit nisi quod revera fecit? Varias contradictiones invenit Holtzmann (l. c. p. 460) inter utrumque opus, quae tamen omnes ex falsa interpretatione oriun-

tur; ita in apoc. certo edici urbem Ierusalem et templum consistere et manere usque ad alterum Iesu adventum (11,2: 20,9), in evangelio autem dici incolas urbis morituros esse in suis peccatis (8.21); ibi exspectari novam urbem Ierusalem in regno messiano, hic annuntiari novum Dei cultum, qui minime dependeat neque a Ierusalem neque a Garizim; ibi exhiberi infernum coelo oppositum, resuscitationem piorum, dein omnium hominum, reditum Christi eiusque in terra per mille annos dominationem, iudicium in mundum exercitum, hic resurrectionem spiritualem quae hisce in terris inchoetur, iudicium internum, adventum Christi solum spiritualem, locum in domo Patris fidelibus paratum. — Quae singula discutere non opus est; nam symbola in apoc. falso accipiuntur, ac si res eodem modo quo in imagine repraesentantur effici et exsistere cogitandae essent; sententiae evangelii pariter detorquentur; ita v. g. 5,29 vera docetur resurrectio corporum; verum iudicium a Christo exercendum 5,22. 27; 12,48; verus Christi ad suos reditus 14,18.19.

Hisce consideratis constat nos minime in eam adduci conditionem, ut aut evangelium aut apocalypsin Ioanni auctori negare debeamus. Quod certis argumentis et testimoniis historicis nobis traditum est, id rationibus illis internis non destruitur. Nam haec est sana inquirendi ratio, ut prius testimonia historica serio expendantur et robore suo et auctoritate innotescant, dein exploretur, num quidquam afferatur, cur illa testimonia non admittantur. Bene enim nuperrime monuit Poggel (l. c. p. 5) : si agitur de auctoritate libri novi foederis, non quaerendum est : cur librum illum suscipimus, sed cur illum *non* suscipiamus? Et si agitur de rationibus internis, id solum demonstrandum est librum *posse* esse scriptum ab illo auctore, non posse ostendi contrarium. Insuper advertere oportet fieri non posse, ut quis quasi a priore statuat, quid scriptor quidam efficere possit quid non, praesertim si aliae conditiones interea ortae sunt. Equidem puto iisdem rationibus quibus critici tantum pondus tribuunt ad testimonia historica convellenda etiam effici posse, ut multa opera scriptoribus recentioribus abiudicentur. Si quis secundum normam usitatam rationum internarum inter se compararet v. g. Goethii Iphigeniam et Faust, num posset eundem deprehendere auctorem? nonne certissime unum auctorem negaret? Suadendum est criticis, ut eiusmodi exempla in litteris omnium populorum expendant et videant quam varie ingenia fertilia scribant, ne suis rationibus internis nimium fidant!

VII. — Quae sit narrationis indoles.

Iam supra ostensum est fieri non posse ut quae narrantur symbolice

explicentur. Et qui hoc attentarunt aut in mira interpretationum portenta inciderunt aut fateri coguntur in illa symbolica vel allegorica explanatione semper et ubique remanere « nucleum historicum », qui iam nequeat dissolvi, aliquod residuum quod ad allegoriam trahi nequeat. Pariter iam ostensum est evangelistam illa efferre, quibus aperte demonstret se velle res vere gestas litteris consignare; ad hoc enim spectat accurata temporum, locorum, conditionum determinatio et descriptio (cf. 1,19. 28. 29. 35. 38. 39. 43; 2,1. 6. 12. 13 etc. etc.). Porro nemini hucusque in mentem venit etiam narrationem passionis cap. 18. 19 allegorice explicare reiecta acceptione historica, quod tamen ex necessaria consequentia fieri debebat, si reliquae narrationes evangelii mera considerantur involucra et symbola doctrinae tradendae. Verum, uti Ioannes baptista, Simon Petrus, Andreas, Philippus, Nathanael, Thomas, Caiphas, Maria et Martha non fabulae sunt, sed historiae fidem referunt, ita Nicodemus quoque et mulier samaritana et caecus natus et Lazarus non introducuntur tamquam symbola, sed eodem modo quo alii, homines qui vivunt, agunt, ut verbo dicam : homines historici sunt ex mente evangelistae. Verum est, si res gestas narrat, eas narrari certo consilio, non ut plenam alicuius eventus historiam tradat, sed eatenus tantum quatenus ad scopum evangelii, ad manifestandam gloriam Iesu necessarium vel utile videtur. Ita nihil audimus cap. 3 qualem exitum habuerit colloquium cum Nicodemo, utrum tandem rem intellexerit necne; non edocemur 12,20-22, sintne Graeci illi admissi ad Iesum. Sed ineptum est talia afferre tamquam signa ex quibus inferatur non tradi historiam (« Symptome von Ungeschichtlichkeit », Handcom. p. 21).

Modus narrandi utique valde distinguitur ab eo quem secuti sunt synoptici. Apud Ioannem praevalent sermones, alia cernitur provincia, Iudaea, in qua Iesus docet, aliud temporis spatium clare designatur. Et alio quoque modo miracula describuntur. Apud synopticos Iesus miracula patrat ad varias miserias tollendas; quandoque iubet ea celari; narratio synopticorum et indoles non mutaretur, si adderentur aut demerentur aliquae sanationes. Apud Ioannem unumquodque miraculum quod narrat certum quoddam munus implere debet vel ad certum quoddam consilium explicite affertur; vide 1,49; 2,11. 17. 22; 4,53; sanatione hominis cap. 5 datur occasio declarandae Iudaeis suae cum Patre aequalitatis; multiplicatione panum cap. 6 praeparatur populus ad sermonem de pane vitae quem daturus sit; quo sermone sicuti cap. 5 simul efficitur, ut manifesti fiant qui credere nolunt; sanatione caeci nati iterum palam fit, quod Iesus 9,39 enuntiat; manifestatur summa pharisaeorum perversitas et datur occasio sermonis 10,1-21; resusci-

tatione Lazari fit firmum synedristarum decretum caedis Iesu (11,47 seq.) et declaratur, quod ex synopticis non clare elucet, cur turbae Iesu praepararint triumphalem ingressum. Simul hisce manifestatur qui sint contumaces, qui credant (9,38; 10,20. 21; 11,45. 56; 12,17-20).

Aliud a synopticis discrimen est in argumento sermonum. Apud synopticos Christus tradit multa praecepta morum, docet contra avaritiam, superbiam, hypocrisin, traditiones scribarum etc.; in quarto evangelio fere unicum sermonum argumentum est ipse, sua a Patre missio, sua natura divina. Hanc suam affirmationem Iudaeis i. e. nobilibus, scribis, pharisaeis, sacerdotibus, synedristis persuadere studet verbis, suo testimonio et operibus; ad quae opera tamquam ad signa quibus verba sua a Deo comprobantur frequenter provocat (5,19. 36; 8,18. 54; 10,25. 32. 37; 12,37). Hac signorum et operum mentione repetita simul ostenditur et narrationem synopticorum supponi et Iesum in urbe quoque multa patrasse signa, de quibus evangelista non narrat. Quia fidem postulat in suam a Patre missionem et in suum de se testimonium et tamen nullo modo illam explet exspectationem de Messia quam conceperant Iudaei, statim oritur vehemens Iudaeorum oppositio et oppugnatio, quae in disceptationibus illis cap. 5. 6. 7. 8,12 seq. 10 ita exprimitur, ut asserta Christi, Iudaeorum impugnationes, Christi ad eas responsa quasi in scena coram proponi videantur. Singula adeo determinate, adeo proprie efferuntur et ad Iudaeorum indolem et cogitandi modum accommodate, ut quasi tua sponte videaris tibi audire narrantem arbitrum sermonis et auritum testem [1]. Suntne hi sermones et alii qui ad solos discipulos diriguntur (cap. 13-17) ad historiae fidem conscripti et relati?

Id negatur et debet negari ab iis qui Christum Iesum esse Deum negant. Sed praeterea obiiciunt genus dicendi nimium distare ab eo quo Iesum usum esse a synopticis doceamur; apud eos cerni formam popularem, parabolicam, sententias claras, facile intelligibiles; hic vero genus sublime et subtile, allegoricum, quod auditorum intelligentiam plane excedat; quaestiones agitari quae solum ineunte saeculo altero a nova Iudaeorum schola Christianis inimica invectae sint, responsa dari ad obiectiones non ab aequalibus Iesu motas, sed a schola Iudaeo-

1. Audiatur Weizsaecker l. c. p. 526 : Man kann nicht leugnen, dass dieser Messiasstreit des Evangeliums auf den ersten Blick etwas blendendes hat. Der Verfasser zeigt sich über jüdische Lehren und Vorstellungen sehr gut unterrichtet und man ist versucht darin nicht nur einen Juden, sondern auch einen Ohrenzeugen des Widerspruches, welchen die Juden gegen das Selbstzeugnis Jesus erhoben haben, zu finden. Aber... ein Streit, welchen Jesus selbst über seine Gottheit oder Menschheit führt, ist ein Geschichtsbild, das sich nie vollziehen laesst.

rum propositas (cf. Holtzm. Weizs.); et insuper tales esse sermones, quos etsi a Iesu habiti essent, nemo diutius memoria retinere potuisset.

Ad haec respondendum est : uti apud synopticos Ioannes baptista annuntiat Messiam venturum Iudaeis : exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea (Matth. 3,5. Marc. 1,5), ita profecto necessarium fuit, ut Iesus quoque in urbe se manifestaret. Synoptici clare indicant eum saepius in urbe docuisse (uti supra iam ostensum est). Iam si ibi docuit et si erat Messias et Filius Dei, id etiam, uti in Galilaea fidem postulavit, aliqua ratione manifestare debuit. Manifestat id operibus, signis; interpellant nobiles; accusant eum sanationis sabbato factae. Uti apud synopticos in Galilaea loquitur de Patre suo, ita ut necessario intelligatur Deus singulari ratione ab eo Pater vocari (Matth. 7,21; 10,32. 33; 11,25-27; 12,50; 16,17 etc.), ita Deum suum declarat Patrem seseque operari aequali modo cum Patre (Ioan. 5,17). Apud synopticos quoque suam cum Patre aequalitatem enuntiat (Matth. 11,25-27) idque in Galilaea; clare suam dignitatem profert : mittet Filius hominis angelos suos et colligent de regno eius omnia scandala (Matth. 13,41); Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis (Matth. 16,27 etc.). Iam si ita loquitur et docet in Galilaea, manifestum est eum coram nobilibus in urbe non minus clare de se, sua missione et natura docuisse. Uti Matth. 11,25-27 succincte aequalitas cum Patre asseritur, ita hanc aequalitatem pluribus declarat varieque affirmat Ioan. 5,17-24. 30 et 10,29. 30 et testimoniis additis probat se approbatum a Patre causasque explicat, cur illi non credant. Et cum sermo habeatur cum doctis, formam non esse plane eandem, quae in alloquio ad plebem deprehendatur, per se perspicuum est. Ceterum si dicunt sermones esse plane obscuros et vim percipiendi auditorum longe superare et proponi nulla habita eorum intelligentiae ratione (grossartige Rücksichtslosigkeit gegenüber der Fassungskraft der Zuhörer, Holtzmann p. 430), id valde est exaggeratum. Nonne bene intellexerunt? nam quaerunt eum interficere quia Patrem suum dicebat Deum aequalem se faciens Deo (5,18); volunt eum lapidare et dicunt : de blasphemia lapidamus te, quia tu homo cum sis facis teipsum Deum (10,33). Uti apud synopticos contra pharisaeos ex s. litteris arguit (Matth. 22,43. Ps. 109,1; et Matth. 21,42. Ps. 117,22), ita apud nostrum quoque evangelistam 3,14; 5,39. 46; 6,45; 7,23. 38; 10,34. Neque verum est sermones trahi adeo longos; nam saepe interruptio fit a Iudaeis vel obiectio, cui Iesus respondet; vide 6,28. 30. 34. 41. 53; 7,20. 25. 31. 35; 8,13. 19. 22. 25. 33. 39. 41. 48. 52 en toties in iis sermonibus interpellatur, interrumpitur.

Hoc si attenderis, partim etiam responsum est ad alterum, obiectiones poni quae non ab aequalibus Iesu, sed posteriore tempore factae sunt. Nam si docuit de se, uti ex synopticis quoque docuisse manifestum est, pharisaei quoque et scribae ei contradicebant, obiiciebant : tu de te testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum (8,13) et : nonne hic est filius Ioseph : quomodo ergo dicit : quia de coelo descendi (6,42); quomodo hic litteras scit, cum non didicerit (7,15); hunc scimus, unde sit (7,27); ubi est Pater tuus (8,19), numquid interficiet seipsum (8,22) ; nos nemini servivimus unquam, quomodo tu dicis : liberi eritis (8,33); nonne benedicimus quia Samaritanus es tu et daemonium habes (8,48) ; numquid et nos caeci sumus (9,40) ; quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam (10,24), de bono opere non lapidamus te (10,33). Quomodo haec non potuerint dici ab aequalibus Iesu, sed solum quaeri et dici ineunte saeculo altero, me plane fugere candide fateor. Immo e contra puto pleraque ex his nullo modo dici potuisse, nisi plane absurde, saeculo secundo ineunte. Nemo eo tempore obiecit illa 7,15; 8,22. 33; 10,24. 33 vel de iis quaesivit a Christianis; ea unice dici poterant tempore Christi. Reliqua quoque ei tempori sunt plane consentanea et ex affirmatione Christi et ex Iudaeorum in eum odio explicantur, quamvis aliqua etiam postea Christianis potuisse oggeri non sit negandum, v. g. 8,13 et 6,42 et 7,27. Gratuito asserit Weizsaecker (l. c. p. 526) in istis disceptationibus non deprehendi disputationem vitae, sed disputationem scholae, quae in historiam vitae sit translata, et verba 3,11. 13 nullatenus posse esse dicta a Iesu, sed esse testimonium fidelium saeculi secundi ineuntis de Iesu. Ceterum non erit negandum, Ioannem etiam ea respexisse quae suo tempore Iudaei oggerebant eaque ex verbis et doctrina Christi refutasse; debuit enim Christianis arma contra adversarios suppeditare.

Sed quomodo hi sermones poterant memoria retineri? Id tertio loco obiectum est. Uti apud synopticos eadem verba Christi non semper eodem modo referuntur, ita etiam apud Ioannem non erit postulandum, ut sermones quasi verbatim recitarit. Sed sicut synoptici praecipuas sententias accurate, alia ad sensum litteris consignarunt, eodem modo Ioannem sermones referre putandum erit. Illae sententiae quae argumentum primarium et caput doctrinae constituunt certe eius memoriae semper haerebant; facile etiam haerebant, cum disceptationibus interesset, obiectiones, quaestiones, calumniae Iudaeorum, et cum his necessario etiam responsa Christi debebant satis distincte menti eius obversari, quae secundum sensum ac compendiose in evangelio refert. Nam longiora quoque colloquia et disceptationes

habita esse, quae in libro solum summatim et quoad praecipua capita leguntur, manifestum est et clare declaratur 21,25. Nam non est censendus Nicodemus noctu venisse ut a Christo summas veritates doceretur et abiisse post duo vel tria temporis momenta quibus potuerint enuntiari 3,2-21; idem dic de 7,37. 38, ubi ipse evangelista insinuat se sermonis argumentum dumtaxat in medium proferre (Corluy, Comment. in ev. Ioan. 2 ed. p. 16). Ceterum evangelistam sensum verborum Christi saepe suo modo et genere dicendi exprimere, iam ex eo suadetur, quia ratio scribendi Ioannis in sua prima epistola et in sermonibus Iesu magnam prae se fert concordiam, unde necessario consequitur ipsum Magistri sermones ac sententias proprio modo expressisse (Corluy l. c.). Si itaque doctrinam Christi mente retinuit — ecquis id potuisse fieri negabit? — etiam sermones illos fideliter ad mentem et sensum Christi, etsi non ubique ad ipsa verba, conscribere potuit. Adde, quod ex ipso evangelio elucet, Ioannem etiam in aetate provecta scenas illas vitae publicae Christi optime et quasi spirantes in memoria habuisse reconditas. Vide enim accuratum narrandi modum 1,29 altera die, v. 35 altera die; 1,43 in crastinum; 2,1 die tertia; vide 4,6. 28. 33; 5,2; 6,5. 10. 13. 22; 8,20; 9,6-39; item adverte in sermonibus coram discipulis habitis 13,4 seq. 22-26; recordatur quibus quaestionibus et qui sermonem Domini interruperint 13,6; 14,5. 8. 22; quaerunt Petrus, Thomas, Philippus, Iudas; et ipsae hae quaestiones, cum sint parum ad rem et debilem intelligentiam discipulorum prodant, fidem historiae prae se ferunt. Cum itaque memoriam eum habere prorsus bonam constet, etiam disceptationes et sermones eum potuisse fideliter referre concedendum omnino est, praesertim cum de rebus agatur, quas sane continuo a sua cum Iesu consuetudine per totam vitam mente volvebat. Adde quoque peculiarem Spiritus s. opem.

Fuerunt quoque qui ostendere conarentur in evangelio hoc nihil Ioanni proprium reperiri; omnia efformata et transformata esse ex rebus dictisque synopticis[1]. Hoc refutare non opus est. Synopticos autem cognosci ab eo, suppleri quandoque, declarari supra vidimus. Id quoque patet ex variis verbis Domini quae etiam apud eos commemorantur 2,19; 4,44; 5,8; 12,7. 8. 25; 13,16. 20. 21. 38; 15,20; 16.

1. Ad hos pertinet *Holtzmann* in Handcommentar. Aliqua eius rei exempla proponentur in commentario. Contra eiusmodi tentamina maxime agit Resch l. c. p. 35, de diversis fontibus ex quibus Ioannes hauserit sermonem nullatenus esse posse; omnia emanare ex uno fonte, ex plenitudine mentis auctoris, qui singulis in locis ita scribat, ut multo plura se posse narrare prodat; nullatenus cerni seu adverti apud ipsum, quod materiam aliunde acceptam retractaverit vel suo adaptaverit consilio scribendi; quaecumque referat, ei esse quam maxime propria, etc.

32; 18,11. Praeterea cum synopticis habet communia haec, quibus tamen propria inspersit : de Ioanne baptista 1,19 seq., multiplicationem panum et ambulationem super aquam 6,1-21; unctionem Bethaniae factam 12,1-11; ingressum sollemnem in Ierusalem 12,12-16, historiam passionis. Quae si cum illorum narratione conferuntur, ubique apparet eum scribere et referre qui et illos novit et variis additis magisque determinatis aliis expressiusque depictis conditionibus particularibus se prodit rerum testem et spectatorem. Ita 2,19 declaratur accusatio illa Matth. 26,61; 27,40 de templi destructione; 1,33. 34 supponitur narratio de baptismo Christi; 6,4 additur tempus; 6,5 Philippum interrogari et respondere et Andream monere de puero habente quinque panes hordeaceos; 6,14. 15 Iesum praedicari a populo prophetam qui venturus sit in mundum; eosque velle eum regem facere; 12,2 Martham ministrasse et Lazarum fuisse inter discumbentes; 12,3 pedes quoque Iesu esse unctos et extersos capillis a Maria et domum impletam odore; 12,4 Iudam Iscarioten esse conquestum; 12,6 qua mente sit conquestus; 12,13 turbas ex urbe Iesu obviam processisse; 12,17-19 propter suscitationem Lazari et pharisaeos fateri : nihil proficimus. Ita in illis ipsis quae una cum synopticis narrat se prodit optimum rerum testem. Plura supra iam retuli.

Fides historiae eo quoque cernitur quod ea narrationi inspersit quibus praecavet ne quid minus recte intelligatur; ita 2,22 monet eventum illum a discipulis post resurrectionem esse plane perspectum; item 12, 16 : haec non cognoverunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus. Addit ipse explicationes : 2,21 ille autem dicebat de templo corporis sui; 2,24 Iesus autem non credebat semetipsum eis etc.; 6,72; 7,39 hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant; 8,6 hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum; 8,27 et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum; 10,6; 11,13 dixerat autem Iesus de morte eius; illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret; 11,51 hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex etc.; 12,6 dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum etc.; 12,33 hoc dicebat significans qua morte esset moriturus; 12,41 haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius et locutus est de eo; 13,11 sciebat enim quisnam esset qui traderet eum; propterea dixit etc.; 13,28 hoc autem nemo scivit discumbentium, ad quid dixerit ei; quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas etc.; 19,36. 37; 20,9 nondum enim sciebant scripturam etc.; 20,31; 21,14. 19 hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Iste modus edocendi legentem Ioanni fere peculiaris est; raro deprehenditur apud alios (cf. Marc. 3,30; 6,52; 7,3. Luc. 8,45; 19,11). Saepius quoque legentem

remittere solet ad ea quae iam antea narrata sunt : 4,45 ad 2,23; 4,54 ad 2,11; 5,33 ad 1,19; 6,36 ad 6,26. 30; 7,23 ad 5,9; 7,50 ad 2,1; 10,40 ad 1,28; 10,42 ad 1,15. 27; 11,40? vide comment.; 12,1 ad 11,1 seq.; 12, 42 ad 9,22; 13,33 ad 7,34; 18,14 ad 11,49.

Ex modo narrandi de discipulo quem diligebat Iesus et de Petro concluserunt aliqui fuisse consilium auctoris deprimendi Petrum (Strauss, Baur, Hilgenfeld, Spaeth) vel saltem Ioannem Petro aequiparandi, ita ut appareat non soli Petro tantum honorem esse a Christo tributum, saltem unum discipulum esse ei parem (Weizs. l. c. p. 513 seq.). Verum utraque sententia subtiliore ac coacta interpretatione nititur. Illi consilium auctoris Petro infensum praecipue cernunt exprimi hisce : secundum synopticos Petrus vocatur a Christo ad se sequendum primus (Matth. 4,18; Marc. 1,16; Luc. 5,1); in evangelio quarto hoc honore spoliatur; narrantur de eo quae sint minus honorifica 13,8 : non lavabis mihi pedes in aeternum; 13,24 debet a Ioanne petere, ut exploret quis sit proditor; 18,10 abscidit auriculam et reprehenditur a Domino; 18,15 seq. uti debet Ioanne intercessore, ut ei liceat intrare in atrium pontificis; 19,26 non Petro, sed Ioanni Iesus commendat matrem; 20,4 discipulus praecucurrit citius Petro; 20,8 solus discipulus dicitur credidisse; 21,7 Petrus debet doceri a Ioanne adstare in litore Dominum; 21,15 triplex negatio iterum commemoratur; 21,20 seq. curiosius interrogat et reprehenditur a Domino. Alia quaedam Weizsaecker observanda esse monet : honor singularis Ioanni tribuitur a Domino, quia ille est discipulus quem Iesus diligebat 13,23; 19,26; 21,7. 20 et qui in evangelio sine ulla reprehensione aut defectu apparet, dum casus Petri non tacetur; solum per Ioannem discit Petrus proditorem; item 18,16 Ioannes potiore loco cernitur; Petrus habebatur primus cui Dominus apparuerit 1 Cor. 15,5; at hanc palmam ex evangelio debet Ioanni concedere; nam is non solum prior ad sepulcrum venit, verum (quod rei cardo est — was doch das entscheidende ist —) prior in sepulcrum inspexit 20,2-8. In cap. 21 utrique honor particularis datur; Petro 21, 15-19; Ioannes diutius Petro vivet et Dominus vult ei aliquid valde particulare reservare 21,20-23.

Pauca reponere sufficiet. Synoptici nullo modo dicunt Petrum fuisse primum qui Iesu se addixerit; nam synoptici l. c. ea narrant quae evenerunt postquam Christus secundo a Iudaea rediit in Galilaeam. Ioannes autem primo Petri ad Iesum accessu statim commemorat honorem praecipuum qui ei a Iesu destinatus sit : tu es Simon, tu vocaberis Cephas 1,42; si Petrus 13,8 non vult permittere ut Iesus sibi lavet pedes, ex reverentia Domini recusat; at statim v. 9 maximum amorem Iesu pandit. Fere puerile est, ex 13,24 (innuit ergo huic Simon Petrus)

velle concludere animum narrantis Petro inimicum; vel ex eo quod Ioannes utpote notus statim atrium pontificis potuit intrare, Petrus autem, utpote ianitrici ignotus, non extemplo admissus est; 18,10 potius Petri fortitudo et fiducia in Dominum commendatur, cum ausus sit gladio uti in servum, quamvis cohors et ministri armati praesto essent ad omnem vim statim infringendam et graviter ulciscendam. Quod iunior Ioannes praecucurrit citius Petro seniore, quid mirum? num Ioannes eo cursu se esse Petro nobiliorem ostendere voluit? sed si illa adeo oportet perpendere, discipulus ille concessit et detulit Petro honorem introeundi in sepulcrum! et 21,7 Petrus sane maius ostendit desiderium statim ad Dominum veniendi et quod caput est 21,15-17 soli Petro totus grex Domini traditur pascendus. En quomodo etiam in evangelio quarto haec duo efferuntur quae apud synopticos tacentur 1,42 et 21, 15-17. Ridiculum autem est quod Weizs. nobis obtrudere vult, eo quod Ioannes vidit posita linteamina 20,5 et credidit, Petro id negari quod 1 Cor. 15,5 et praeterea Luc. 24,34 refertur : Dominus apparuit Simoni. Ioannem neutiquam in omnibus aequiparari Petro, satis declaratur 21, 15-17; proin etsi Ioannes erat singulariter dilectus a Domino, Petro singularis est collata auctoritas in totum gregem et scriptor qui utrumque refert, non gerit animum Petro infensum, neque Ioannem in omnibus Petro esse parem ostendit, sed veracem rerum gestarum narratorem se praebet.

Genus dicendi eum prodit scriptorem qui hebraice cogitavit et graece scripsit (Schanz l. c. p. 50); constructio sententiarum hebraica est — praedicatum primo loco ponitur e. g. 18,12-27 quaterdecies (Jülicher l. c. p. 243); periodi quarum graeci scriptores amantes sunt, plane desunt; sententiae inter se coordinantur, quae tamen logice non eodem ordine inter se referuntur; frequentes sunt sententiae finales. Parallelismus hebraeus saepe deprehenditur; repetitiones non evitantur, sed ad rei assertionem vel ad rei gravitatem demonstrandam adhibentur. Ceterum genus dicendi profluens, gratum, simplex est; habet tamen, ut Erasmus scribit, « suum quoddam dicendi genus, ita sermonem velut ansulis ex sese cohaerentibus contexens, nonnunquam ex contrariis, nonnunquam ex similibus, nonnunquam ex iisdem subinde repetitis. Quod genus est : in principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum. In his tribus membris Verbum Verbo, Deus Deo succinitur, ac mox repetito principio circulum absolvit : hoc erat in principio apud Deum. Ac rursum : omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat et vita erat lux hominum et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt. In his liquet ut orationis quodque membrum semper excipiat prius,

sic ut prioris finis sit initium sequentis ac tale quiddam hic agnoscas quale Graecorum ἠχὼ solet affectare » (Paraphrasis in ev. Ioan. Basil. 1523 fol. 3).

Accuratius quoque in proprietates linguae eius inquisitum est. Adhibet vocabula quae multo frequentius apud eum recurrunt quam apud alios : ita ἀλήθεια 25 vicibus; ἁμαρτία 16 v., ζωή 36 v., ἀμὴν ἀμήν 25 v., γινώσκειν 55 v., θεωρεῖν 33 v., κόσμος 78 v., κρίνειν 19 v., μαρτυρεῖν 33 v., μαρτυρία 14 v., ὄνομα 25 v., πιστεύειν 98 v., φῶς 23 v., σημεῖον 17 v. Verba quibus inter evangelistas solus utitur Ioannes se reperisse ait Westcott sexaginta quinque; v. g. ἀντλεῖν, ἀποσυνάγωγος, ἀρνίον, γλωσσόκομον, κλῆμα, σκέλος, σκηνοῦν, τίτλος, ὑδρία, ψωμίον etc.

Particulis ad connectendas sententias utitur δὲ, καὶ, et frequenter οὖν; saepius narratio sine ulla particula texitur; ἵνα frequenter adhibetur (1,27; 4,34; 5,23; 6,29. 30. 40. 50; 7,3. 32; 8,6. 56. 59; 9,2. 3. 36. 39; 10,10. 17 etc.); pariter ὡς, et καθὼς... οὕτως; cf. 3,14; 5,21. 23. 26. 30; 6,12. 16. 31. 57. 58; 7,38; 8,7. 28; 10,15; 11,6. 20. 29. 33; 12,36. 50 etc.

Pronomina ponuntur ad emphasin, ita ἐκεῖνος, οὗτος; cf. 1,7. 8. 18. 33; 5,11. 37. 38; 6,46. 71; 7,18; 10,1. 25; 12,48; 14,21. 26; 15,5. 26 etc. (cf. Fillion l. c. p. LIV seq.).

VIII. — Subsidia interpretationis.

In prologo qui praefixus est latinae interpretationi homiliarum Origenis in Lucam Hieronymus commemorat novem et triginta tomos ab eodem Origene in Ioannem scriptos; solum triginta duos enumerat Rufinus (Invect. 2) referens hunc ipsum Hieronymi prologum; verum Rufini lectioni non videtur fides adhibenda; nam tomus 32 qui superest desinit ad Ioan. 13,33; et plures quam 32 tomos confectos fuisse, inde eruitur quod ipse Origenes tractatu 25 in Matth. ait se in Commentariis in Ioannem exposuisse de duobus latronibus qui crucifixi sunt cum Christo; haec in tomis qui supersunt non reperiuntur; ex verbis autem Origenis videtur non per transennam, sed ex professo tractatum esse de duobus latronibus; proin in comm. ad 19,18 et plures esse elaboratos tomos quam 32, ita ut lectio apud Hieronymum de 39 tomis videatur genuina. Ab hisce in Ioannem commentariis Origenes sua in Scripturam Exegetica auspicatus est, ut ipse innuit in prologo n. 4 (*M.* 14,25) postquam Antiochia rediit Alexandriam, anno 219; opus saepius intermissum saepius resumptum est; priores quinque tomos Alexandriae ante annum 231 conscripsit; dein Caesaream migravit; ultimi tomi longe post Maximini persecutionem quippe cuius tomo 22 meminerat, teste Eusebio h. e. 6,28, expliciti sunt. Ex tot in Ioannem lucubrationibus

Eusebius 22 tomos ad suam aetatem pervenisse scribit (h. e. 6,24). Ad nos pervenerunt tomi 1,2,6,10,13,19,20,28,32; praeter novem hos tomos, qui habentur *M.* 14,21-829, aliqua adhuc ex deperditis fragmenta, de quibus vide *M.* 14,18; ceterum vide ibi c. 13 seq. Monitum ad Commentaria Origenis. Eius explicandi ratio potissimum est allegorica, referta digressionibus; praesertim impugnat commentarios quos Heracleon gnosticus ediderat. De Origene interprete vide *Cornely,* Introd. I 2 ed. p. 638; *Bardenhewer,* Patrologie p. 157.

Multo tamen utiliores interpreti sunt homiliae in Ioannem 88 (al. 87) *S. Chrysostomi* quas Antiochiae habuit c. an. 390-395, in quibus in id praeprimis incumbit ut sensu litterali declarato auditores contra argumenta et sophismata haereticorum Anomaeorum muniat ac roboret et eorum falsas explicationes quibus parem paternae potestatem in Filio esse negabant valide explodat (cf. Praefatio in homilias; *M.* 59,6 seq.). Quam praeclare multa exposuerit s. doctor *Chr.*, deprehendes in commentario, in quo saepissime eius nomen adscriptum, eius expositiones laudatas invenies. De eo interprete cf. *Cornely* l. c. p. 646 seq. Homiliae in Ioannem breviores sunt illis in Matthaeum; moralem disciplinam rarius attingit; dum in homiliis in Matthaeum haud raro longiorem moralem adhortationem addit, hic generatim brevissima adhortatione homiliam absolvit. Habentur *M.* 59,23-482. Quasi quaedam excerpta ex homiliis Chrysostomi sunt commentarii *Theophylacti* in Ioannem *M.* 123,1133-1347 et 124,10-317, et notae breviores *Euthymii M.* 129,1107-1501, qui saepius diligentem et accuratam verborum explicationem tradit et novas quoque explicationes addit.

Valde prolixam expositionem scripsit *S. Cyrillus* alexandrinus, in qua praeter interpretationem litteralem, cui saepe mysticam adiungit, praecipue quaestiones contra Arianos de Christi divinitate tractantur. Multa praeclare dicta contineri ex commentario in quo saepe laudatur facile videbis. Prostat *M.* 73 per integrum tomum et 74,9-756. Paraphrasin versibus hexametris concinnatam evangelii composuit *Nonnus* panopolitanus, quae etsi saepe satis tumida et turgida, tamen suam praebet utilitatem tum in sententiarum explicatione tum in verborum expositione; legitur *M.* 43,749-920. Fragmenta commentarii in evangelium Ioannis *Theodori* mopsuesteni ex catenis collecta (potissimum ex catena Corderii) leguntur *M.* 66,727-785. Catenam Patrum graecorum ex codice antiquissimo descriptam et versione latina donatam edidit Corderius Antverpiae 1530; auctores ex quibus concinnata est sunt hi : Ammonius, Amphilochius, Antiochus Ptolemaidis, Anonymus, Apolinarius, Basilius, Gregorius theologus, Gregorius nyssenus, Didymus, Epiphanius, Eusebius, Theodorus heracleotes, Theodorus

mopsuestenus, Iulius episcopus, Isidorus, Cyrillus, Proclus, Severus, Photius, Chrysostomus, Origenes. — Aliam catenam edidit I. A. Cramer, Oxonii 1844, cuius pracipua pars ex S. Chrysostomo deprompta est; additae sunt praeterea multae citationes ex Apollinari, Cyrillo, Origene, Severo, Theodoro heracleensi et Theodoro mopsuesteno; frequentissime laudatur Ammonius alexandrinae ecclesiae presbyter.

Ex latinis nominandus est cum laude *S. Augustinus*, qui circa annum 416 evangelium sermonibus vel tractatibus ad populum habitis exposuit. Agit quidem magis partes dogmatici et ascetici concionatoris quam interpretis; nihilominus multa profert exegetae proficua. Multus est et vehemens in Donatistis revincendis, tacito nomine saepius Pelagiani perstringuntur, sententiam de praedestinatione proponit in tract. 53. 57. 81. 86 etc., Arianos quoque impugnat. Tractatus 124 habentur *M.* 35,13 79-19 76. Hos tractatus quasi in breviorem formam redactos legere potes in evangelii Ioannis expositione quam venerabilis *Beda* reliquit; habetur *M.* 92,635-938. Sed omittendum non est quod Cornely adnotat, « quoniam fere totus commentarius in Ioan. ad verbum cum eo consentit qui inter Alcuini opera habetur, Beda autem in suorum operum catalogo hunc commentarium non nominat, haud immerito dubitatur, num ab eo sit conscriptus; caret quoque epistola dedicatoria quam ven. Beda raro omittit » (Introd. III 2. ed. p. 306 nota 7). A capite tamen 13, a quo liber sextus apud Alcuinum initium capit usque ad finem sat magna utriusque differentia est; expositio enim Bedae ibi multo fusior est. Alcuinum composuisse commentarium ex epistola elucet quam ad sororem et filiam scripsit, in qua inter alia dicit : « devotus sanctorum Patrum cellaria peragrans quidquid in eis invenire valui, vobis ad gustandum attuli » (cf. *M.* 100,737). Ex operibus S. Gregorii multos collegerunt locos quibus varia ex evangelio tangit et potissimum allegorice explicat Paterius (*M.* 79,1075-1086) et Alulfus (*M.* 79,1239-1270). Breviter sensum litteralem et allegoricum exponit *S. Bruno* astensis, Commentaria in ev. Ioan. *M.* 165,451-604. Multo prolixius utrumque sensum consectatur *Rupertus* abbas tuitiensis : in ev. S. Ioan. commentariorum libri 14; *M.* 169,205-826 (*Rup.*); sat multae quoque digressiones dogmaticae, morales, historicae inseruntur. Ex commentariis quos Ioannes Scotus composuit solum expositio in prologum et aliqua fragmenta usque ad 6,5-14 ad nos pervenerunt; *M.* 122,283-348.

De b. *Alberti* magni (*Alb.*) « luculenta expositione » in ev. Ioan., quae habetur in operum eius tomo undecimo, Lugduni 1651, idem fere dicendum est quod de eius in Matthaeum expositione dixi : sensum litteralem diligenter investigari, singulas libri partes arcte inter se iungi

adhibitis multis divisionibus, quid primo, quid secundo exponatur, et adductis locis s. Scripturae sat multis. Methodum eandem, sed breviore modo sequitur *S. Thomas*, cuius in S. Ioan. commentarii a discipulo quodam reportati sed insuper ab ipso s. doctore sunt correcti. De utriusque explicandi ratione vide *Cornely*, Introd. I 2. ed. p. 680, III 2. ed. p. 309. De S. *Bonaventura* (*Bon.*) interprete hoc iudicium ferunt recentissimi editores operum eius, Patres Collegii a S. Bonaventura : « expositor noster totus fere versatur in sensu sententiarumque nexu sacri libri eruendis et ad usum praedicatorum praeparandis. Dictum est de commentariis nostri doctoris, nimis eum versari circa sensum mysticum quaerendum. Sed qui hoc censuerunt, videntur attendisse praecipue ad opera spuria editionis vaticanae. Legenti enim genuinos huius voluminis commentarios ad oculos patet, mysticam in eis expositionem admodum exiguam eorum partem occupare et hanc plerumque ad moralem (tropologicam) applicationem spectare. Bonaventura sibi constans praecipue litteralem sensum exponere conatus est tamquam aliorum fundamentum, sicut docuit in Breviloquio (Prolog. § 6) : quod non potest quis de facili (ad absconditum sensum) pertingere, nisi per assuefactionem lectionis textum et litteram Bibliae commendet memoriae, alioquin in expositione Scripturarum nunquam poterit esse potens... qui litteram spernit ad spirituales intelligentias nunquam assurget. Attendat autem expositor quod non ubique requirenda est allegoria, nec omnia sunt mystice exponenda » (tom. 6, Ad Claras Aquas (Quaracchi) 1893, p. XXVI); habetur S. Bonaventurae Commentarius in eodem tomo 6; solet s. doctor post explicationem aliquot versuum subiungere quaestiones, quibus ea quae exposita sunt magis elucidantur, obiectiones, contradictiones apparentes solvuntur. In notis addiderunt editores textus illos ex Aug. Chrys. Greg. aliisque ad quos Bonaventura alludit aliaque ad eruditionem et intelligentiam utilia docte adscripserunt. Post commentarium adiunxerunt Collationes in Ioannem, praedicatoribus imprimis utiles (p. 535 seq.), quas hucusque prorsus ignotas primi ediderunt. — Scholia Gregorii Bar Ebhraya in evangelium Iohannis e thesauro mysteriorum edidit *Schwartz*, Gottingae 1878; ea quandoque laudavi (*Barh.*).

Sensum litteralem breviter ac dilucide exponere solet Thomas de Vio *Caietanus* (*Cai.*); commentarii eius in evangelia habentur in tomo quarto, Lugduni 1639. Insignem et valde amplum Commentarium in ev. Ioan. composuit Franciscus *Toletus* (Romae 1588); singulas sententias accurate expendit, nexum diligenter investigat, varias Patrum acceptiones in annotationibus sedulo recenset, excutit, erudite diiu-

dicat et quaestiones dogmaticas dilucide tractat. Luculentum quoque Commentarium (exceptis cap. 18. 19) reliquit *Maldonatus* (1597) qui veterum expositiones varias pariter recenset et acri ingenio in verum sensum et connexionem inquirit. Omnibus notum est quantopere commentarii eius ubertate, perspicuitate, felicissima interpretandi arte, eleganti dicendi genere emineant; multus est in controversiis sui temporis enucleandis, quarum occasione interpretationes sententiasque haereticorum modo caustice modo facete perstringit et ridet. Praeter sensum litteralem mysticum vel tropologicum addere solet Cornelius *a Lapide* (*Lap.*); voluit enim in suis commentariis potissimum concionatoribus amplam dicendi materiam suppetere, et tot editionibus etiam recentioribus demonstratur quanto in honore habeatur. Breves annotationes et scholia reliquerunt Sa, Mariana, Menochius, Gordonus, Tirinus; locos sat multos etiam Estius tractavit; commentarios breves, perspicuos Alexander *Natalis* (*Nat.*), *Calmetus* etiam in ev. Ioan. conscripserunt.

Hisce addere oportet eos qui quattuor evangelistarum libros in unum concordiae opus redactos explicarunt, inter quos eminet *Iansenius* (*Ians.*) episcopus Gandavensis : Commentariorum in suam concordiam ac totam historiam evangelicam partes quattuor, Lugduni 1596; nominandi quoque cum laude Sebastianus *Barradius* (Moguntiae 1601) (*Bar.*), qui post expositionem litteralem subiungere solet satis prolixam applicationem moralem, Ioannes da *Sylveira* (Lugduni 1697-1700), Bernardus *Lamy* (Paris 1799); prior quinque magnis voluminibus textum fuse pertractat multis quaestionibus et plurimorum sententiis expositis, alter brevi ac perspicuo commentario textum illustrat. Neque omittendus est Alphonsus *Salmeron* qui in pluribus voluminibus multos exhibet tractatus de historia evangelica, in quibus permulta reperiuntur interpreti utilia (Coloniae Agrippinae 1604).

Recenti tempore permulta scripta sunt quae ad evangelium Ioannis, eius authentiam, explicationem spectat. Ab anno 1800 usque ad annum 1875 enumerantur in indice, qui scripta, dissertationes, libellos, libros, aliquo modo ad hoc evangelium et eius quaestiones spectantia recenset, non minus quam 477, et tamen aliqua quae addi possunt omissa sunt (cf. Luthardt, Der johanneische Ursprung p. 6-19). Et quot scripta sunt ab anno 1875 et deinceps? cf. Theologischer Jahresbericht. Hic sufficiet eos enumerare qui commentarios ediderunt. Sunt autem ex catholicis : *Klee*, Commentar über d. Ev. nach Ioh. Mainz 1829; Adalbert *Maier*, Commentar über das Ev. des Ioannes 2 vol., Carlsruhe und Freiburg 1843-1845; Francisci Xaverii *Patritii* e Soc. I. in Ioannem Commentarium, Romae 1857; *Messmer*, Erklae-

rung des Iohannesevangeliums, Innsbruck 1860; *Bisping*, Erklaerung des Ev. nach Ioannes, Münster 1869; *Haneberg*, Evangelium nach Iohannes. Redigirt und ergaenzt von *Schegg*, 2 vol. München 1878-80; cum multa in hoc opere, praesertim in altero volumine a Schegg sint composita, ego ubique hunc librum nomine *Schg.* laudavi; *Corluy* S. I. Commentarius in Evangelium S. Ioannis, editio altera, Gandavi 1880; *Poelzl*, Kurzgefasster Commentar zum Ev. des hl. Ioh. Graz 1882; 2. ed. 1896; *Liagre*, Comm. in libros hist. N. T. Tornaci 1883; *Schanz*, Commentar über das Ev. des hl. Ioh. Tübingen 1885; *Fillion*, Évangile selon S. Jean, Paris 1887; *Mac Evilly*, An exposition of the gospel of S. John, Dublin 1889; *Klofutar*, Commentarius in evangelium S. Ioannis, ed. 2, Viennae 1894.

Ex multis illis, quibus variae quaestiones tractantur, haec accipe: *Müller*, Goettliches Wissen und goettliche Macht des Johanneischen Christus; Freiburg 1882; Das vierte Evangelium in Christologischer Hinsicht, Breslau 1883; De nonnullis doctrinae gnosticae vestigiis, quae in quarto evangelio inesse creduntur, dissertatio, Frib. 1883; *Keppler*, Das Johannes-Evangelium und das Ende des ersten christlichen Jahrhunderts, Rottenburg 1883; Die Composition des Joh. Ev. Tübingen 1854; Unseres Herrn Trost, Erklaerung der Abschiedsreden und des hohenpriesterlichen Gebetes Jesu (Ioh. cap. 14-17) Freiburg 1887. Katholik, 1888 II p. 225 seq. et 337 seq. Die Synoptiker und Johannes.

Commentarios acatholicorum sat multos recensent Schanz p. 59, Fillion p. LXI, Holtzmann, Einleitung 3 ed. p. 427; Handcommentar p. VIII. Inter utiliores nominandi sunt *Keil*, Commentar über das Evangelium des Johannes, Leipzig 1881 et B. *Weiss* qui commentarium olim a Meyer compositum repetitis curis emendavit, retractavit, edidit 7. ed. 1886, 8. ed. 1893, Goettingen. — Alios vide apud Cornely, Introd. III p. 314.

Ad interpretationis subsidia etiam apparatus criticus referendus est. Textum graecum adscripsi eum quem secundum codicem vaticanum edidit Valentinus Loch, ita tamen ut textum eum accurate revocarem ad eam formam, quam testibus *Tischendorf* (editio octava critica maior, Lipsiae 1869) et *Westcott* et *Hort* (The New Testament, Cambridge and London 1881) codex ille revera praebet. Lectiones variantes quae ad interpretationem alicuius momenti esse videbantur addidi; eas deprompsi ex apparatu critico quem *Tischendorf* l. c. congessit, consulta quoque editione textus et apparatus critici quam fecerunt *Westcott* et *Hort;* lectiones quas hi adoptarunt signavi Ti WH. Bonum apparatum criticum pro textu graeco, pro vulg. et comparationem syriacorum praebet in sua editione graeco-latina evangeliorum *Hetzenauer* O. C., Oeniponte 1896.

Codices graeci hi sunt : codex vaticanus B saeculi quarti; sinaiticus ℵ eiusdem aetatis; alexandrinus A saeculi 5; codex Ephraemi syri rescriptus, parisiensis C saec. 5 (C^2 saec. 6 C^3 saec. 9); codex Bezae, cantabrigiensis D saec. 6; est codex graeco-latinus; latina versio d designatur; codex basileensis E saec. 8; codex Boreeli F, nunc rheno-traiectinus saec. 9; codex Seidelii, harleianus G saec. 9 vel 10; codex Seidelii, nunc hamburgensis H eiusdem aetatis; codex palimpsestus petropolitanus I, continens reliquias septem codicum saec. 5 et 6; cyprius parisiensis K saec. 9; parisiensis num. 62 L saec. 8; parisiensis num. 48 M saec. 9; fragmenta quaedam ex saec. 6 N; codex guelferbytanus palimpsestus P saec. 6; alter codex guelferbytanus palimpsestus Q fragmenta continens Lucae et Ioannis saec. 5; codex vaticanus num. 354 S scriptus anno 949; codex borgianus T, fragmenta quaedam Ioannis graeca quae versionem sahidicam adiectam habent; codex olim nanianus, nunc venetus marcianus U saec. 9 vel 10; codex mosquensis V saec. 9, evangelium continet usque ad Ioan. 7,39; reliqua saec. 13 sunt suppleta; monacensis fragmenta continens X saec. 9 vel 10; codex ex anno 844 Γ; sangallensis Δ cum versione latina interlineari (δ) saec. 9 exeuntis; oxoniensis Λ, continet ev. Lucae et Ioannis saec. 9; codex evangeliorum fere integer Π saec. 9. De istis vide Gregory, Prolegomena, Lipsiae 1894, p. 345-408.

Codices quae veterem latinam versionem antehieronymianam continent sunt hi : vercellensis a saec. 4; veronensis b saec. 5; colbertinus c saec. 12; palatinus e saec. 5; brixianus f saec. 6; codex olim corbeiensis 195, parisiensis 17225 ff^2 saec. 7; vratislaviensis, olim rehdigeranus l saec. 7; fragmenta sangall. saec. 5 n; monacensis q saec. 6; dublinensis collegii Trin. olim Usseri r saec. 6; cf. Gregory l. c. p. 952-963.

Ad lectiones variantes pro *vulgata* afferendas adhibui librum a *Wordsworth* et *White* editum : Novum Testamentum Domini nostri Iesu Christi latine secundum editionem sancti Hieronymi, fasciculus quartus : Evangelium secundum Iohannem; Oxonii 1895. Codices autem ex quibus lectiones variantes afferuntur hi sunt : amiatinus am saec. 7 exeuntis vel 8 ineuntis; bigotianus big saec. 8 vel 9; cavensis cav saec. 9; dublinensis dub, olim armachanus saec. 8 vel 9; egertonensis eg (ab aliis mm) saec. 8 vel 9; epternacensis ept saec. 9; beneventanus ben saec. 8; fuldensis fuld anno 541-546; hubertianus hub saec. 9 vel 10; theodulfianus theod saec. 9; ingolstadiensis ing saec. 7; codex ev. S. Gatiani gat saec. 7?; foro-juliensis for saec. 6 vel 7; carolinus car saec. 9; mediolanensis med saec. 6; martini-turonensis mt saec. 8; oxoniensis ox saec. 7; kenanensis ken saec. 7 vel 8; rushworthianus rush saec. 9 ineuntis; stonyhurstensis st saec. 7, olim ut fertur peculium S. Cuthberti, quod in loculo eius vel saltem in ecclesia Dunelmensi usque ad Henrici regis VIII tempora servabatur; toletanus tol saec. 10; vallicellanus val saec. 9; codex a Willelmo de Hales an. 1254 scriptus wil; codex collegii Corporis Christi cantabrigiensis corp saec. 7; lindisfarnensis lind saec. 7-8; harleianus harl saec. 6 vel 7; dunelmensis dun, codex de manu Bedae dictus. Ad quos codices designandos Wordsworth

utitur litteris A, B, C etc. quas equidem nolui adhibere, ne qua obscuritas oriatur, cum istae litterae adhibeantur ad codices graecos designandos. De codicibus vulgatae vide Wordsworth l. c. fasciculo primo p. XI seq.; Gregory l. c. p. 983.

Dein lectiones quas adoptarunt Stephanus 1546, Hentenius 1583, et Sixtus V in editione sixtina 1590 signantur steph hent sixt. Ex versionibus notantur secundum Tischendorf aeth aethiopica, arm armenica, cop memphitica, sah sahidica, syr (cu, sch) syriaca Curetoni, peschittho, go gothica, ar arabica.

Demum sin signavi lectiones illas et versiones quas deprompsi ex evangelii versione syriaca quae nuper inventa et in Anglia edita est, de qua egi in Commentario in Lucam p. 30. Interea codex ille palimpsestus secundis curis et repetitis inspectus est et multae lacunae prioris illius editionis 1894 suppletae sunt. Unde prodiit supplementum : Some pages of the four Gospels re-transcribed from the sinaitic palimpsest with a translation of the whole text by Agnes Smith Lewis, London 1896. Ex hisce duobus voluminibus nunc colligendus est textus istius versionis, quia in altero volumine solum illae paginae impressae habentur in quibus lacunas supplere contingebat; quae suppleta sunt colore caeruleo expressa conspiciuntur. Supplementa haec quae pro Commentario in Lucam nondum adhibere potui, mihi usui erant pro hoc Commentario.

Nomina sanctorum Patrum primis eorum litteris indicantur : Or Origenes, Chr Chrysostomus etc. — Alia quoque quae brevitatis causa adhibentur facile cognoscuntur : al mu pl pler alii multi plures plerique codices vel testes, rell reliqui; etc.

PROLOGUS

1,1-18.

1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est. 4. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum; 5. et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

9. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. 11. In propria venit, et sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius : 13. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

14. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

15. Ioannes testimonium perhibet de ipso, et clamat, dicens : Hic erat quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est; quia prior me erat. 16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. 17. Quia lex per

1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. 2. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν. 3. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονεν. 4. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, 5. καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν.

6. Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, ὄνομα αὐτῷ Ἰωάνης. 7. οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός, ἵνα πάντες πιστεύσωσιν δι' αὐτοῦ. 8. οὐκ ἦν ἐκεῖνος τὸ φῶς, ἀλλ' ἵνα μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ φωτός. 9. ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. 10. ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. 11. εἰς τὰ ἴδια ἦλθεν καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. 12. ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ. 13. οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων, οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν.

14. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας.

15. Ἰωάνης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, καὶ κέκραγεν λέγων, Οὗτος ἦν ὃν εἶπον, Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν. 16. ὅτι ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. 17. ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωυσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ

Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.

Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. 18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακεν πώποτε. μονογενὴς Θεὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο.

In v. 4 εστιν ℵ D, vita est ben cav dub eg for rush tol a b c e ff² f q Aug. In v. 9 mu codd venientem in mundum. In v. 16 οτι ℵ B C* D L X 33 Or Hipp Eus Epiph Cyr Hil; quia a, quoniam b e ff² q r Aug cop arm aeth. In v. 18 μονογ Θεος ℵ B C* L 33 cop syr aeth Ir Or Did Bas Epiph Cyr.

Duabus partibus prologus dividitur 1,1-8; 9-18. Priore parte exponitur Verbum esse aeternum, personam, Deum (v. 1. 2); dein eius ad creaturas habitudo declaratur in ordine naturali per creationem v. 3 et in ordine supernaturali, quatenus hominibus vitam sublimiorem et altiorem cognitionem communicabat v. 4. Nunquam quidem destitit hominibus in peccatorum et ignorantiae caligine constitutis sese luce sua offerre; illi autem lucem oblatam repudiarunt v. 5. Quare cum Verbum se ipsum assumpta natura humana manifestaturum esset, missus est a Deo Ioannes baptista qui suo testimonio fidem populi in Verbum excitaret (v. 6. 7). Et cum ille apud multos magna valeret auctoritate, quanto intervallo tamen a Verbo distet repetito indicatur v. 8. Quod intervallum quo magis eluceat, Verbi ipsius maiestas et efficientia iterum explicatur eo modo, ut quae in v. 4. 5 dicta sunt illustrentur magisque determinentur. Proin docetur, qua ratione Verbum tamquam veram lucem se exhibuerit v. 9 et quidem humano generi in universum simul addita ratione, cur multi non sint illuminati v. 10; dein quomodo se exhibuerit populo electo, utique a multis pariter reiectum v. 11; sed quotquot Verbum receperunt fide, iis dedit, ut fieri possent filii Dei, ex Dei spiritu et gratia geniti v. 12. 13. Ita igitur quod dictum est in v. 5. 10. 11, suis quoque limitibus circumscribitur. Et quam insigni modo Verbum id ad perfectionem adduxerit quod ab exordio generis humani et speciali modo in populo electo pro salute hominum effecit, ipsa Incarnationis mentione panditur; Verbum caro factum commoratum est inter homines, ita ut maiestas illa in eo cerneretur quae deceat unigenitum Filium Dei, et bonorum summorum copia v. 14. De qua gloria pariter testatus est baptista v. 15, quod testimonium sua omniumque fidelium experientia evangelista comprobat v. 16 simul explicato discrimine inter veterem novamque conditionem ostendit necessitatem gratiae a Verbo incarnato accipiendae v. 17 et declarat tandem, nos esse edoctos ab eo qui in intima cum Deo coniunctione cuncta in Deo videat v. 18.

Legenti statim evidens fit a v. 1 usque ad v. 8 facilem quendam cerni progressum : a Verbo ipso ut est in se proceditur ad eius effectionem

in ordine naturali et supernaturali et ad huius effectionis continuam perdurationem, quae in Ioannis baptistae missione novam manifestationis epocham incipit. Pariter dubitari nequit ex ipsa verborum proprietate et amplitudine in v. 9 iterum fieri quasi regressum ad continuam illam efficientiam quam Verbum ab exordio generi humano praebuit, vel pluribus explicari quae in v. 4. 5 habentur, donec tandem serie temporum denuo quasi perlustrata evangelista ipsum Incarnationis mysterium enuntiat eaque adiungit, quibus eius mysterii veritas, summa utilitas, suo et baptistae testimonio demonstratur et novae huius per Incarnationem inauguratae periodi indoles et sublimitas declaratur. Haec igitur ratio est, cur prologum in has duas partes v. 1-8. 9-18 dividam.

Alii utique aliter dividunt. Satis frequens est haec divisio v. 1-5, 6-13,14-18 (*Keppler, Keil, Weiss* etc.) vel 1-5, 6-18 i. e. Verbum ante Incarnationem et post eam; ita ut altera pars denuo dividatur 6-13 quibus Incarnatio modo generali spectetur et 14-18 quibus ipsa et fructus eius explicentur (*Fil.*); paullo aliter *Schanz :* 1-5,6-14,15-18. Cur ab iis recesserim et praeprimis v. 9 seq. non de ipsa iam Incarnatione acceperim, paucis supra indicatis ratio redditur in commentario.

Quod evangelista sibi proposuit assequendum, scil. : « haec scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei » (20,31), id in prologo iam quam maxime sectatus est; v. 1 *in principio erat Verbum,* ἐν ἀρχῇ contineri allusionem ad Gen. 1,1 merito plerique agnoscunt; inde itaque et notio *in principio* attendenda et discrimen dictionis perpendendum est. Quare in principio non est simpliciter ἀπ' ἀρχῆς, neque ἀεὶ (*Euth.*) sed significat principium temporis, durationis i. e. qualecumque initium excogitari possit (*Cyr. Bed. Thom.*). Verum cum addatur *erat,* eo ipso dictio coniuncta notionem exprimit aeternitatis Verbi, uti bene dicit *Chrys.* τὸ ἀΐδιον δηλοῖ. Nam quodcumque principium durationis accipiatur, sive temporis rerum corporalium sive quodcumque imaginatum principium totius mundi, in illo principio iam erat Verbum (*Thom.*). Cum itaque res fieri coeptae sint, iam *erat;* ergo nunquam factum est, ergo semper exstitit. Quare *Cyr.* scribit : quodsi erat in principio, quae mens, quaeso, poterit vim illius *erat* transvolare? quando denique illud *erat* velut in fine consistet, cum prosequentem cogitationem semper antecedat mentemque praecurrat? illud *erat* hic positum est quo contemplantis animus in profundam quandam et incomprehensibilem et ineffabilem quae cuncta superat tempora exsistentiam intendatur. Et merito infert *Hilarius :* quid est istud : in principio erat? transeuntur tempora, transmittuntur saecula, tolluntur aetates; pone aliquod quod voles tua opinione prin-

cipium, non tenes tempora, *erat* enim unde tractatur; fit in principio quod creatur... meus autem piscator vicit omne principium : *erat* enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur ut coeperit, quod erat potius in principio quam fiebat (de Trin. 2,13; *M.* 10,60; sim. *Thom. Tol.*).

Allusione itaque ad Gen. 1,1 retenta directe enuntiatur : in illo principio cum res creari coeptae sint iam erat Verbum; consequenter autem inde efficitur, ut Verbum sine principio cogites (ut ait *Chrys.*). Uti recentiores, ita veteres quoque praeterea expendunt dici *erat*, non fuit. Nam ἦν ἀδιορίστως indefinite prolatum, quonam in loco nos sistet (*Cyr.*)? et *Thom.* advertit verbum temporis praeteriti imperfecti maxime videri competere ad significanda aeterna, quia praeteritum imperfectum designet aliquid fuisse nec desiisse, sed adhuc remanere, et *Cai.* ait consignificari ita tempus praeteritum, quod simul consignificetur perseverare in illa duratione de qua sit sermo : praecessit initium sic quod perseverans erat cum initio (sim. *Ians. Bar.*).

Iam ostenditur, ubi erat : *et Verbum erat apud Deum* πρὸς τὸν Θεόν; qua locutione declaratur Verbi subsistentia, distinctio (nam persona dicitur esse apud personam) et amica et socialis coniunctio cum altera persona. Nam monente *Chrys.* non dicit ἐν Θεῷ, sed πρὸς τ. Θ, τὴν καθ' ὑπόστασιν αὐτοῦ ἀϊδιότητα ἐμφαίνων ἡμῖν; declaratur aeternitas secundum hypostasin, prout *Cyr.* quoque effert ostendi Verbum esse unum quiddam idque per se subsistens, alium autem esse Deum seu Patrem. Pariter consequitur Verbum esse coaeternum Deo (*Theoph.*) et qua ratione sit apud Deum, explicatur v. 18. 6,46; 8,38; 17,5 (cf. *Ians. Mald. Bar. Nat.*). Dein Verbi natura seu essentia declaratur : *et Deus erat Verbum* καὶ Θεὸς i. e. habens naturam divinam Verbum erat. Propositiones ita connexuit evangelista, ut in qua voce praecedens propositio desineret, ab illa sequens inciperet, ut iam *Bar.* adnotat. Cum Θεὸς ponatur hic sine articulo, Ariani eo quoque loco usi sunt, contra quos agunt *Chrys. Cyr.* etc.; alii ex recentioribus volunt evangelistam ita quoque consentire cum Philone qui pariter Deum ipsum quidem dicat τὸν Θεόν, sed Λόγον, utpote minorem, solum Θεόν (*Siegfried,* Philo von Alexandria p. 317); verum iam *Cai. Ians. Lap.* aliique veram reddiderunt rationem, cur articulus debuerit deesse; « si enim utrobique addidisset articulum, iam confudisset personarum proprietates; sensus enim fuisset : et ille Deus apud quem dixi esse Verbum erat illud ipsum Verbum, vel ipsum Verbum erat ille ipse Deus Pater, apud quem dixi esse Verbum » (*Ians.*) et similiter *Schanz, Weiss.* Enuntiatur itaque Verbum esse Deum i. e. habere naturam divinam; sicut enim is est et dicitur homo qui habet naturam humanam, ita Deus est is qui

habet naturam divinam. Verbum igitur Deo Patri esse consubstantiale docetur (*Cyr.*).

Iam haec tria in unum colliguntur, quo magis uno conspectu tota Verbi sublimitas exhibeatur : v. 2 *hoc* (cum emphasi, hoc Verbum ita descriptum et declaratum) *erat in principio apud Deum;* erat itaque ab aeterno consubstantiale Patri eique coaeternum in amica illa coniunctione, habens cum eo unitatem naturae et concordiam voluntatis (*Thom.*). Ex qua sententiarum comprehensione *Cyr.* etiam contra eos arguit qui dicebant aliud esse insitum in Deo Verbum, aliud insito simillimum Filium et Verbum per quod Deus omnia operetur (i. e. contra Eunomium eiusque sectatores).

Unus Ioannes ex sacris auctoribus adhibet vocem Λόγος. Ea voce utitur quoque praeter v. 14 in epistola prima 1,1 et in Apoc. 19,13; designari Filium Dei adeo est in aperto, ut ne Ariani quidem negaverint (*Mald.*). Verum duo quaeri solent : cur ea usus sit voce et quid ea declaretur. Ex modo quo vocem scribens usurpat perspicuum est eum iam doctrina orali eandem dictionem et usurpasse et explanasse. Ex altera vero parte, cum ea vox nullibi neque in evangeliis neque in epistolis apostolicis reperiatur, certum videtur Christum se nunquam ita vocasse. Occasio autem qua Ioannes inductus censeri potest ad eam adhibendam repetenda erit ex eo, quod nomen hoc usurpabatur et ab eruditis Iudaeis (cf. Memra, in targumim) et ab iis quoque qui philosophia graeca, alexandrina tincti erant. Quam duplicem rationem iam indicavit *Mald.* monens nomen Memra notum et maxime usitatum fuisse apud Hebraeos et λόγον nominari saepe apud Philonem et alios philosophos graecos. Voluit ergo Ioannes, inde concludit *Mald.*, accommodate ad usum loqui; voluit intelligi; videbat etiam id futurum lectori gratius. Eandem occasionem recentiores quoque assignant; ea voce usus est, ait *Watkins* p. 440, quia haec ipsa dictio ubique circa eum audiebatur, et *Holtzmann* in ea voce inter se coniungi ait flumina sapientiae de rebus divinis iudaicae et philosophiae graecae (Einleitung, 1892, p. 443); quare ea vox valde apta erat qua redemptoris Iesu sublimitas omnibus statim ab initio proponeretur et sapientiae studio ducti ad eam allicerentur doctrinam. Ita *Keppler* quoque illam de Logo disquirendi rationem communem fuisse ait philosophiae et theologiae iudaicae et etiam magis excultam esse in philosophia alexandrina, qua per Philonem sapientia Graecorum coniuncta fuit cum placitis Iudaeorum (cf. Das Iohannes-Evangelium und das Ende des ersten christl. Jahrhunderts p. 18). Eodem modo *Schanz* ait vocem Λόγος in philosophia alexandrina coniuncta cum graeca plane in usum exiisse ideoque Ioannem dictionem tamquam apud eruditos plane notam sup-

ponere. Et cum Act. 18,24 Apollo alexandrinus, ἀνὴρ λόγιος, vir doctus, Ephesum devenisse tradatur, exemplo demonstratur placita alexandrina ea in regione haud fuisse incognita. Insuper certum est tempore quo Ioannes scripsit evangelium iam serpere incepisse initia errorum gnosticorum (cf. *Keppler* l. c.); quare omnino probabile est quod *Corluy* habet : ei nomini seligendo occasionem forte dederunt tunc iam grassantes doctrinae gnosticorum, qui ita post Philonem vocabant ens aliquod sublimius quod dicebant Iesu fuisse unitum; sic etiam nomina ἀρχή, ζωή, χάρις, ἀλήθεια, μονογενής a gnosticis tribuuntur aeonibus suis, quae omnia Ioannes in suo prologo sensu genuino exponit (p. 26).

Sed ea occasione assignata nullatenus dici potest quod *Siegfried* tamquam rem communiter admissam proponit evangelistam nomen Λόγος a Philone esse mutuatum (p. 317). Id enim ex duplice capite plane reiiciendum est. Nam si solius nominis ratio habetur, nomen innotescere et potuit et debuit tum ex sacris litteris veteris foederis tum praesertim ex usu doctorum, qui in targumim deprehenditur. Verum quidem est targumim in eam formam quam habemus non esse redacta nisi forte saeculo tertio vel quarto p. Ch.; at pariter certum est multa in iis contenta esse originis antiquioris et pertinere ad tempus Christi et apostolorum (cf. Matth. 5,34 seq. 12,1 seq. 23,16. Marc. 7,2-13. Act. 21,24. 2 Cor. 11,24). Iam in istis targumim frequentissimum est usurpari nomen Memra, i. e. Λόγος, Verbum, et ita quidem, ut quod in textu librorum sacrorum Iahve, Deus dicere et facere tradatur, in targumim adscribatur τῷ Memra; v. g. Gen. 3,8 et cum audissent vocem Domini, in targum : vocem Verbi Domini. Qui modus eatenus in sacris litteris praeformatus est, quatenus haud raro verbum Domini personificatione quadam proponitur (cf. Ps. 32,4. 6; 106,20 misit verbum suum et sanavit eos, Ps. 147,15. Is. 55,11. Sap. 18,15 etc.), uti alias de Sapientia quasi de hypostasi sermo infertur. Unde doctrina de Λόγῳ (de Ratione, Sapientia, Verbo) quasi in germine ipsis s. litteris offertur. A Philone autem nomen esse repetitum insuper ex eo repudiandum est, quia inter Λόγον evangelistae et λόγον Philonis ingens deprehenditur discrimen. Philonis quippe λόγος ex notionibus diversis, immo inter se saepius pugnantibus componitur; est quippe ἰδέα rerum, vis Dei efficax, ἰδέα vel ratio mundum permeans et in eo immanens, anima mundi, comprehensio omnium virium, complexio mundi sensibus non subiecti; est unum quoddam, at simul multiplex, deus secundus, attributum Dei et generatim omnia de eo colligit Philo quae a doctoribus Iudaeis de facie Dei, de angelo Domini, de Memra, quae de Sapientia in s. litteris et de λόγῳ a philosophis graecis disputata sunt. Ex plurimis ea de re scriptis cf. *Gfroerer,* Philosophie und alexandrinische Theosophie I p. 168; *Daehne,* Jüdisch-alex. Religionsphil. I p. 202; *Siegfried* l. c. p. 223; *Zeller,* Philosophie der Griechen III, 2 p. 371-386. Ex hisce iam elucet ingens discrimen. Unde ridiculum est, ut non dicam plane absurdum, quod *Holtzmann* l. c. 445 evangelistae vitio vertit inter alia, scil. notionem λόγου

ab eo non ex necessaria consecutione esse retentam, quia Deus etiam sine λόγῳ intermedio loquatur, velit, diligat, agat 1,33; 3,16. 17. 35; 6,40. 44; 9,29; 16,27; 17,6. Philo utique λόγον suum inducit quia Deus immediate per se non possit agere ad alia neque ullo pacto quoddam cum aliis inire commercium; at evangelistam reprehendere quia notionem Philonis non consequenter excoluerit ille solum poterit qui evangelistam prorsus non intelligit.

Quantopere differat Logos nostri evangelii a notione illa vocis apud Philonem ex illis ipsis satis elucet quae *Holtzmann* affert, ut quandam cognationem probet. Nam apud Philonem Logos est vis quaedam vel potentia, virtus divina homines illuminans, ille Logos non creat, sed format mundum, ille solum ut idea mundi est in Deo. Sane plane aliter Logos evangelii; est hypostasis, est creator mundi, est Deus. Falso rem ita describit Holtzmann, ac si Logos sola Incarnatione fieret hypostasis. Quae affinia sunt, facile explicantur eo fonte communi, ex quo uterque hauriunt, scil. ex vetere testamento. Ita quod gloria Dei in eo revelatur, quod omnia facit secundum id quod in Patre videt, quod hominibus gratiam Dei conciliat, in animis iustorum habitat, homines arguit, etc.; haec omnia de sapientia praedicantur, partim quoque de verbo Domini et apud targumim de Memra. Alia quae afferuntur ad cognationem probandam, ex falsa evangelii interpretatione originem ducunt (cf. *Holtzmann,* Handcommentar, Leipzig 1893, p. 43.)

Quid nomine Λόγου, Verbi de persona divina enuntiatur? Iam vero, adnotat *Salm.* tract. 3, teste Hieronymo in epistola ad Paulinum Λόγος vox est plus gravida sensibus quam vox latina verbum; ait enim : λόγος graece multa significat; nam et verbum est et ratio et supputatio et causa uniuscuiusque rei, per quam sunt singula quae subsistunt (ep. 58; *M.* 22,543); alii addunt sermonem, mensuram, definitionem, librum, orationem, oraculum. Quaeritur ergo quaenam vox latina significantius et magis proprie exprimat vocem Λόγος; interpres noster vertit Verbum, Erasmus Sermo, Tertulliano et Caietano magis placet Ratio. Haec *Salm.* Communissima et recta versio, quam syrus quoque interpres et armenus et recentiores ad unum omnes retinent, est Verbum. Ita enim λόγος in libris sacris ubique intelligitur; ubique de verbo Dei, non autem de ratione etc. mentio infertur. Unde iam sequitur etiam nostro loco eandem interpretationem esse retinendam, dummodo sensum gignat in Filium Dei aptum. Atque id quidem quam maxime habetur. Nam apud veteres iam usitatum est verbum appellare notitiam illam seu conceptum seu cognitionem quam mens in se format; ita iam loquitur *Rufinus* in explic. symb. n. 4 : expedi primum, si potes, quomodo mens quae intra te est generet verbum, et apud *S. Augustinum* sollemne est verbum mentis, verbum cordis;

« formata cognitio ab ea re quam scimus verbum est quod in corde dicimus » (tract. 1 in Ioan., de Trinit. 15,10. 11. 12; M. 42,1070 etc.), et simili modo *Eusebius* quoque Λόγον dici Filium Dei affirmat, quod omnium rerum artificiosas et efficaces rationes omnipotens in eo reposuit; dein explicat quam ingens discrimen intercedat inter verbum animae humanae et inter Dei Verbum quod habet propriam subsistentiam prorsus divinam et intelligentem (ὑπόστασιν,... νοεράν, Dem. ev. 5,5; *M*. 22,376-377). Et *S. Basilius* scribit in homilia ad Ioan. 1,1 : λόγου duplex est intelligentia : alter enim voce profertur, alter internus (ἐνδιάθετος) est et animis nostris insitus... sed Verbum prout Deo convenit interpretare; cur Verbum? ut perspicuum sit processisse ex mente, quia imago est genitoris totum in se ipso genitorem ostendens, nihil inde separans et per se perfectum exsistens, quemadmodum et verbum nostrum totius nostrae cogitationis refert imaginem (*M*. 31,477). Similiter *S. Ioannes damascenus* discrimen explicat inter verbum humanum et Verbum divinum, quod Verbum a Patre genitum est et omnia in se ostendit quae in Deo conspiciuntur (de fide 1,6; *M*. 94,804).

Pater itaque se ipsum intelligens Verbum producit; « hoc Verbum ratio perpetua est, sapientia sempiterna, intellectus incomprehensibilis, veritas incommutabilis » (*Rup.*). Atque haec ratio, quia verbum est filius cordis (ut *Aug.* loquitur) potissima est. Accedit altera, quia verbum non solum verbum cordis est sed etiam oris. Unde etiam veteres non omittunt adnotare Verbum vocari, quia nobis sit interpres paternae voluntatis atque sententiae, sicut verbum vocale nostrum mentis et voluntatis nostrae est interpres (*Or. Chrys. Theoph. Bon. Euth.*). Illam priorem esse potiorem et nostro loco unice praecipuam patet quia evangelista loquitur de Verbo prout ab aeterno erat apud Deum; similitudo autem illa a verbo vocali deprompta non convenit nisi quatenus in tempore Deus nobis locutus est in Filio (Hebr. 1,1; cf. *Tol. Ians.*). Sed ex ipsa Verbi notione facile sequitur ratio conveniens, cur Deus per Verbum operetur atque sese manifestet ad extra, id quod theologi latius prosequuntur.

Illud in principio etiam explicari : in sapientia (*Or.*) in Patre (*Cyr. Bed. Thom. Bon. Nat. Bar.* etc.) impune negligitur; evidens enim est eam interpretationem aliasque quae ex voce ἀρχή extundi possunt et extundebantur ab hoc loco atque hoc contextu esse alienas. Neque illa de Patre interpretatio fulciri potest ex Ioan. 8,25.

Verbo in seipso considerato v. 1.2 iam ostenditur, quomodo se habeat ratione creaturarum (*Ians.*) vel proceditur ad eius virtutem insinuandam quantum ad omnia quae exsistunt et secundo specialiter quantum ad homines (*Thom.*) vel agitur de Verbo in comparatione ad

ea quae per ipsum dicuntur (*Bon.*) v. 3 *omnia per ipsum facta sunt;* πάντα omnia, sine ullo limite; τὰ πάντα cuncta quae exsistunt quasi simul sumpta et in unum collecta. Ita distinguere solent; at veteres graeci promiscue loquuntur : ἐν γὰρ τῷ « πάντα » οὐδέν ἐστιν ὃ μὴ ἐν τοῖς πᾶσιν ὁρᾶται (*Cyr.*). Opponit *Aug.* Arianis : quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Verum illi insistebant quoque quia dicitur *per ipsum,* διά, uti *Or.* iam contendit : δι' οὗ nunquam principem locum habere, sed semper secundum; unde Ariani Verbum esse minus dignitate concludebant; ex recentioribus *Siegfried* contendit hac quoque dictione cerni evangelium hoc dependere a Philone qui pariter adhibeat de Logo δι' αὐτοῦ; sed ut alia mittam, Philo nominat suum λόγον ὄργανον θεοῦ, quo tamquam instrumento usus sit Deus (χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ de cherub 35, de migr. Abr. 1; l. c. p. 318), a qua notione verba evangelistae absunt quam longissime, quia iam enuntiavit Verbum habere naturam divinam. Contra Arianos monent *Chr. Cyr.* etc. διά dici quoque de Deo Patre (1 Cor. 1,9. Rom. 11,36 etc.) et apte prorsus διά adhibetur; nam « Deus nihil operatur nisi per conceptum sui intellectus qui est sapientia ab aeterno concepta, scil. Dei Verbum, et ideo impossibile est quod aliquid faciat nisi per Filium » (*Thom.*). Simili itaque ratione per Verbum omnia Pater fecisse dicitur, sicut homo dicitur operari per sapientiam, artifex per artem; verum in quo sit discrimen per se patet. Insuper cum Verbum omnia accipiat a Patre vi originis a Patre, ergo virtutem efficiendi eandem quam habet Pater, Verbum quasi medium est inter Deum et creaturas ac proinde recte dicitur Deus per ipsum ut causam principalem a se genitam (*Chr.*) fecisse omnia (*Ians.*, *Tol. Cai. Lap.*). Idem quoque ex ipsa voce Verbi colligitur; ei enim voci, ut *Mald.* notat, melius convenit *per,* quam praepositio *a;* id quod *Rup.* ita enuntiat : per Verbum ergo facta sunt quia dicendo facta sunt, dicendo non elementali sono, sed eo modo loquendi, quo anima tua tacitam cum libet format loquelam, et similiter *Aug.* : Verbo tibi coaeterno simul et sempiterne dicis omnia quae dicis et fit quidquid dicis, ut fiat nec aliter quam dicendo facis (Conf. 11,7,9. *Bon.*). Considera pulchritudinem eorum quae facta sunt, visibilium et invisibilium, monet *Rup.* et corde et ore conclama, magnum atque pulchrum esse artificis Dei ingenium, quod non est aliud nisi hoc Verbum, per quod tanta, tam pulchra facta sunt.

Emphasis et confirmationis causa additur per modum parallelismi antithetici : *et sine ipso factum est nihil* οὐδὲ ἕν ne unum quidem (*Cai. Ians. Tol. Lap.*), *quod factum est;* habet iste modus pondus quoddam ac gravitatem affirmandi; ceterum Hebraeorum morem esse notat

Mald. ut quod semel per affirmationem dixerint, iterum per negationem dicant (Is. 39,4), qui modus utique satis frequens est (cf. 1,20; 3, 16; 10,4. 5. 28; 20,27. 1 Ioan. 1,6; 2,4. 27 etc.). Neque tamen tautologia exhibetur. Eam veteres excludunt dicentes id addi ne quis de sensibilibus solum vel de iis cogitet quae a Moyse recenseantur Gen. 1, sed ut cuncta quoque invisibilia includantur (*Chr. Euth. Thom.*), vel, ut *Cai.* dicit, declaratur illud *omnia,* intelligi scil. de omnibus *factis* et ita tolli omnem ambiguitatem et exceptionem. Porro cum nunc dicatur *sine ipso* factum esse nihil, simul connotari opinantur Verbum non solum esse per quod omnia facta sint, sed innui societatem cum Patre operante (*Thom. Bon. Cai. Tol. Lap.*) et ita quoque *Theod. M.* iam intellexit : « hoc dixit ut per haec omnia confirmaret Filium semper adesse Patri ut qui eiusdem sit naturae et consors operationis, semper quidem ei coexsistens, cooperans vero cum expediebat universa produci; clare autem ostendit illud *per ipsum* de eo non ministerii causa, sed cooperationis gratia dictum esse et ne quid rerum ab ipsius fabricatione eximeretur, adiungitur : et sine ipso etc. ».

Omnia itaque condita seu facta sunt per Verbum. Unde eo ipso etiam enuntiatur res singulas omnibus illis esse praeditas quae ad earum naturam pertineant, quae scil. ad earum conservationem, ad vitam earum indoli convenientem requirantur. Cum itaque pergatur v. 4 *in ipso vita erat,* planum est id non posse intelligi neque de vita ipsius Verbi (ac si idem enuntiaretur quod 5,26 : sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio habere vitam in semetipso, *Cai. Ians.*) neque de vita, quatenus Verbum efficit omnia viventia et causa et fons est vitae naturalis eamque largitur et conservat (*Chr. Theoph. Euth. Theod. M. Schegg*). Utrumque enim in antecedentibus iam propositum est. Quare vita etiam non intelligi potest sensu prorsus generali, ut Verbum dicatur fons vitae naturalis, ethicae, supernaturalis (*Schanz*). Verum rerum constitutione in ordine naturali in v. 3 absoluta evangelista progreditur ad ordinem supernaturalem, *in ipso* veluti in fonte et origine *erat vita* gratiae et gloriae pro hominibus (*Mald., Tol. Lap.*), erat in ipso tamquam effectus in causa efficiente (*Corl.*). Dicitur *erat* quia haec vita supernaturalis a primordiis generis humani homini erat destinata et proposita; similiter 1 Ioan. 5,11 vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio eius est; qui habet Filium habet vitam; hic quoque, uti nostro loco prius dicitur ζωή, dein ut *haec* vita designetur ἡ ζωή; *et vita* ἡ ζωή haec vita quae erat in Verbo *erat lux hominum;* lumen naturale, ut *Salm.* bene notat, homines per creationem acceperunt, de qua dixit : omnia per ipsum facta sunt; ideo hoc loco de supernaturali et divina luce et vita gratiae loquitur; ita *Chr.* quoque

et *Tol.* explicant; plerique tamen de luce utraque, naturali et supernaturali, mentionem faciunt (cf. *Aug. Rup. Alb. Thom. Bar. Ians. Schg.*). Sed lumen naturale et quae ex eo consequuntur in ipsa creatione et conservatione inclusa intelliguntur. Illa itaque *vita* i. e. gratia et gloria cuius fons et origo est Verbum *erat lux*, illuminatio, institutio, doctrina, gaudium ac beatitas hominis a primordio. Est quippe gratia participatio quaedam naturae divinae (2 Petr. 1,4), est semen Dei (1 Ioan. 3,9); unde bene dicitur vita in Verbo; gratia haec est illustratio intellectus; luce autem homo ducitur; lux simul imaginem felicitatis praebet; unde luce bona cuncta indicantur quae ope gratiae illius homini proponebantur et quae absolvuntur ita, ut in lumine Dei videatur lumen increatum, essentia divina. Unde sensu sublimiore accommodaveris illud : apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen (Ps. 35,10); ceterum vide 17,3.

Si itaque in v. 4 agnoveris progressionem a v. 3 i. e. a creatione et consequenter ab iis quae creatione tribuuntur et cum ea conservantur, habebis in v. 4 indicatum ordinem supernaturalem qui homini creato est superadditus. Vix opus est monere vitam, lucem constanter apud evangelistam de supernaturali ordine reperiri v. g. 3,15.16.19;5,24.29.40;6,33.48.52.54;8,12;10,10;11,25;12,35.36;14,6;20,31. Atque ut significaret perpetuo atque indesinenter hanc lucem lucere ab exordio generis humani usque in hunc diem (*Ians.*) non obstante miserabili lapsu protoparentum atque posterorum, subiunxit v. 5 *et lux in tenebris lucet;* quia primi parentes a dignitate illa exciderunt et facti sunt tenebrae, ideo subdidit *et lux*..., ut sciamus lucem illam defuisse nemini, quae sese omnibus obiicit ut apprehendatur (*Salm.*). Tenebris itaque accommodate describitur conditio hominum ignorantiae et peccatorum caligine obvolutorum, uti moris est in s. litteris. In ea etiam rerum conditione lux sese hominibus offert; cf. v. 9;3,19; Deus enim omnes homines salvos fieri vult et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim. 2,4); quare gratiam omnibus offert, *et tenebrae eam non comprehenderunt*, homines tenebrosi (*Thom.*), cf. Eph. 5,8 eratis aliquando tenebrae; peccatis obnoxii et impliciti lucem illam sibi oblatam recipere noluerunt (*Mald.*), eam ignorabant (*Cyr. Rup.*), id quod v. 10.11 et 3,19 explicatur : in mundo erat et mundus eum non cognovit (*Bar. Ians. Mald.*); nam lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem 3,19. Lapsu itaque protoparentum inductae sunt tenebrae et peccatis serpentibus obscuratum est insipiens cor (Rom. 1, 21) « quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est, sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius caecus est corde. Praesens est sapientia, sed cum caeco praesens est, oculis

eius absens est, non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est » (*Aug. Bed. Bar.*). Illud οὐ κατέλαβεν aliter concipit *Chr.* : tenebrae non superarunt lucem; est quippe lux inexpugnabilis, tenebrae lucem impedire seu exstinguere non valebant (sim. *Theoph. Euth. Bar. Weiss; Or.* utramque vocis acceptionem quae ex usu vocis admittitur proponit) et similiter dicitur de sapientia : inexstinguibile est lumen illius; sapientiam non vincit malitia Sap. 7,10.30. Verum hoc loco prior acceptio a plerisque merito retinetur. Ea enim omnino suadetur ex seq. v. 10.11; lucem non superari nec superatum iri non erat necesse post v. 4 efferre; lucem non esse superatam iam enuntiatur eo ipso v. lux in tenebris *lucet.* Tristis quidem generis humani conditio tenebris istis exhibetur; at lux semper lucens in tenebris tamen certam facit spem semper fuisse quos lux illa ad lucem Dei perduxerit.

Ex connexione sententiarum, in quibus apta deprehenditur progressio a creatione ad institutum ordinem supernaturalem et ad gratiam naturae lapsae non negatam, statim etiam deprehenditur neutiquam posse admitti illam distinctionem olim adeo pervulgatam : v. 3 sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Ita distinguunt *Or. Cyr. Aug. Bed. Rup. Alb. Thom. Bon. Salm. Bar.* et ita distinguunt codices nostri paene omnes, ait *Wordsworth* et ita quoque sixtina editio Vulg. habet (nihil : quod factum est in ipso vita erat), ita editiones multae ab anno 1476 et seq. et eodem modo W H in textu graeco distinguunt. Verum graeci plerique eam distinctionem non agnoscunt; ita *Didymus, Chr. Epiphanius, Theodoretus, Theod. M. Nonnus, Theoph.* quorum testimonia *Ti.* in notis criticis affert; idem testatur *Ambrosius* de Alexandrinis et Aegyptiis et quamvis ipse legere : quod factum est in ipso, vita erat, minime vereatur, tamen concedit plerosque doctos et fideles pronuntiare : nihil quod factum est; alios : factum est nihil; dein : quod factum est, pronuntiare et subiungere : in ipso, hoc est : quidquid autem factum, est in ipso, secundum illud : in ipso vivimus, movemur et sumus (Act. 17, 28; *M.* 14,984; 16,598). Alii etiam ita iungebant : quod factum est in ipso, vita erat, vel : factum est nihil quod factum est in ipso; vita erat (uti refert *Theoph.*). Distinguendi modum illum vehementer impugnat *Chr.*; eo abusi sunt Macedoniani ut ostenderent Spiritum sanctum esse creaturam; eo pariter abusi sunt Ariani, ut *Ambrosius* l. c. refert. Reiecta distinctione : quod factum est in illo, vita est, *Aug.* hanc sequitur : quod factum est, in illo vita est, « est enim in ipsa Sapientia spiritualis ratio quaedam qua terra facta est; haec vita est », vel, ut *Bon.* dicit : omnia sunt in ipso antequam fiant et in ipso vivunt sicut arca in mente artificis. Et eo modo latini exponunt. Iam patet id minime ad sequens sententiae membrum convenire : et ἡ ζωή, *haec* vita erat lux hominum. Creaturae enim in Verbo secundum ideam exsistentes non sunt lux illa, de qua evangelista loquitur. Vocat *Ians.* eum sensum a Platonicis ideis desumptum, obscurum et coactum nimis.

Enuntiaverat evangelista v. 5 in universum *lucet;* quare nullo non tempore hominibus offerri lucem declarans iam ulterius modum exponit quo suo tempore haec notitia lucis sit insinuata. Facilis itaque et obvius est transitus a forma temporis *lucet* ad tempus evangelistae. Plerumque dicunt nunc fieri transitum ad Christi manifestationem et Incarnationem; verum id non adeo clarum est, cum solum v. 14 tandem Incarnationem factam esse dicatur et insuper plura antea inserantur quae ad eam referri nequeant. Melius repetit *Bar.* nexum ex v. 5; sed ex membro altero : homines non comprehendisse lucem; addit igitur hoc loco misisse Deum testem summae auctoritatis, cuius testimonio excitarentur ad comprehendendam lucem; v. 6 *fuit homo missus a Deo*, ἐγένετο... ἀπεσταλμένος exstitit homo missus a Deo (*Mald. Corl. Schg. Schz. Weiss*), quamvis *Chr.* dicat poni pro ἀπεστάλη, sed eo modo γίνεσθαι non iungitur cum participio; cf. ἐγένετο Marc. 1,4, Luc. 1,5 et dictio haec habet aliquid sollemnitatis et gravitatis quae prologo plane congruit. Eo quod missus dicitur auctore Deo, dignitas et munus prophetae ei adscribitur, qui scil. auctoritate a Deo accepta agat et annuntiet quae Deus ei commisit. Atque revera se prophetam esse manifestavit illud exhibens signum, quo verus propheta a falso lege mosaica dignosci debet (Deut. 18,22; cf. Ier. 28,9); edit scil. vaticinium, quod verum esse mox eventu comprobatur (v. 27. Matth. 3,11. Marc. 1,7. Luc. 3,16); *cui nomen erat Ioannes*, cf. יְהוֹחָנָן, יוֹחָנָן Iahve propitius est; *Rup.* interpretatur Domini gratiam; et sane magnus Dei favor populo est exhibitus, cum Deus post longum illud a Malachia et deinceps prophetale silentium iterum prophetam misit. Quam excellenti ratione ille sit a Deo praeparatus et missus, narratur Luc. 1,5-25.57-80; 3,1 seq.

Quae fuerit eius missionis ratio, dicitur v. 7 *hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine* (de luce, περὶ τοῦ φωτός), *ut omnes crederent per illum;* gravissimum et apud Iudaeos gratissimum testem evangelista iis citat (*Mald.*); quantae enim auctoritatis apud eos Ioannes baptista fuerit, luculenter proditur Matth. 3,5. Ioan. 5,35. Act. 13,24 et *Iosephus* quoque testatur narrans Iudaeis fuisse persuasum Herodis exercitum ab Areta rege esse devictum, quia in ultionem necis baptistae Deus Herodi infensus eam stragem immisisset (Antiq. 18,5,2). Testimonium perhibere debet non propter defectum luminis, sed credentium (*Bon.*). Maximus est prophetarum, ipse a propheta praedictus (Mal. 3,1. Matth. 11,10. Marc. 1,2. Luc. 7,27), praecursor Domini; « magnum aliquid iste Ioannes, ingens meritum, magna gratia, magna celsitudo » (*Aug.*). Utique non omnes credebant; sed quantum est ex parte Dei mittentis et ex parte Ioannis venientis sufficiens modus adhibitus est (*Thom.*); porro, uti notant *Alb. Bon.*, finis proximus adventus

eius, finis in se, habebatur qui est finis operis, scil. testimonium perhibere, finis utique remotus, qui est in altero, finis intentionis, hominum culpa non totus effectus est.

Cum emphasi repetitur v. 8 *non erat ille lux* τὸ φῶς, *sed ut testimonium perhiberet de lumine*, venit scil. seu missus est. Cur tam graviter asseritur: non erat ille τὸ φῶς, id quod tamen post v. 4 satis erat clarum? Veteres monent evangelistam cum varios de Ioanne sparsos rumores nosset id necessario subiunxisse (*Cyr.*) ad tollendam suspicionem, ne quis putaret aliquid fidei verbis Domini ab eo addi (*Chr.*) et contra opinionem eorum qui Ioannem pro Christo habebant (*Rup. Bar. Tol. Cai. Lap.*). Atque ex recentioribus quoque *Lightfoot* (Dissertations on the apostolic age, London 1892, p. 388) censet indicari narratione modoque loquendi in Asia proconsulari sparsas esse opiniones Hemerobaptistarum, immo exstitisse eiusmodi coetus (cf. Clem. Recog. 1,54. 60.63; Const. apost. 6,6. Clem. Homil. 2,23, Euseb. h. e. 4,22, Epiph. haer. 17,1; *M.* 1,917.1238 seq.; 2,92; 20,381; 41,255 — quibus addi potest Vigilius tapsensis, c. Arianos, Sabell. 1,20; *M.* 62,194). Atque Act. 19,1 Ephesi Paulus discipulos Ioannis invenit, neque tamen inde probabile est sectatores Ioannis diutius sectam quandam constituisse. Adnotant solum negari Ioannem fuisse τὸ φῶς; quare ei non demi laudem illam sanctis omnibus communem, quam Christus et apostolus fidelibus tribuant (Matth. 5,14; Eph. 5,8; *Cyr. Thom. Cai. Mald. Lap.*).

Eadem ratione qua praecedens in v. 8 inductum est membrum : non erat ille lux, subiungitur ad excludendam omnem dubitationem et ad apertius explicandum, quomodo Ioannem dixerit evangelista non fuisse lucem (*Alb. Tol. Ians.*) v. 9 *erat lux vera;* ipso modo loquendi magis explicari videtur illum non fuisse lucem (*Mald.*), unde declaratur accuratius, qualis lux Verbum fuerit (*Rup.*), vel potius ob v. 4.5 quae sit vera lux hominum. Alium nexum adstruit *Aug.*, dici nunc de quo lumine Ioannes testimonium perhibuerit (*Cai.*); at cum Ioannes non testimonium exhibuerit de iis quae v. 9.10 continentur, iste nexus admitti nequit. Melius est quod *Beda* habet : testimonium perhibere Ioannis erat, gratiam vero lucis pectoribus infundere, illius solius est de quo dicitur : *erat lux vera;* simili modo nexum considerare videtur *Thom.;* dicit enim in v. 9 et 10 adstrui necessitatem Incarnationis, in v. 11 et 12 eius utilitatem, in v. 14 eius modum; ita quoque *Alb. Bon.* Dicitur *vera lux* i. e. genuina, vera, non participatione lux, sed per essentiam (*Thom. Alb. Bar. Lap.*), quae proinde simul est summa lux, cui maxime proprie nomen lucis plenissime conveniat (*Cai.*) adeoque *vera* lux. Vera lux illa est, ut ait *Aug.*, quae illuminat scil. per se, sancti autem gratia illuminati tum demum fiunt lux in Domino (cf. *Amm.* cat. Cr.). Eius-

modi lux per se illuminans exsistebat; *lux vera* est scil. subiectum grammaticale. Et quam proprie ei conveniat nomen verae, genuinae lucis ostenditur ex eius efficacia : *quae illuminat omnem hominem venientem in (hunc) mundum;* cf. v. 4 lux hominum. Intelligenda est illustratio supernaturalis per gratiam (*Chr.*), uti iam ex v. 4 consequitur et etiam plerique agnoscunt. Nam lumen naturale cognitionis (quod hic aliqui explicant, *Theoph. Cai. Schz.*) pertinet ad ea quae necessario ipsam creationem consequuntur; quare etiam non cum aliis (*Cyr. Bed. Thom. Nat.*) utrumque, naturale donum ac supernaturale, intelligendum est. Veniebat haec lux, ut *Aug.* ait, ad mentes infirmas, ad corda saucia, ad aciem animae lippientis; et *Rup.* eam dicit intelligi illustrationem quam in Adam omnes perdiderunt, « quadam enim luce, scil. luce rationis quam habent ex eo quod ad imaginem Dei facti sunt, omnes homines illuminati veniunt; quadam autem illustratione privati nascuntur in hunc mundum »; de qua illustratione per gratiam explicant *Chr. Bon. Bar. Salm. Tol. Lap. Mald.;* cf. 18,37.

Enuntiatur itaque neminem a gratia excludi, omnibus lucem illam veram, quae est lux hominum v. 4, offerri neque unquam lucem illam hominibus defuisse : lux in tenebris *lucet.* At non omnes illuminantur! utique effectus totus et integer non semper habetur; at quis negare audebit Deum revera animos omnium gratia sua tangere neque semel tantum, verum saepius vel remote et indirecte vel proxime et directe? Itaque ex sua parte revera illuminat luce gratiae (*Chr.*), lux ex parte sua nulli deest (*Thom.*); id enim iam consequitur eo quod Deus omnes homines vult salvos fieri. Homo utique potest se avertere a luce illuminante, illi opponere tenebras peccatorum et ita pro se eius efficaciam tollere. Illud ἐρχόμενον *Theod. M.* retulit ad τὸ φῶς, quam coniunctionem etiam *Tol. Calm.* praeferunt et *Weiss* (qui explicat : in eo erat ut veniret); eam commemorant *Aug.* (de peccat. mer. 1,25,38) *Salm. Bar. Mald. Lap. Nat.* etc. neque tamen approbant atque merito contra eam iam excepit *Cyr.* necessario ipsum Ioannem verum exponere et suorum verborum vim et sensum interpretari, quia illico de luce subdat : in mundo erat, ut illud ἐρχόμενον intelligas de homine. Quam connexionem et versiones et plerique interpretes retinent. Et cum in v. 9 magis explicetur id quod in v. 4. 5 dictum est, iunctio illa : erat lux veniens, vel in eo ut veniret, neutiquam admitti potest. Dictio quidem videtur abundans, si ad hominem refertur. Attamen haec copia habet aliquid sollemnitatis et gravitatis, quia omnem hominem qui nascatur illuminatum iri edicitur. Iam *Mald.* monet de illo rabbinico בוא בעולם venire in mundum i. e. nasci; venit quia totus homo apparet ibi, ubi non erat, antequam nasceretur (*Bar.*); venit,

ait *Cyr.*, quia ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι vocatur. Subtilius (ut *Mald.* dicit) alii inde animae creationem concluserunt : secundum corpus hominem non venire in mundum, quia corpus sit ex mundo, verum secundum animam, quae non sit ex mundo, sed veniat creata a Deo in mundum (*Thom. Cai. Salm.*).

Iam in subsequente accuratius explicatur quomodo haec illuminatio ad singulos pervenire possit et qua ratione haec illuminatio impediatur v. 10 *in mundo erat,* scil. Verbum, Logos, uti ex sequentibus patet; facilis est transitus a luce ad Verbum, quia iam in v. 8 transitus a luce ad eum in quo lux illa reperitur erat praeparatus; insuper etiam consequitur haud operose ex v. 4 : in eo erat vita i. e. lux, ergo ipse lucis nomine designari potest. Nexum adstruit *Rup.* hunc : Verbum quod est apud Deum, quomodo hominem luce sua illuminare potest? audi : in mundo erat et apud Deum erat; in mundo sicut causa efficiens et conservans, efficax itaque et praesens est omnibus ad illuminandum (*Thom.*) *et mundus per ipsum factus est*, ita quidem ut ex magnitudine speciei et creaturae creator potuerit cognosci (Sap. 13,5. Rom. 1,19. 20. Act. 14,16). Debebant itaque uti lumine naturali et Deum quem ex operibus cognoscere poterant venerari; tum sane illa aderat ex eorum parte conditio, ut ulteriorem eamque supernaturalem a Verbo acciperent illuminationem. Qui vero luce naturali et lege illa omnium in cordibus inscripta (Rom. 2,14) neglecta, spreta, suffocata se in vitia et idololatriam abiecerunt, illi etiam oculos mentis occluserunt illuminationi Verbi supernaturali; illi tamquam caeci in splendore solis ambulabant. Aliis verbis : qui facit ex sua parte quod potest, ei Deus non deerit, immo iam etiam ei adstat, ut faciat. Verbum utique qua Verbum ex opere mundi agnosci nequit, at opifex Deus qui colendus sit; ad quam cognitionem, etsi solis viribus naturalibus haberi possit, tamen Verbum etiam opem et illuminationem quandam praeternaturalem (i. e. stricte homini non debitam, at ei valde utilem) contulisse omnino censendum est. Deus enim homini non providet tantum necessaria, sed ei quoque pro sua benignitate et liberalitate assistit. Atque bene notandum est, quod *Thom.* monet dici hic quoque *erat*, ut ostendatur ab initio creaturae Verbum fuisse in mundo. Describitur itaque quid Verbum ab origine generis humani praestiterit pro hominibus.

Verum id accidit quod Sapiens iam vanis hominibus exprobrat et in maximam vertit culpam, ita ut eos venia esse dignos neget (Sap. 13,8) *et mundus eum non cognovit* i. e. est quasi exclamatio dolentis (*Rup.*), mundus i. e. homines mundi amore decepti et eo quod creaturae inhaerebant a Deo alieni (*Beda*), dilectores mundi (*Aug.*), homines re-

bus terrenis affixi et terrena solummodo sapientes (*Amm.* c. Cr); amor mundi enim inimicum Dei constituit (*Thom.* cf. Iac. 4,4). Idem indicat apostolus : in Dei sapientia (in opere Dei sapientiae eius teste) non cognovit mundus per sapientiam (suam falsam et superbam, qua impediebatur) Deum; ideo placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes (1 Cor. 1,21). Similiter, uti vidimus, ex hoc versu *Thom.* aliique necessitatem innui Incarnationis colligunt. Atque sicuti gentes (mundus) non usae sunt subsidiis concessis et oblatis, ita populus quoque ille quem Dominus sibi elegerat in peculium de cunctis populis, in regnum sacerdotale (Ex. 19,5.6), Dominum suum magna ex parte non agnovit, sed respuit; v. 11 *in propria venit et sui eum non receperunt*, εἰς τὰ ἴδια, οἱ ἴδιοι; cum nunc dicatur *in propria*, non potest, ut aliqui volunt (*Aug. Thom. Bar. Ians. Lap. Nat.*) intelligi idem quod antea per mundum significabatur, neque valet ratio quam afferunt, quia omnia condidisset, totum mundum omnesque homines esse ei proprios. Verum oppositio quaedam et peculiaris quidam proprietatis titulus hic ratione habita praecedentis enuntiatur. Exprimitur itaque singularis illa habitudo quam Deo cum populo Israel inire placuit, uti Sapientia loquitur : in omni gente primatum habui, in omnibus requiem quaesivi et in hereditate Domini morabor; tunc dixit mihi Creator omnium : in Iacob inhabita et in Israel hereditare et in electis meis mitte radices (Eccli. 24,10 sq.); ita populus Israel dicitur hereditas Domini (cf. Ex. 15,17; 19,5. Deut. 7,6; 9,29; 32,9. 2 Reg. 14,16; 20,19. 3 Reg. 8,51. 53. Ps. 32,12; 67,10. Is. 19,25; 47,6. Ier. 2,7. Eccli. 24,7-12 etc.).

Cum itaque in v. 9 de illuminatione omnium sermo sit, exponitur in subsequentibus, qua ratione et quo successu haec et gentibus generatim et speciali modo populo electo contigerit. Quare etiam in v. 11 id videtur enuntiari membro priore quod iam in libris Vet. Test. proponitur de Sapientia : et sic in Sion firmata sum et in civitate sanctificata similiter requievi et in Ierusalem potestas mea et radicavi in populo honorificato (Eccli. 24,15) et quod de Sapientia Baruch dicit : in terris visa est et cum hominibus conversata est (3,38 graece). Utique verba evangelistae non ad Vetus Testamentum coarctanda sunt, sed tempus quoque complectuntur novi foederis quo Verbum modo excellentissimo venit in propria; at modum quo venerit, nondum tangit; Incarnationem factam demum refert v. 14 et eam ibi narrat eiusque effectus ita, ut hoc loco censeri nequeat iam explicite et diserte loqui de Verbo incarnato. Neque obstat vox *venit*, ἦλθεν, quin sententiam ea amplitudine capiamus, ut tempus et antiquum populi electi et recentissimum evangelistae comprehendatur. Nam Deus in sacris litteris di-

citur frequentissime venire, descendere, egredi, ita ut solum actio quaedam vel effectus singularis notetur (cf. Gen. 11,5; 18,10; 20,3. Ps. 49,3; 79,3; 95,13; 97,9. Is. 3,14; 30,27; 50,2. Mich. 1,3 etc.). Quare *peculiaris* illa ratio, qua Verbum populum electum illuminavit et edocuit, apte exprimitur et ad modum loquendi in s. litteris plane accommodate, dum dicitur *venit,* in oppositione ad generale illud *erat* in v. 10, sicut generali illi dictioni *in mundo*, hic opponitur specialis : *in propria.*

Neque valet quod obiicit *Corl. :* falsum videtur Israelitas Deum Verbum ante Incarnationem non recepisse. Nam, uti ex v. 12 statim sequitur, sententia hac non negatur in universum, sed id communi modo loquendi affirmatur, quod pro tempore antiquo prorsus valere ex libris sacris abunde colligitur et pro tempore ipsius Verbi incarnati ex evangeliis et Act. satis clare apparet. Quot enim querelae de universa omnium impietate continentur in libris historicis (cf. Deut. 32,15; lib. Iudicum; 4 Reg. 17,7-23 etc.), in Psalmis (13,2 seq. 16, 8 seq. 49,17 seq. etc.), apud prophetas singulos (Is. 1,11-25; 3,14; 50,2; 57,3. Ier. 5,1. Ez. 16,1 seq. Os. 2,2; 4,2 etc.)? Praeterea cogita magnam illam apostasiam 1 Mach. 1,12 seq. et tempore Christi et apostolorum etiam longe maiorem Iudaeorum partem considera remansisse contumacem. Quare si quod effectum sit in universum spectatur, dici potest : sui eum non receperunt. Quae tamen sententia statim suis circumscribitur limitibus v. 12 *quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius* εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ nemo excluditur, « sive servi sive liberi, sive Graeci sive barbari vel Scythae, sive insipientes sive sapientes, sive viri sive mulieres, sive pueri sive seniores, sive nobiles sive ignobiles » etc. *Chr.;* cf. Act. 10,34. Rom. 10,11. 12. Qui eum receperint, declaratur ultimo membro; qui in eum credunt, isti eum recipiunt i. e. eius doctrinam, illuminationem amplectuntur; credere namque est, ut *Rup.* loquitur, semen Dei verbum cum amore susceptum impraegnata mente portare; in nomen eius i. e. in ipsum (*Euth. Ians. Lap.*); nomen enim ponitur pro persona, quia haec nomine noscitur et ab aliis distinguitur; porro nomen Dei omnia illa quoque complectitur, quae Deus de se manifestavit et quae de Deo innotescunt. His itaque qui illuminationem sibi oblatam receperunt vel doctrinam fidei sibi annuntiatam (quocumque demum modo) fide susceperunt, dedit potestatem ἐξουσίαν, vim (Anrecht, Befugniss, Ermaechtigung), ius, ut fierent filii Dei. Sola quippe fide nondum fiunt filii; fide vero suscepta etiam ulteriore gratia iuvabuntur. Non dicit, ut *Chr.* notat, fecit illos filios Dei, sed dedit..., « vult scil. declarare gratiam non

in quemlibet temere infundi, sed in eos qui voluntatis propositum et diligentiam adhibent; in horum enim potestate situm est ut filii Dei fiant ». Fiunt autem actu perfectae caritatis aut suscepto baptismate. In vetere foedere solum prior via erat aperta. Quandoque ἐξουσίαν explicant facultatem, dignitatem (*Ians.*); id quod tamen ab usu vocis nimium recedit. Dici autem *dedit potestatem*, ait *Thom.* quia in potestate hominis est ut consentiat et non consentiat et dat potestatem movendo liberum arbitrium hominis, ut consentiat ad susceptionem gratiae. Hanc vero filiationem bene describit *Cyr.* pulchritudinem imaginis coelestis hominis, Christi, impressam nobis, « participes enim eius facti per Spiritum obsignati sumus in similitudinem cum ipso et ad exemplarem formam illius imaginis conscendimus ». Assimilatio autem haec ad Deum fit per infusionem gratiae sanctificantis, qua divinae efficimur consortes naturae (2 Petr. 1,4) et quacum coniuncta est inhabitatio Spiritus sancti in anima iusti (cf. Gal. 4,6).

Dein facta comparatione cum nativitate naturali explicatur excellentia istius filiationis divinae (*Chr. Theoph. Mald. Lap.*), v. 13 *qui* referri debet ad filios, neque enim credentes simpliciter dici possunt nati ex Deo, nec obstat τέκνα (quod *Mald. Lap.* obiiciunt); nam constructio ad sensum obvia est; ii itaque filii Dei sunt, quippe qui *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt;* in nativitate naturali affert causam materialem, ex qua corpus formari ac nutriri concipitur (cf. Sap. 7,2 coagulatus sum in sanguine); pluralem ex sanguinibus non esse usus latini, sed « quia graece positum est pluraliter maluit ille qui interpretabatur sic ponere et quasi minus latine loqui secundum grammaticos », advertit *Aug.;* ipse aliique pluralem explicant quia homines nascantur ex sanguinibus maris et feminae (*Bed. Rup.*) vel ex commistione seminum (*Bon. Salm. Cai.*); alii sanguinem menstruum quod sit nutrimentum intelligunt (*Theoph. Bar. Ians.*). Pluralem *Mald.* hebraismum esse dicit; quod *Thom.* habet : ex sanguinibus : intelligitur quidquid ex sanguine generatur, ut materia ad carnalem generationem, fere coincidit cum usu graeco, secundum quem pluralis explicari potest quasi complexio quaedam partium singularum sanguinis (*Schz.*). Assignatur porro causa motiva generationis carnalis : *neque ex voluntate* θέλημα i. e. ἐπιθυμία (*Euth.*), concupiscentia, appetitus *carnis neque ex voluntate viri,* designantur duo illa quae in generatione humana communiter reperiuntur : concupiscentia et desiderium gignendi liberos; quare *Bar.* haud inepte voluntate carnis et viri patrem dici carnalem censet. Veteres saepe carnem hoc loco feminam intelligi volunt (*Aug. Rup. Alb. Thom. Salm. Ians.*) vel etiam concupiscentiam, et volun-

tatem viri appetitum intellectualem (*Thom. Salm. Cai. Ians.*), *Tol.* autem ita distingui censet nativitatem ex inhonesto et honesto concubitu. Proinde *ex Deo nasci* est non carnaliter, sed spiritualiter, non corpore, sed animo (*Mald.*), ex Dei spiritu et gratia, quae generatio iam apud prophetas indicatur : spiritum novum tribuam in visceribus eorum; spiritum novum ponam in medio vestri et spiritum meum ponam in medio vestri (Ez. 11,19; 36,26. 27), effundam spiritum meum super semen tuum (Is. 44,3).

De quonam tempore evangelista loquatur v. 9. 10 non est una omnium sententia. Veteres quidem constanter explicant de Verbo ante Incarnationem (cf. *Chr. Cyr. Aug.*); at iam *Tol.* explicat v. 9 de Verbo incarnato, de illuminatione quam Verbum in carne veniens attulerit, sed in v. 10 tamen concedit regressum fieri ad Verbum ante Incarnationem; *Mald.* autem multum contendit in v. 10 agi de Verbo incarnato, quamvis concedat : « mirum quanto consensu veteres interpretes de Verbo antequam caro fieret hunc locum intelligant ». Censet enim *in mundo erat* esse sumendum eodem sensu, quo statim dicatur *in propria venit*, ergo utrumque de adventu in carne; dein cum ante Incarnationem mundus Verbum qua Verbum non potuisset cognoscere, etiam illud *mundus eum non cognovit* non posse esse reprehensionem de tempore ante Incarnationem; quam rationem iam refutat *Lap.* dicens reprehendi eos quia mundi Creatorem non cognoverint. Et profecto verba ita comparata sunt, ut plurimorum interpretatio ea intellexit. *Estius* quidem sequitur eam interpretationem quae *Mald.* placuit; *Salm.* eam commemorat, at alteram omnino praefert quae magis et cum praecedente clausula de luce ante Incarnationem consonet; alii, uti *Tirinus, Nat. Calm.* utramque proponunt : in mundo erat iam inde ab initio praesens per suam divinitatem ac tandem etiam incarnatum praesens factum est per suam humanitatem (*Tirinus*). Explicationem *Mald.* illam sequuntur *Meyer, Weiss.*

In v. 11 *in propria venit* omnes quos vidi sentiunt agi solum de Verbo incarnato. At puto aliam acceptionem contextui sermonisque progressui et rei veritati magis convenire neque eam verbis opponi. Utique non erit negandum verba ea etiam complecti ac comprehendere tempus post Incarnationem; at pro eo quoque tempore evangelista hoc loco solum asserit Verbum venisse, sed quomodo venerit, nondum tangit. Si enim de Verbo incarnato qua incarnato loqui vellet, sane mirum esset, si postmodum in v. 14 pergeret : et Verbum caro factum est, cum eventum hunc quem nunc *narrat*, iam in antecedentibus notum supposuisset, vel saltem exspectaremus nexum talem : in propria venit... *quia* Verbum caro factum est, vel similem. Nunc autem est narratio, qua serie quadam effertur, quid vera illa lux, Verbum, pro mundo praestiterit, quid pro populo electo et quomodo tandem Incarnatione facta habitaverit in nobis et gloriam suam manifestaverit. Ea narratione exhiberi aptissimam sermonis progressionem, exhiberi

quid Verbum singulari ratione populo electo prae aliis gentibus largitum sit, evidens est. Et si v. 10 explicaveris de mundo ante Incarnationem (ut fere omnes exponunt), num tibi persuaseris evangelistam totum illud quod Deus pro Israel fecit et quod in libris sapientialibus adeo praeclare de Sapientia effertur voluisse silentio premere, quamvis sibi proposuerit in v. 4.9.10 illa recensere quae Verbum ab exordio generis humani pro omnium salute praestiterit? Insuper attendendum est in v. 14 aliter sermonem fieri de Verbo, de eius inter nos habitatione, de gloriae manifestatione quam in v. 11-13; quare statui nequit utrimque idem enuntiari. Porro si v. 11-13 solum de tempore post Incarnationem exposueris, id agnoscere debebis incommodi, dici quidem Verbum illuminasse omnem hominem, at ante Incarnationem eam illuminationem non habuisse ullum effectum salutarem, saltem nullum indicari, cum unice statuatur : mundus eum non cognovit. Et tamen profecto in vetere foedere etiam reperiebantur sancti, et eos plane defuisse inter gentes quis affirmare audebit? Iam vero fide et caritate imbuti sancti isti habebant gratiam sanctificantem, erantque igitur ex Deo nati, filii Dei.

Obiicit *Corl.* ei explicationi auctoritatem Patrum ex consensu, ut videtur, unanimi. Verum observari debet Patres quidem v. 11-13 explicare de tempore post Incarnationem (et verba illa hoc quoque tempus complecti, nullus nego), at neminem asserere de hoc solum tempore verba esse dicta, neminem negare antea quoque filios Dei exstitisse. Quare explicatio supra proposita non est contra interpretationem Patrum, sed eam includit et eam latius extendit secundum ea ipsa quae indubie a Patribus docentur.

Quam insigni modo Verbum id compleverit et absolverit quod ab exordio generis humani et in populo electo ad salutem cunctorum effecit, iam exponitur serie narrationis ad ipsam Incarnationem perducta v. 14 *et Verbum caro factum est;* nexum varie proponunt, afferri causam nostrae filiationis adoptivae; « verus Dei Filius factus est filius hominis, ut homines Dei filios efficeret » (*Chr. Theoph. Euth. Aug. Bed. Schg.*, et *Tol.* illud *et* explicat *quia*), vel haec addi ne incredibile videatur homines ex Deo nasci, cum ipse Deus ex homine natus sit (*Thom. Ians. Lap.*) vel describi nunc modum veniendi, postquam dictum est in v. 11 ipsum venisse (*Thom. Bon. Cai. Ians.*). Sed ad totius prologi formam et progressum accommodatum magis est, ut sicut in v. 2-8, ita in v. 9-14 quoque series narrationis temporisque succedentis attendatur. Alia quae excogitata sunt, ex ipsa Incarnatione facta deduci utique possunt; inde tamen nondum sequitur ea hic ab evangelista explicite proponi vel innui. Carnem poni pro homine : Verbum homo factum est[1], veteres iam ex usu vocis ostendunt; unde

1. Cf. *Iustinus*, Apol. 1,5 : αὐτὸς ὁ Λόγος μορφωθεὶς καὶ ἄνθρωπος γενόμενος etc.

evangelista voce carnis utens « nihil nobis inusitatum aut peregrinum ingerit, cum saepe s. Scriptura solius carnis vocabulo totum hominem significet; v. g. effundam de Spiritu meo super omnem carnem » (Ioel 2,28; *Cyr.*). Simul tamen quaerunt, cur eam potius vocem prae alia adhibuerit; significari ea voce quam maxime veritatem assumptae naturae, vel « ut una cerneretur vulnus et remedium, aeger et medicus, quod in mortem prolapsum est et qui excitavit ad vitam, quod corruptioni cessit et qui corruptionem amovet, quod morte superatum est et qui morte superior est, quod orbatum est vita et qui vitam largitur » (*Cyr.*). Potissimum tamen efferunt eo vocabulo significari efficacius immensam Verbi benignitatem ac misericordiam, quod carnem assumpserit i. e. id quod maxime alienum ac peregrinum sit a natura divina; describi eo modo quam maxime distantiam illam, dum Verbum spirituale, intellectuale, invisibile ad carnem sensibilem, corporalem, visibilem descenderit; carne porro significari summam abiectionem, infirmitatem, ut appareat quantus Deus quantillus sit factus homo (cf. *Theoph. Euth. Thom. Tol. Mald. Cai. Bar. Schz.*) Unde ea voce indicat id quod apostolus dicit : semetipsum exinanivit formam servi accipiens (Phil. 2,7).

Descripta autem Verbi divinitate v. 1 seq. statim patet in Verbo nullam inferri posse mutationem. Cum itaque dicatur factum esse carnem, non mutatio substantiae, sed carnis, humanae naturae, assumptio declaratur; manens quod erat formam servi accepit (*Chr.*). Recte tamen dicitur ἐγένετο; nam effectum est, ut Verbum iam haberet coniunctam sibi et unitam humanam naturam; significatur itaque actio et unio, quae facta est, « qua divina Verbi natura in unitate personae Verbi humanae est copulata, manente integra et impermista utraque natura, ita ut sit unica persona in duplici natura, simulque sit Deus et homo » (*Tol.*). Proin Verbum quod eousque erat solum habens naturam divinam, nunc revera factum est ἐγένετο habens etiam naturam humanam; id quod melius atque significantius et verius exprimi non potest quam dictione hac : Verbum caro seu homo factum est. Ceterum evangelista satis ipse indicat Verbum mansisse sine ulla sui mutatione; nam statim loquitur de Unigenito a Patre, item v. 18; 3,16; 5,18 etc. et 1 Ioan. 1,1; 4,2 in carne venisse etc.

Verbum caro factum, humana natura indutum *habitavit in nobis* ἐσκήνωσεν tabernaculum fecit, fixit inter nos (*Ians. Salm. Bar. Mald. Lap.*); « alludit ad tabernaculum testimonii, in quo Deus in medio filiorum Israel habitabat quasi in domo propria » (*Salm.*). Vox illa itaque in memoriam revocat modum quo in vetere foedere gloria Dei in populo electo habitavit et sese manifestavit. Ibi Deus se nube lucida

symbolo quodam praesentem sistebat : et habitavit gloria Domini super Sinai (Ex. 24,16), nubes habitabat super tabernaculum (Num. 9,22; 10,12, שָׁכַן; unde manifestatio illa vel symbolum praesentiae Dei appellabatur postea שְׁכִינָה); nunc vero ipsum Verbum homo factum habitationem suam faciebat inter homines, implens ratione sublimiore quae promissa erant : habitabo in medio eorum, καὶ ἔσται ἡ κατασκήνωσίς μου ἐν αὐτοῖς (Ex. 25,8; 29,45. Lev. 26,11. Ez. 37,27; 43,9). In notione tabernaculum faciendi quandoque deprehendunt Verbum Dei non tamquam indigenam in patria sua, sed tamquam hospitem et peregrinum in aliena terra apud nos ad tempus tantum habitasse (*Mald. Lap. Schg.*). Illud ἐν ἡμῖν etiam explicant : tabernaculum, habitationem fecit in carne nostra, habitavit in carne, qua dictione ostendatur nihil mutationis in ipso Verbo evenisse (*Chr. Cyr. Theoph. Euth.*), quam explicationem etiam *Thom. Salm. Bar. Ians.* commemorant; at merito hi et alii (*Bed. Tol. Mald. Lap.* etc.) priorem praeferunt monentes *in nobis* esse idem quod *inter nos;* de quo usu ἐν cf. Matth. 2,6; 11,11. Luc. 1,1. Ioan. 13,35. Act. 2,29. 1 Cor. 3,18; 5,1 etc. Et planum est hanc solam posse admitti; nam, ut *Cai.* monet, pronomen *nobis* demonstrat non de habitatione in assumpta natura esse sermonem; neque tamen, ut ipse vult, *in nobis* solum significat in cordibus nostris, quae explicatio hoc loco pariter excluditur. Vult enim evangelista probare Verbum revera hominem esse factum; quare primo dicit : Verbum hominem factum revera inter nos testes habitasse et conversatum esse.

Deinde alterum adiungit testimonium, quo pateat in illo homine revera maiestatem Verbi apparuisse, suum scil. testimonium quod scil. simul cum aliis apostolis et discipulis testis fuit : *et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre* i. e. talem gloriam atque maiestatem, qualem habet et habere debet Unigenitus a Patre; illud ὡς quasi non est similitudinis, sed βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβητήτου διορισμοῦ, ac si diceret : vidimus gloriam, qualem decebat habere unigenitum et germanum Filium Dei (*Chr. Cyr.*) et ita omnes concipiunt. Atque revera ὡς saepe notionem exhibet : talis qualis; cf. Matth. 7,29 erat docens eos sicut ὡς potestatem habens, Act. 17,22, Rom. 6,13 exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes; 15, 15; 1 Cor. 3,1. 15; 7,25; 2 Cor. 6,4 etc., uti etiam 2 Ioan. 5; et ea notione particulam hic esse accipiendam patet quia evangelista de Verbo incarnato loquitur et probare vult in homine illo talem esse manifestatam et visam gloriam ac maiestatem, qua ostenderetur palam eum esse Unigenitum a Patre. Complectitur itaque omnia illa, in quibus virtus divinitatis Christi eluxit; plurima miracula, qualia nunquam ab alio propheta facta sunt, transfigurationem, miracula in passione, gloriam post resurrectionem ostensam,

ascensionem in coelum. Haec omnia ἐθεασάμεθα, « quod non simpliciter videre significat, sed spectare, hoc est diligenter et fixe intueri aliquid seu novum et admirandum spectaculum » (*Ians. Tol. Mald. Lap. Cai.* spectavimus). Verbum caro factum appellatur Unigenitus a Patre μονογενὴς παρὰ Πατρός, unicus Filius proprie genitus a Patre, ita ut eo nomine omnino distinguatur ab iis quos modo dixerat filios Dei ex Deo natos; hic itaque Patre auctore ac genitore (παρὰ) est solus Unigenitus, unicus ortus, genitus a Patre, unicus, qui eo modo quo ipse est genitus non habet fratres. Advertunt illud *a Patre* posse iungi quoque aliter: gloriam a Patre illi exhibitam (*Ians. Mald. Schz.*); at iure priorem modum statuunt. Nam evangelista non efferre vult gloriam ei esse datam a Patre, verum eum habuisse talem gloriam qualem deceat habere eum qui sit Unigenitus procedens a Patre; proinde talem eum ostendisse maiestatem qualis ipsius dignitati vere conveniat et naturae veri Filii Dei.

Quae autem sit huius gloriae ostensionis utilitas et bonorum copia pro hominibus, declaratur : *plenum gratiae et veritatis*, πλήρης; cum legatur nominativus, iam veteres (*Faber, Ians. Mald. Bar. Lap. Calm.*) et aliqui recentiores vocem referunt ad : habitavit in nobis, ceteris quasi parenthesi inclusis (vel πλήρη, uti D habet, et *plenum* iungunt ad vidimus, *Lap.*); sed πλήρης potest considerari ut appositio ad αὐτοῦ, uti recentiores plerumque assumunt (*Schg. Schz. Weiss*), id quod eo magis praeferendum est, quia coniunctio est simplicior et magis obvia neque a dicendi genere Ioannis aliena, quippe qui saepius appositionem in nominativo adiungat (Apoc. 2,20; 9,14; 14,14; 3,12; 14,7.12 etc.). Ex qua appositione etiam patet *plenum* etc. referri ad eum, cuius gloriam viderunt apostoli i. e. ad Iesum Christum. Unde quo sensu Verbum qua Verbum sit plenum, non erit inquirendum. Fuit itaque Christus homo plenus gratiae, non enim ad mensuram dat Deus spiritum (3,34. *Thom. Mald.*); « non dubito quin gratiam Ioannes intelligat, de qua v. 17 dicit; illa ergo omni gratia quam omnes homines unquam acceperunt, ille plenus erat; omnes gratiae et dona spiritus s. et aliae gratiae quas nemini fortasse dedit in eo fuerunt cumulate, redundanter, affluenter, tamquam in fonte, tamquam in capite, unde in rivulos, in membra, derivantur » (*Mald.*). Bene notat *Tol.* haec duo respondere duobus superius explicatis in v. 4, gratiam scil. ad vitam, veritatem ad lucem referri. Hisce duobus genus humanum quam maxime indigebat : reconciliatione cum Deo, auxilio supernaturali, institutione divinitus data.

Erat plenus *veritatis;* rationem affert evangelista in v. 18; in eo quippe sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Col.

2,3); est enim eius anima humana summa sapientia et verissima rerum omnium cognitione decorata (*Bar.*). Veritatem alii exponunt opponi figuris et referri ad implendas promissiones (*Bon. Mald.*), quatenus, ut apostolus ait, quotquot promissiones Dei sunt, in illo Est (2 Cor. 1,20) i. e. in illo factae sunt Est, in illo adimpletae sunt. Comparant quoque רַב חֶסֶד וֶאֱמֶת (multae miserationis et verax, Ex. 34,6; Vulg.) universae viae Domini misericordia et veritas (Ps. 24,10; 35,6; *Corl. Schz.*). Quanta bona in gratia et veritate conclusa sunt, quae modo adeo excellenti, summo Incarnationis miraculo et mysterio nobis allata sunt! — Verbum naturam humanam assumpsisse evangelista docet; modum conceptionis ac nativitatis non narrat. Eum enim synoptici, Matthaeus et Lucas, ante eum perspicue tradiderunt. Ex eo quod conceptus virginei non meminit, unus alterve conclusit eum ignoratum esse a Ioanne. Num ignoravit synopticos, quos respici ab eo omnes agnoscere debent? Dein qui ita cum emphasi effert filios Dei non nasci ex voluntate viri (v. 13), satis indicat quid dicturus fuisset de Filio Dei naturam humanam sibi copulante. Porro qui narrat adeo frequenter Iesum solum Deum vocare patrem, quomodo cogitare potuisset de patre humano?

Testem sibi adiungit evangelista, qui pariter de gloria Verbi incarnati ferat testimonium et eum quidem qui tantam apud Iudaeos habebat auctoritatem (*Chr. Cyr. Theoph. Salm. Tol. Mald. Lap.*) v. 15 *Ioannes testimonium perhibet de ipso;* cf. v. 6. 7 *et clamat* κέκραγεν significatione quoque temporis praesentis, qua res quasi praesens sistitur ad vim narrationis augendam; clamat i. e. cum fiducia, cum libertate, omni abiecta formidine praedicat (*Chr. Theoph.*), cum ardore mentis (*Thom.*), non ambigue, sed clare, aperte, palam (*Mald.*), est enim vox clamantis (*Cyr. Tol. Mald. Lap.*), *dicens :* triplici enuntiatione non sine sollemni quadam gravitate eius in medium profertur testimonium : *hic erat quem dixi :* proin testimonium de eo reddidit antequam apparebat publice, uti asseritur quoque v. 30 et patet ex Matth. 3,11 (*Chr. Theoph. Thom.*) et ad eiusmodi testimonium etiam provocat postquam Christus se publice ostendit; inde modus loquendi sequitur *hic erat* etc. i. e. hunc designavi cum dicebam : *qui post me venturus est* ἐρχόμενος scil. ad praedicandum, ad munus divinitus sibi commissum exsequendum; uti Ioannes se a Deo missum profitetur, ut nomine Dei populum doceat et praeparet, ita hac ipsa locutione iam indicat illum ἐρχόμενον pariter a Deo mitti ut opus Dei in populo peragat; dein excellentiam dignitatemque longe maiorem testatur : *ante me factus est, quia prior me erat;* βαθὺς ὁ λόγος καὶ πολλὴν ἐφ' ἑαυτῷ τὴν βάσανον ἀπαιτῶν *Cyr.*; prius membrum non potest intelligi de tempore;

nam Christus homo post Ioannem conceptus et natus est; praeterea membrum alterum exhiberet tautologiam intolerabilem. Quare necessario explicari oportet, uti veteres interpretati sunt, de dignitate : ἔμπροσθέν μου γέγονεν i. e. μείζων, λαμπρότερος, ἐντιμότερος *Chr. Theoph. Euth.*, ἐπιδοξότερος *Cyr.*, antepositus *Aug.*, « sublimitatem eiusdem humanitatis, quae ceteris omnibus creaturis erat merito praeferenda designat; quod enim ait *ante me*, non ad ordinem temporis, sed ad distantiam pertinet dignitatis, iuxta quod de Ioseph filiis benedicente Iacob scriptum est : constituitque Ephraim ante Manasse (Gen. 48,20), ubi recte potuit dicere Manasses : qui post me venit, ante me factus est » (*Bed.* sim. *Alb. Salm.* etc.); unde idem enuntiatur ratione generali quod dicitur Matth. 3,11 : qui post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus etc. (*Bar. Ians.* etc.). Quod *Mald.* asserit ἔμπροσθεν nunquam de tempore dici, saltem stare videtur, si usum in libris s. Novi Testamenti spectaveris. Facessit negotium illud γέγονεν; esse praeteritum propheticum *Chr. Euth.* explicant; item *Theod. M.* : si dicit γέγονεν ἀντὶ τοῦ γενήσεται, οὐ θαυμαστόν; hanc enim esse s. Scripturae saepe dicendi consuetudinem; ergo : qui post me venturus est, maiorem me dignitatem consequetur. Quandoque, uti *Theoph.*, gloriosior et dignior me factus est propter miracula quae circa ipsum acciderunt in partu, in educatione, in sapientia. Alii ita : a Deo praedestinatus, designatus, constitutus est in maiore dignitatis gradu (*Mald. Ians. Bar. Lap.*). Atque revera nullo modo opus est cogitare de praeterito prophetico; neque enim Ioannes primo et per se loquitur de futura agnitione et aestimatione in qua Christus habebitur, verum de interna illa dignitate in qua iam est constitutus et ratione cuius sibi longissime est antepositus; dicit autem γέγονεν, quia significare vult Christum hominem non usurpasse dignitatem illam, sed a Deo in ea esse constitutum (*Mald.*); proin anterior ei factus est in ordine gratiae (*Cai.*).

Quantopere vero anterior factus sit homo ille, cui testimonium perhibet, quantopere maior dignitate, ita enuntiat, ut coelestem eius personae originem eminentiamque humana longe sublimiorem clare significet : *quia prior me erat*, quia is iam erat, quando ego nondum exsistebam; proinde is iam *erat* antequam ut homo nasceretur; πρῶτός μου i. e. πρότερός μου; hic usus non alienus est a recentiore graecitate; immo notandum quod *Hermann* notat (ad Eurip. Med.) : Graecos ibi superlativum pro comparativo dicere, ubi haec duo simul indicare volunt et maius quid esse alio et omnino maximum. Unde merito explicaveris : prius me erat, immo quam maxime, proin ante omnia; « antiquissimam ei gloriam adscribit et praestantiam supra res omnes non temporariam sed superne inexsistentem, ut Deo secundum natu-

ram, confirmat » (*Cyr.*). Atque ita de aeternitate secundum divinitatem personae explicant hoc membrum communiter (cf. *Theoph. Euth. Bed. Rup. Alb. Thom. Bon. Cai. Bar. Lap. Ians. Schg. Schz. Fil. Corl. Keil, Weiss, Godet* etc.). Pauci interpretantur πρῶτος de praestantia maiore (*Mald. Tol. Sa, Menochius, Tirinus*); quae tamen acceptio a proprietate dictionis recedit, quae hoc loco eo minus negligenda est, quia ratio temporis initio enuntiationis exprimitur; neque apte diceretur : quia praestantior *erat,* sed debuit dici *est;* inepte enim assereretur de venturo : mihi praelatus est quia natura erat excellentior; id quod a fortiore valet, si *prior me* cum *Tol.* refertur ad praeclariora venturi facinora et officia.

Ex quo testimonio simul elucet Ioannem baptistam cognovisse mysterium Incarnationis. Neque dicendum est cum criticis quibusdam verba haec non a baptista esse dicta, sed ab evangelista ei adscripta, aut evangelistam verbis quibusdam eius formam sensumque sublimiorem addidisse, aut eos qui audierint baptistam verba non potuisse intelligere. At poterant magistrum rogare, ut clarius explicaret; hoc saltem capiebant, illum venturum longe praecellere prae Ioanne. Docentur enim, ut *Chr. Thom.* advertunt, ita ut bonus magister docere solet, qui non statim profundissima tradit discipulis, sed paulatim eos ad maiora ducit; ita hi docentur Christum esse praestantiorem suo magistro. Hoc sane intellexerunt; neque refert utrum rationem additam plane perspexerint necne; ceterum Messiam exsistere apud Deum antequam in terra appareat, omnino pertinet ad doctrinam synagogalem (cf. *Edersheim,* Jesus the Messiah I p. 175 seq., *Weber,* Altsynag. Theol. p. 339 seq.). Ioannes autem, maximus prophetarum, illustratione divina cognovisse naturam Messiae eo magis censendus est, quia natura divina Messiae iam Is. 9,6 satis declaratur et quia iam pater eius Zacharias, edoctus ab angelo, enuntiavit eum praecessurum ante faciem Domini (Luc. 1,17. 75); nonne ipse de se explicavit illud Is. 40,3? ideoque dixit se viam parare ei qui Deus sit (cf. v. 23). — Sunt qui ἔμπροσθεν de tempore explicent : qui post me venturus est, ante me praecessit (*Weiss;* et iam Nonnus : πρῶτος ἐμεῖο βέβηκεν, ὀπίστερος ὅστις ἱκάνει), id quod de Verbo ante Incarnationem eiusque in genus humanum et populum Israel agendi rationem intelligi potest; cf. v. 9. Sed nescio num non ratio adiecta tunc frigeat; nam si antea iam agebat, utique etiam erat quod per se intelligitur, neque ratio videtur valde efficax illa, *quia* antea erat, ideo etiam ante me iam suam generi humano opem et illuminationem praebuit. Putat *Patritius* p. 17 verti posse : ante me *natus est :* « testimonii vim senties si memineris Christum natum esse sex mensibus post Ioannem. Animadverte connexum inverti posse nullo veritatis reique quae affirmatur dispendio aut detrimento ». Quae tamen subtilius dicuntur; neque γέγονεν idem valet ac natus est. Si vero intelligeretur : ante me *exstitit,* tautologia intolerabilis haberetur.

Quae sequuntur etiam verba esse baptistae censent *Aug.* (tract. 13,8; de baptismo c. Donat. 5,9; *M.* 43,182) *Theoph. Rup. Cai. Tol.;* at veterum quoque plerique et recentiores ea esse verba evangelistae recte existimant; ita *Chr. Cyr. Euth. Bed. Alb. Thom. Ians. Salm.* (esse sententiam magis consonam) *Mald.* (probabilius), *Bar.* (propensior ad hanc) *Lap. Nat. Calm. Patr. Schg. Schz. Fil. Weiss* etc. quae sententia verbis ipsis plane imponitur, neque enim baptistae erat pronuntiare: nos omnes *accepimus*, verum potius accipiemus; verbis enim illis manifeste significatur fideles post Christum in carne apparentem accepisse de plenitudine eius (*Ians.*), neque baptista dicere potuit v. 18; ipsi enim Christus non enarravit. Quaeri itaque solum potest quo nexu ad superiora adiungantur; v. 16 *et* (ὅτι quia) *de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia;* nam proxime haec referri videntur ad plenum gratiae v. 14, ita ut evangelista ad illud redeat idque explicet (*Thom. Mald. Lap. Corl. Fil.*) testimonio Ioannis baptistae per parenthesin inserto (*Ians. Bar.*). Qua tamen connexione satis mirum esset hoc loco omnino inveniri baptistae testimonium. Quare potius dicendum est cum *Chr.* evangelistam suum testimonium adiungere ad testimonium baptistae et, ut *Cyr.* ait, probare ac demonstrare eminere Salvatorem et res omnes creatas οὐσιωδῶς substantialiter excedere; vel secundum *Alb.*: hic signa veritatis narratae testificationis describuntur: patet quod ante Ioannem est, quia etiam nos omnes accepimus hoc quod habemus de eius plenitudine. Qua scil. et eius excellentia declaratur et quae plenitudo suam habet causam quia est Verbum, in quo est vita et lux hominum v. 4.

Plenitudo πλήρωμα quasi necessario consequitur ad πλήρης v. 14; ceterum cf. מְלֹא πλήρωμα Ps. 24,1; 50,12 terra et plenitudo eius (*Schz.*) i. e. copia, abundantia, bonorum copia; « ipse est fons, ipse radix bonorum omnium, ipsa vita, ipsa lux, ipsa veritas, qui bonorum divitias non in se retinet, sed in alios omnes effundit, et postquam effudit, plenus remanet, nihil minus habens postquam aliis elargitus est, sed semper scaturiens et aliis bona impertiens in eadem manet perfectione » (*Chr.*). Ex v. 14 pariter et ex hoc et sequenti patet plenitudinem eius esse thesauros gratiae et veritatis in Iesu repositos, ex quibus nos ditamur. Nos omnes, cum gaudio et actione gratiarum dicit evangelista senex, laeto recolens animo, quanta iam bona in Christifideles effusa sint. Recogita quae et quanta in Act., in epistolis paulinis etc. referantur! percurre singula saecula; nos quoque cum admiratione de istis inexhaustis gratiarum thesauris in eadem verba prorumpere cum evangelista decet. Uti tunc, ita hodie quoque omnium nomine voces omnium enuntiat evangelista, ut *Chr.* advertit: « nos omnes, duodecim, tre-

centi, ter mille, quinque millia, multae myriades, omnis plenitudo fidelium, qui tunc fuere, qui nunc, qui futuri sunt, de plenitudine eius accepimus » *et* (est explicativum, scil., vel emphaticum, *Mald.*) i. e. et quidem *gratiam pro gratia* ἀντὶ χάριτος; usu dictionis ἀντί spectato commode explicatur de successione gratiarum, ita ut gratia succedat gratiae, ut quasi serie continua una in locum alterius succedere concipiatur, sicuti gratiae excitantes, adiuvantes etc. et saepe dantur et inter se excipiunt. Unde ea locutione optime designatur continuus ille in iustos influxus quem parabolice Iesus declaravit : ego sum vitis, vos palmites (15,5).

Ita recentiores fere communiter ἀντί accipiunt vel fere ut χάριν ἐπὶ χάριτι (cf. Phil. 2,27; *Schz. Schg. Fil. Weiss, Keil*). Ad quam acceptionem etiam veteres aliqui propensi sunt; ita *Aug.* : accepimus de plenitudine eius primo gratiam et rursum accepimus gratiam, et : pro hac gratia in qua ex fide vivimus recepturi sumus aliam; quid tamen, nisi gratiam? et *Tol.* : loco unius succedit alterum, ita scil ἀντί explicandum esse ex LXX quoque ostendit; similiter *Mald.* gratiam super gratiam, cumulatam gratiam exponit; melius tamen *Nat.* iugiter succedentem dicit. Verum in diversas abeunt explicationes : pro gratia veteris testamenti accepimus gratiam novi; quae est sententia *Chr. Theoph. Euth. Barh. Rup. Thom. Ians.* et quam praeferunt quoque *Calm. Patr.*, quamvis iam *Mald.* verissime monuerit legem veterem nunquam vocari gratiam; quod et verum est et hoc loco evidenter quoque ex v. 17 patet; vel pro gratia in praesenti gratiam accipiemus in futuro i. e. vitam aeternam (*Bed. Rup. Thom.*), vel nos accipere gratiam propter gratiam Christi, pro gratia Christi (*Tol. Bar. Lap. Corl.*), vel gratiam sub ratione gratuiti beneficii (*Cai.*) i. e. pro gratia, tamquam gratiam; en qualis tautologia *Cai.* placuit!

Iam ostendit necessitatem accipiendi gratiam per Christum (*Thom.*) eamque probat v. 17 *quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est* ἐγένετο; bene effert dictionis discrimen *Chr.*; nam ἐδόθη ministri erat qui ab alio acceptum dedit quibus iussus erat; illud vero ἐγένετο gratia et veritas, regis est qui cum potestate peccata dimittit et dona sua largitur (*Theoph. Bed.*); Moyses itaque declaratur promulgans, Iesus Christus autem dominus et auctor; ille legem promulgat, hic dominus et auctor est gratiae et veritatis (*Thom.*). Et quae est inter legem et gratiam distantia? per servum lex data reos fecit, per Imperatorem indulgentia data est, reos liberavit (*Aug.*); lex quid vitandum sit decernit, sed quod illa praecepit, non nisi gratia Christi completur; monstrare peccatum, iustitiam docere, transgressores reos ostendere lex valebat; sed gratia Christi facit ut quod lex praecipit impleatur; umbram habebat lex futurorum bonorum; pro

umbra lucem veritatis, pro figura legis ipsam imaginem rerum exhibuit Christus (*Bed.*). Discrimen legis et gratiae potissimum exponit apostolus Rom. 3,20; 5,20; cap. 7 et 8; Gal. 3,19; 4,1-9. 2 Cor. 3,6 littera occidit, spiritus vivificat; ministratio mortis et damnationis et ministratio spiritus; ita inter se ex effectu quem lex habet separata a gratia legem et gratiam opponit; nam lex iubebat, neque tamen iuvabat, ut saepe *Aug.* monet (*Mald.*). Non utique, quasi gratia non etiam in vetere foedere daretur; sed, prout clare evangelista docet, omnis gratia datur propter Christum, quia per eum tamquam Salvatorem effectum est, ut gratia iterum generi humano pateret. Et gratiam omnem etiam ante Christum datam esse intuitu satisfactionis Christi apostolus quoque indicat Hebr. 9,26.28.

« Postquam ostendit tantam illam donorum Christi magnitudinem et quam immenso haec discrimine superarent illa quae a Moyse dispensata fuerant, vult demum consentaneam differentiae causam aperire; ille enim servus cum esset, humiliorum rerum minister fuit; hic vero Dominus rex, regis Filius, longe maiora nobis attulit, qui cum Patre semper est et videt eum perpetuo » (*Chr.*) v. 18 *Deum nemo vidit unquam; unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit;* ad docentis itaque cum Deo commercium intimum nos remittit evangelista (*Thom.*); quare nexus cum antecedentibus etiam is est, ut haec ad omnia antecedentia referantur, quasi evangelista dicat quae exposita sint de Verbo, se ab ipso Verbo incarnato didicisse; « quis enim alius tam distincte atque perspicue potuit enarrare, cum nemo Deum viderit praeter ipsum » (*Mald. Bar. Patr. Schg.*)? Qualis visio Dei intelligatur, patet ex altero membro, in quo unigenitus Filius (vel Deus, ut sat multi testes habent) in sinu Patris esse dicitur; agitur itaque de visione immediata ipsius essentiae divinae, quae profecto Filio Deo apud Deum in intima cum Deo coniunctione convenit. Quare simul elucet quomodo intelligendum sit, si alibi dicitur : vidi Deum facie ad faciem (Gen. 32,30) scil. figuram illam ac formam, qua Deus vel angelus Iahve personam Dei gerens apparuit. Est in sinu Patris, εἰς τὸν κόλπον, graeci explicant ἐν κόλποις, ὁ ἐνδιαιτώμενος τῷ κόλπῳ, ὁ τοῖς κόλποις ἐνδιατρίβων; atque apud profanos quoque scriptores εἰς iungitur cum verbis quietem significantibus (v. g. εἰς τὰς χώρας πάρεισιν, Xenoph. Cyr. 1,2,4; εἰς Ἐκβάτανα ἀπέθανε, Aelian. 7,8; διατρίβων εἰς τὰς νήσους, Diod. s. 5,84; vide *Winer* § 50, b); ita etiam Marc. 13,16, Luc. 11,7; at vix dicere licet εἰς solum pro ἐν poni; verum breviloquentia quadam significatur : quiescit (est) reclinatus in sinum qua descriptione intima dilectissimi Filii cum Patre coniunctio exprimitur. In eo loquendi modo cernunt alludi ad Filii originem (ex utero genui te, Ps. 109,3; *Cyr. Thom. Tol.*),

ad eius cum Patre consubstantialitatem (*Euth. Thom. Tol. Mald. Bar. Corl.*), uti ipse Christus idem indicat dicens se esse in Patre et Patrem in se (14,11) et se esse in coelo (3,13; *Cyr. Bon.*); alii *in sinu* magis intimam omnium secretorum Dei cognitionem (*Aug. Bed. Alb. Tol.*) declarari efferunt, quae cognitio utique consequens est ad intimam illam ac familiarissimam cum Deo societatem, qua apud Deum esse imagine illa Filius dicitur.

Cum emphasi profertur : *ipse,* ἐκεῖνος ille, ille scil. qui est Filius unigenitus in sinu Patris quiescens in eum reclinatus, ille *enarravit*, non alius quidam; ἐξηγήσατο est quasi educere res latentes et obscuras in lucem proferre, penitus explanare (*Mald.*), ut *Chr.* advertit clariorem et apertiorem doctrinam et institutionem designari; ideoque etiam Λόγον Verbum dici. Quaerunt quid enarraverit; sane quod ipse dicit : omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis (15,15); verba quae dedisti mihi dedi eis (17,8); omnia illa quae gratia et veritate continentur, ergo divina consilia (*Mald.*) ad hominum salutem, brevi totam revelationem (*Bed. Thom. Schg.*). Is itaque qui est in sinu Patris enarravit. Dein cum dicatur : Deum nemo vidit unquam, etiam ratio redditur, cur non Moyses neque alius propheta ea nobiscum potuerit communicare, quae Christus nos edocuit. Iam ex hisce videtur consequi ratio valida pro illa inter theologos communi sententia : animam Christi habuisse visionem essentiae divinae.

Nam enarratio illa facta est a Christo homine; proinde proxime ex illa scientia quae animae eius humanae et intellectui humano erat communicata. Si proinde animae eius aut intellectui humano res enarranda fuisset solummodo revelata vel indita a Verbo, ipse ille homo enarrans qua homo non adeo distingueretur a Moyse et prophetis, quibus etiam revelatione res divinae patefactae sunt. At evangelista Christum hominem enarrantem qua enarrantem, ergo in humana natura testem asserere vult immediatum ex ipso Deo viso; haec est vis illius : Deum nemo unquam vidit, ratione contextus cum v. 17 et cum altero membro v. 18 habita. Dein 3,13 Filius hominis dicitur esse in coelis, et ipse affirmat : quod vidimus testamur; at cum loquatur in humana natura, non videtur proprietati verborum satisfieri, si haec de solo Verbo, de sola Verbi persona, intelliguntur. Simili modo monet *Salm.* Christum qua hominem nobis testem veritatis proponi; proinde cum testimonium eius ex visione ortum et ipse testis in coelo esse dicatur, necesse esse, ut etiam qua homo habeat testificationem ex visu.

PARS PRIMA 1,19-12,50.

Prima hac parte continetur manifestatio gloriae Iesu in vita eius publica et simul enarratur quomodo haec manifestatio recepta sit. Et primo quidem exponitur manifestatio Ioanni baptistae et discipulis facta 1,19-2,11; dein prima manifestatio in Iudaea facta 2,12-3,36, manifestatio facta in Samaria 4,1-42, in Galilaea 4,43-54. Cui adiungitur altera manifestatio in Iudaea 5,1-47 et altera in Galilaea 6,1-72. Iam tertium pascha vitae publicae actum est. Ultimo eius vitae spatio a festo scenopegiae tres aliae manifestationes in Iudaea exhibentur 7,1-10,21 festo scenopegiae, 10,22-11,56 festo encaeniorum, 12,1-50 prope festum paschatis.

1. *Prima manifestatio baptistae et discipulis facta* 1,19-2,11.

Ioannes baptista ipso suo testimonio saepius de Iesu edito declarat qualis manifestatio sibi facta sit. Iesu gloriam et divinam eius missionem testificatur coram legatis synedrii. Synedristae quaestionibus ei propositis agnoscunt baptistam singulari quadam dispositione divina esse missum; quare, si sibi constare velint, eius testimonium de Iesu debebant fide recipere. Saltem praeparantur animi, dummodo non voluntarie oculos claudere velint, ad manifestationem illam quam ipse Iesus de se est exhibiturus. Ioannes testimonium suum coram suis discipulis viso Iesu repetit et rationem suae missionis et Iesu dignitatem opusque quod perfecturus sit indigitat. Eius testimonio primi discipuli se Iesu adiungunt, quibus ita se manifestat, ut hi et alios ad eum adducant. Hisce facto primo signo in Cana Galilaeae gloriam suam manifestat fidemque eorum auget et confirmat.

Exponitur itaque, quomodo primi discipuli se Iesu adiunxerint et fidem in eum conceperint. Synoptici descripserunt conciones baptistae ad varios ordines eiusque testimonium de fortiore post se venturo ad populum; narrarunt quoque baptisma Iesu. Haec Ioannes, utpote ab iis iam exposita, relinquit (ita tamen, ut 1,33 baptisma Iesu et descensum Spiritus sancti omnino tangat); at alia refert et narrationem synopticorum multis supplet. Ita solus narrat legationem synedristarum; solus nobis exponit quomodo Iesus primo acquisierit discipulos et qua ratione illos ad sui cognitionem et fidem adduxerit. Discimus itaque qua ratione Iesus paulatim suos docuerit, fidem eorum excitaverit et roboraverit, antequam cum iis in urbem ascenderit et ipsa illa purgatione templi ut talem se publice manifestaverit qualis a Ma-

lachia praedictus erat : et statim veniet ad templum suum, ipse quasi ignis conflans et purgabit filios Levi (3,1-3), et qualis a baptista quoque annuntiatus erat : cuius ventilabrum in manu eius et permundabit aream suam (Matth. 3,12. Luc. 3,17).

a) Testimonium baptistae 1,19-28.

1,19. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei ab Ierosolymis sacerdotes et levitas ad eum ut interrogarent eum : Tu quis es?

20. Et confessus est, et non negavit; et confessus est : Quia non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respondit : Non. 22. Dixerunt ergo ei : Quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos; quid dicis de teipso?

23. Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.

24. Et qui missi fuerant, erant ex pharisaeis.

25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Ioannes, dicens : Ego baptizo in aqua; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est; cuius ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti.

28. Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

1,19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Ἰωάνου, ὅτε ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων ἱερεῖς καὶ Λευείτας, ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτόν, Σὺ τίς εἶ;

20. καὶ ὡμολόγησεν καὶ οὐκ ἠρνήσατο· καὶ ὡμολόγησεν, ὅτι ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὁ Χριστός. 21. καὶ ἠρώτησαν αὐτόν, Τί οὖν; Ἠλείας εἶ; καὶ λέγει, Οὐκ εἰμί. Ὁ προφήτης εἶ σύ; καὶ ἀπεκρίθη, Οὔ. 22. εἶπαν οὖν αὐτῷ, Τίς εἶ; ἵνα ἀπόκρισιν δῶμεν τοῖς πέμψασιν ἡμᾶς· τί λέγεις περὶ σεαυτοῦ;

23. ἔφη, Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ, Εὐθύνατε τὴν ὁδὸν Κυρίου· καθὼς εἶπεν Ἠσαΐας ὁ προφήτης.

24. καὶ ἀπεσταλμένοι ἦσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων·

25. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπαν αὐτῷ, Τί οὖν βαπτίζεις, εἰ σὺ οὐκ εἶ ὁ Χριστὸς, οὐδὲ Ἠλείας, οὐδὲ ὁ προφήτης; 26. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰωάνης, λέγων, Ἐγὼ βαπτίζω ἐν ὕδατι· μέσος ὑμῶν στήκει, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε.

27. ὀπίσω μου ἐρχόμενος, (ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν) οὗ οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ἄξιος ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος.

28. Ταῦτα ἐν Βηθανίᾳ ἐγένετο πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ὅπου ἦν ὁ Ἰωάνης βαπτίζων.

In v. 21 B συ ουν τι; in v. 22 dub rush dic nobis quis es; c ff² dic ergo nobis; e quid ergo es dic nobis. In v. 23 paratc fuld ger c f ff² q; addit c rectas facite semitas dei nostri. In v. 26 μεσος sine δε ℵ B C* L; in aqua in poenitentiam a q; στηκει B L Or; al pler εστηκεν; stat a b e f ff² l q Cyp dub eg rush tol. In v. 27 ερχομενος sine addit ℵ B C* L aliq minusc b l syr (sin, cu) Or Cyr Nonn. In v. 28 βηθαβαρα C² K T U Λ Π mu minusc syr (sin, cu) Or Hier Eus Chr.

Ex synopticis scitur, quantam in populo commotionem excitaverit baptista qui post longum illud prophetale silentium more et habitu prophetae surrexit; cf. Matth. 3,5 seq. Marc. 1,5. Cum itaque ad eum

undique homines confluerent et ipse praedicaret et novo quodam ritu eos lustraret, et cum insuper rumor popularis iam spargi coeptus esset eum esse Christum, profecto mirum esset, si ea in conditione (cf. Luc. 3,15) summus Iudaeorum magistratus plane ab omni inquisitione abstineret. Unde hic quoque evangelista id supplet quod synoptici non retulerunt. Et quia Ioannes ea potissimum tangere vult, quae Christus in urbe cum ducibus populi disputabat, aptissime ab hac legatione suam incipit narrationem, qua statim adumbratur quadam quasi praelusione, qui sit animorum habitus illorum ducum nova illa manifestatione divinitus facta. Ex ipsa re narrata certum est eam legationem missam esse postquam baptista iam per longius tempus suo munere functus est et ex v. 29 seq. (altera die etc.) simul patet haec acta esse post baptismum Christi et eius e deserto tentationibus transactis reditum. Haec enim utpote ex synopticis nota supponuntur. Evangelista id unum ob oculos habetut a limine ostendat qualem fidem baptistae testimonium invenerit apud duces et (v. 29 seq.) apud suos discipulos. Ita ab exordio narrationis delineare incipit, qui Christum non recipiant, qui eum recipiant et recipientes fiant filii Dei (v. 12).

Enarrat itaque, uti iam in prologo v. 6. 7 indicavit, quale testimonium de lumine perhibuerit v. 19 *et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudaei,* habitatores Iudaeae, qui generali locutione nominantur pro primoribus, pro synedristis, quorum erat inquirere, si quis sese tamquam prophetam exhiberet et quibus generatim cura rerum ad religionem cultumque pertinentium incumbebat; similiter loqui et scribere solent : Romani miserunt legatos, etsi solum senatus vel duces militum miserunt. Qui modus loquendi de Iudaeis generatim peculiaris est Ioanni, et explicatur facile ex eo quod longo intervallo et temporis et regionis de rebus illis olim factis scribit iis potissimum qui ipsi non sunt Iudaei i. e. incolae Iudaeae. Et illo tempore iam longe maior populi iudaici pars fidem Christi repudiaverat annuntiatam; quare Iudaei generatim apud Ioannem ut ii describuntur qui Christo fidem adhibere detrectant. Miserunt itaque synedristae *ab Ierosolymis sacerdotes et levitas,* agitur de re religiosa, de ritu lustrationis; unde ii mittuntur, quibus earum rerum cura et studium incumbit, et levitas quoque legem et caerimonias docuisse iam habetur 2 Par. 19,8-10; 17,8. 9; *ad eum, ut interrogarent eum : tu quis es?* scil. qui talia nunc moliris in populo et praedicas; qua auctoritate haec fiunt? Cum baptista sciret quid de se populari rumore spargeretur (Luc. 3,15), merito supposuit legatos ea de causa ad se mitti (*Or.*); unde statim hanc eis suspicionem eximit. Aliis videtur probabilius illos statim interrogasse, essetne Christus (*Mald.*).

Cum emphasi narratur v. 20 *et confessus est et non negavit et confessus est : quia non sum ego Christus;* ipso narrandi modo declaratur et quasi depingitur, quanto pondere illam de se opinionem reiecerit, quanta asseveratione et firmitate locutus sit. Exstitisse quippe eo tempore exspectationem Messiae, satis quoque ex synopticis colligitur; et quam alte ea inhaeserit, hoc loco aperte ostenditur, quia de omnibus interrogant, quos vulgaris opinio praecursores esse Messiae iactabat; adeo iis persuasum erat tempus messianum appropinquasse. Unde hoc? tempore quidem machabaico summis pressi calamitatibus prophetam quendam iterum venturum esse sperabant (1 Mach. 4,46; 14,41), de spe autem messiani temporis ibi non apparet vestigium. Verum ex vaticinio Danielis omnino apparet eo tempore terminum a propheta assignatum adesse debere (cf. Comment. Dan. p. 250); v. 21 *et interrogaverunt eum : quid ergo?* ex modo abrupto quaestionum ostenditur eos non bene esse affectos erga baptistam; quid ergo? i. e. quare igitur adeo singulari agendi et praedicandi ratione tantam ubique commotionem excitas? quid hoc sibi vult? *Elias es tu?* i. e. praecursor Messiae Elias habebatur ex Mal. 4,5, de qua opinione vide Matth. 17,10. Marc. 9,10; *et dixit : non sum;* in spiritu quidem et virtute Eliae praecessit ante Dominum, quod testimonium ipse quoque Christus ei dedit (Matth. 11,14); at alia mente illi interrogabant neque baptista tantum sibi tribuisset honorem ut se similem Eliae putaret vel diceret. Urgent illi : *propheta ὁ προφήτης es tu?* scil. magnus ille propheta, quem Iudaei quoque ex Deut. 18,15 similem Moysi surrecturum sperabant qui scil. mediatorem ageret inter Deum et homines et acceptum a Deo testamentum foedusve novum discipulis traderet (*Or.*). Alludi ad Deut. 18,15 omnes agnoscunt; *et respondit : non;* adnotant brevius post quamvis quaestionem responderi, qua maiore brevitate haud ambigue significetur, quanta vi et asseveratione falsam de se opinionem repudiet. Postea ipse Christus ab aliquibus ille propheta ὁ προφήτης habebatur (7,40).

Demum se missos esse a legitima auctoritate indicant; quare postulant, ut plane dicat quis sit v. 22 *dixerunt ergo ei : quis es ut responsum demus his qui miserunt nos; quid dicis de teipso?* ille vero ita respondet ut ex multis titulis quos sibi vere potuerit attribuere (doctoris, indicis, praecursoris Christi) eum solum tribuat qui humillimus videbatur (*Mald.*) sed quo nihilominus quale tempus instet et quam vere Messiam exspectent demonstrat; v. 23 *ait : ego vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta;* cf. Is. 40,3, quem locum messianum esse patet tum ex 40,5 (de gloria Domini *omnibus* revelanda), tum quia est prooemium duplicis liberationis, per Cyrum

et per servum Domini, per Messiam efficiendae; iam ex 40,8-12 indubie constat alteram liberationem maiorem i. e. messianam spectari. Ceterum a rabbinis quoque hunc locum habitum esse messianum certum est (cf. *Edersheim* II p. 726). Affirmat itaque suum esse constanter, firmiter, fortiter clamare et omnium auribus indesinenter ingerere : *dirigite*, εὐθύνατε, complanate statim (imperativo aoristi id praecipitur quod statim, sine tergiversatione fieri debet) *viam Domini* i. e. iam proxime adest; ita vos parate, ut ad vos venire possit Dominus. Proinde removete impedimenta quibus arcetur a vobis; « servus, inquit, sum et vias praeparo Domino, corda vestra; proinde illa facite recta, dolosi vos et obliqui, et facite aequa » (*Theoph.*), *sicut dixit Isaias propheta,* qui scil. 40,3.4 simul modos indicavit quibus via paranda sit Domino et eos modos quomodo docuerit baptista, synoptici referunt (Matth. 3,7 seq. Luc. 3,7 seq.). Nos autem discimus ex ipsa baptistae affirmatione ortum esse, cur synoptici in Ioanne baptista illud Isaiae oraculum impletum esse scripserint.

Hac assertione clare dixit baptista instare regnum messianum et simul perspicue affirmavit praedicationem suam et adhortationem ad poenitentiam et baptismum poenitentiae quem subirent homines confitentes peccata sua ad id unum dirigi, ut animi praepararentur ad Messiam suscipiendum; porro poenitentia iam a prophetis dicta est praeparatio ad regnum messianum (vide ad Ier. 3,21. Ez. 16,61. Dan. 9,5. Mich. 7,9; cf. Comment. Matth. I p. 117 seq.). Unde baptista ea illis legatis indicavit quibus auditis apparere debuit qua animorum dispositione illi essent. Quare evangelista, ut subiunctam interrogationem rite aestimare possemus, narrationi inseruit v. 24 *et qui missi fuerant erant ex pharisaeis,* sectam itaque et placita pharisaeorum sequebantur; erant pharisaei. Cum graece desit articulus (uti ex *Or. Nonn.* aliisque patet), verti potest : missi fuerant ex pharisaeis (e medio pharisaeorum, *Schz.*). Qui fuerint pharisaei, evangelista ex synopticis notum esse supponit. In eos baptista iam invehebatur, quia ob patrem Abraham se nulla indigere poenitentia, immo sibi debitum esse regnum messianum existimabant (Matth. 3,7-10). Pharisaei infensissimos Christi inimicos se praestiterunt, fidem populi in Christum maxime impediebant (cf. Matth. 12,24), de indole vera regni messiani tam parum intelligentes, ut Iesu opprobrio verterent illud ipsum, ad quod Messiam venturum esse prophetae uno ore nuntiarant, scil. ablationem peccati conversione peccatorum. Atque hanc naturam pharisaicam etiam hic iam manifestant v. 25 *et interrogaverunt eum et dixerunt ei : quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* produnt, se nihili facere quod baptista suum esse munus dixerat, ne-

que ullo modo percipiunt baptistam revera adventum Messiae praeparare; proinde ostendunt se nihil curare de indole spirituali regni messiani neque eam intelligere. Porro cum ex toto habitu baptistae et eius morum vitaeque sanctitate et salutari in populum efficacia concludere deberent eum esse a Deo missum, tamen ei negant ius ritu baptismi populum ad poenitentiam excitandi. Eorum scil. sententia iam ea est, ut Deus, si tandem nova quaedam periodus inauguranda sit, solum mittat quem ipsi volunt, et eo modo quo ipsi volunt, eum scil. Messiam quem sibi fingunt, vel Eliam, vel eximium sicut Moysen prophetam, qui signis et prodigiis, uti ille Aegyptios, ita nunc hostes Israel prosternat. Verum ab alio se edoceri dedignantur. Unde cum stomacho quaerunt : quid *ergo* etc.

Baptista ea reponit quibus etiam clarius edocentur de adventu Messiae, ita ut iam non possint ignorantiam praetendere v. 26 *respondit eis Ioannes dicens : ego baptizo in aqua;* ad hoc missus erat a Deo v. 33; iterum eo baptismo commemorato indicat se populum ad poenitentiam provocare quae est secundum prophetas praeparatio ad regnum messianum. Addit *in aqua;* et quia baptismus, lotio fiat aqua, necessario tacitam oppositionem indicat ad aliam eamque multo sublimiorem emundationem; alias enim illud *in aqua* plane supervacaneum esset. Quid intelligatur, patet ex vaticiniis (cf. ad v. 13) et ex iis quae baptista de baptismo Messiae in Spiritu sancto dicit (v. 33. Matth. 3,11. Marc. 1,8. Luc. 3,16). Eo quoque baptismo « praecursionis suae ordinem servans, quia nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque Dominum baptizando praevenit et qui praedicando factus est praecursor Christi, baptizando etiam praecursor eius fiebat imitatione sacramenti » (*Beda*); neque tantum praeparatio regni messiani coram vobis in aperto posita est, ait baptista, immo iam inter vos adest ipse Messias : *medius* (*autem*, melius omittitur; sermo redditur magis concisus, adeoque vehementior; cf. graece) *vestrum stetit*, στήκει, vel ἕστηκεν *stat* iam versatur inter vos, *quem vos nescitis;* Iesus enim in baptismo testimonio coelesti est sollemniter manifestatus (Matth. 3,16.17. Luc. 3,22), et nunc inter eos conversatur; at illi eum non agnoscunt, quia non ea rerum pompa quam aestimare unice solent sese venditat, ideoque non cognoscunt quantae sit dignitatis (*Ians.*). Insuper quae erat pharisaeorum superbia, qui se legis mosaicae doctores et vindices iactabant, suo quasi iure postulabant, ut Messias primo se adiret, a pharisaeis et synedristis accepturus fidem et approbationem.

Simul repetit eum mox multo maiora et insigniora esse exhibiturum v. 27 *ipse est qui post me venturus est,* proinde praedicans, populum ad poenitentiam excitans et sui fama omnem implens regionem; *qui*

ante me factus est; cf. v. 15; *cuius ego non sum dignus, ut solvam eius corrigiam calceamenti,* quem itaque ita se maiorem et digniorem celebrat, ut ne inter ultimos quidem eius servos computari mereatur; calceamentum quippe solvere infimum est ministerium (*Chr. Theoph.*); maior est, inquit, inter me et ipsum excessus, quam inter dominos temporales et eorundem servos, quandoquidem ego ne minimus quidem servus esse mereor; egregia conclusione Ioannes responsum concludit; existimabatur esse Christus; concludit : non sum dignus solvere calceamentum Christi (*Tol.*). Quare quantus sit ille, cui testimonium perhibet, alio modo ostendit simulque suo demissionis exemplo docet pharisaeos deponere fastum. Abeunt legati. Synedristas nihil doctrinae et utilitatis ex Ioannis testimonio cepisse statim manifestum factum est, cum Messias primo in templo auctoritatem suam et gloriam palam exhiberet (3,14-20).

« Locum notat, ut accurate diligenterque factam esse narrationem significet; solemus enim cum de rebus magnis facienda nobis est narratio, etiam meminisse locorum, in quibus eas fieri contigit » (*Cyr.*). Uti synedristae ex officio et iure magistratus inter Iudaeos summi inquisiverunt, ita iis per baptistam pariter ex vi muneris et officii sollemnis transmissus est nuntius de adventu Messiae, cuius exspectatio iam omnium animos tenebat suspensos et occupatos. Habent itaque quod perpendant. Lege mosaica tenentur ei qui se prophetam probavit obedire (Deut. 18,19). Ducum populi praeprimis est populum ad eum adducere, qui tot oraculis a prophetis est annuntiatus, qui ab omnibus expetitur, ad Messiam. Audiunt ipsum adesse. Iterum valet illud mosaicum : testes invoco hodie coelum et terram, quod proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem; elige ergo (Deut. 30,19); v. 28 *haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans;* per Iordanem populus olim ingressus est in terram hereditatis, terram Domini, typum regni Dei (Hebr. 4,5-9); quare consentaneum est ut praeparatio ad regnum messianum eodem loco fiat. De hoc viculo Bethania trans Iordanem nihil notum est; vicus ille prope urbem 11,18 accurate describitur; quare ridiculi erant qui evangelistam ignorantiae accusabant quasi Bethaniam prope urbem, nunc trans Iordanem collocaret. Fortasse hoc nomen est בֵּית אֳנִיָּה domus navis; nomen haud ineptum, si ibi rates seu naviculae erant ad traiiciendum. Alii legunt Bethabara (i. e. domus transitus); etiam *Or.* prorsus censet (ἐπείσθημεν) ita esse legendum; cum enim esset in Palaestina, audivit ad ripam Iordanis esse Bethabara, ibique Ioannem baptizasse. Etiam *Chr.* censet accuratius legi ita (sim. *Theoph. Euth.*). Ceterum eius quoque situs ignoratur. Verum cum *Or.* testetur in omnibus fere exemplaribus poni

Bethania, altera lectio videtur esse tentata quaedam emendatio quae post *Or.* et propter eius auctoritatem inducta est. Alia fertur opinio haud spernenda : Bethaniam esse hebr. בָּטֶן ad quandam formam graecam redactum, quo idem significetur hebr. quod graece dicitur αὐλών, κοιλάς apud Iosephum aliosque, scil. vallis illa depressa Iordanis. Qua explicatione eadem regio assignatur quae a synopticis περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου (Luc. 3,3) appellatur, addita determinatione magis distincta *trans* Iordanem (cf. Riess, Bibel-Atlas s. v.).

b) Primi ad Iesum adducuntur discipuli 1,29-51.

1,29. Altera die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic est, de quo dixi : Post me venit vir qui ante me factus est; quia prior me erat. 31. Et ego nesciebam eum; sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo, et mansit super eum. 33. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. 34. Et ego vidi; et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

35. Altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo. 36. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit : Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Iesum. 38. Conversus autem Iesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quaeritis? Qui dixerunt ei : Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister), ubi habitas? 39. Dicit eis : Venite, et videte. Et venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima.

40. Erat autem Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus qui audierant a Ioanne, et secuti fuerant eum. 41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam

1,29. Τῇ ἐπαύριον βλέπει τὸν Ἰησοῦν ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει, Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. 30. οὗτός ἐστιν ὑπὲρ οὗ ἐγὼ εἶπον, Ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν. 31. κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν· ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ, διὰ τοῦτο ἦλθον ἐγὼ ἐν ὕδατι βαπτίζων. 32. καὶ ἐμαρτύρησεν Ἰωάνης λέγων, ὅτι τεθέαμαι τὸ Πνεῦμα καταβαῖνον ὡς περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. 33. κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν· ἀλλ' ὁ πέμψας μ βαπτίζειν ἐν ὕδατι, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, Ἐφ' ὃν ἂν ἴδῃς τὸ Πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον ἐπ' αὐτόν, οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν Πνεύματι Ἁγίῳ. 34. κἀγὼ ἑώρακα, καὶ μεμαρτύρηκα ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ.

35. Τῇ ἐπαύριον πάλιν εἱστήκει Ἰωάνης, καὶ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο. 36. καὶ ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι, λέγει, Ἴδε ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ. 37. καὶ ἤκουσαν οἱ δύο μαθηταὶ αὐτοῦ λαλοῦντος, καὶ ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ. 38. στραφεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ θεασάμενος αὐτοὺς ἀκολουθοῦντας, λέγει αὐτοῖς, Τί ζητεῖτε; οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, Ῥαββεί, (ὃ λέγεται μεθερμηνευόμενον, Διδάσκαλε,) ποῦ μένεις; 39. λέγει αὐτοῖς, Ἔρχεσθε καὶ ὄψεσθε. ἦλθαν οὖν καὶ εἶδαν ποῦ μένει· καὶ παρ' αὐτῷ ἔμειναν τὴν ἡμέραν ἐκείνην· ὥρα ἦν ὡς δεκάτη.

40. Ἦν Ἀνδρέας, ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου, εἷς ἐκ τῶν δύο τῶν ἀκουσάντων παρὰ Ἰωάνου, καὶ ἀκολουθησάντων αὐτῷ. 41. εὑρίσκει οὗτος πρῶτον τὸν ἀδελφὸν τὸν ἴδιον Σίμωνα, καὶ λέγει αὐτῷ, Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν (ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον,

(quod est interpretatum Christus). 42. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit : Tu es Simon filius Iona; tu vocaberis Cephas : quod interpretatur Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galilaeam, et invenit Philippum. Et dicit ei Iesus : Sequere me. 44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri. 45. Invenit Philippus Nathanael, et dixit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus : Veni, et vide. 47. Vidit Iesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael : Unde me nosti? Respondit Iesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, quum esses sub ficu, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel. 50. Respondit Iesus et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : maius his videbis. 51. Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis coelum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

Χριστός)· 42. ἤγαγεν αὐτὸν πρὸς τὸν Ἰησοῦν. ἐμβλέψας αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωάνου· σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς (ὃ ἑρμηνεύεται Πέτρος). 43. Τῇ ἐπαύριον ἠθέλησεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν Γαλιλαίαν· καὶ εὑρίσκει Φίλιππον, καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἀκολούθει μου. 44. ἦν δὲ ὁ Φίλιππος ἀπὸ Βηθσαιδά, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου. 45. Εὑρίσκει Φίλιππος τὸν Ναθαναήλ, καὶ λέγει αὐτῷ, Ὃν ἔγραψεν Μωυσῆς ἐν τῷ νόμῳ καὶ οἱ προφῆται, εὑρήκαμεν, Ἰησοῦν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέτ. 46. καὶ εἶπεν αὐτῷ Ναθαναήλ, Ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; λέγει αὐτῷ Φίλιππος, Ἔρχου καὶ ἴδε. 47. εἶδεν ὁ Ἰησοῦς τὸν Ναθαναὴλ ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ, Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλείτης, ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστιν. 48. λέγει αὐτῷ Ναθαναήλ, Πόθεν με γινώσκεις; ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν εἶδόν σε. 49. ἀπεκρίθη αὐτῷ Ναθαναήλ, Ῥαββεί, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, σὺ βασιλεὺς εἶ τοῦ Ἰσραήλ, 50. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ὅτι εἶπόν σοι, ὅτι εἶδόν σε ὑποκάτω τῆς συκῆς, πιστεύεις; μείζω τούτων ὄψῃ. 51. καὶ λέγει αὐτῷ, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου.

In v. 29 tollet big ger, tulit dub; peccata ox wil. In v. 31 Israhel (omisso *in*; ergo Israel in dativo uti gr.) ben cav eg ing for car tol val harl. In v. 34 ο εκλεκτος του θεου ℵ* 77. 218. syr (sin, cu) Amb; filius Dei electus dub rush et similiter a b ff². In v. 38 sin om videns eos; pariter in v. 40 qui audierant et secuti fuerant eum; et in v. 41 sin et Andreas vidit Simonem fratrem suum eo die et dixit ei : frater mi et in v. 42 interpretatum graece Petrus; in v. 44 genus eius ex Bethsaida; in v. 45 om sin in lege. In v. 42 Iohanna am dub dun med ox ken rush st wil corp lind steph; Ioanna fuld sixt, filius Iohannis ben big eg a b f ff² l r.

Testimonium baptista perhibuit legatis synedrii. Subiungitur aliud quod omnibus qui forte aderant dedit v. 29 *altera die* i. e. postero die, die post legationem *vidit Ioannes Iesum venientem ad se* βλέπει videt, quod, ut *Mald.* dicit, est ἐμφατικώτερον, quia magis expressam sententiam ante oculos ponit; et *videt* praebent 14 codices Vulg. et 3 vet. vers. Merito notat *Rup.* baptistam, qui tanto clamore praeco veritati obsecutus sit, nunc fidei et devotionis praemium accipere; videt scil. Iesum ad se venientem; « qui enim exsultavit infans in gaudio (Luc.

1,44), cum adhuc esset parvus in utero, quanto exsultavit tripudio iuvenis praedicans, cum idem Rex Christus coram alloquendus adesset? et qui tam digna, quae supra elocutus est, de illo sentire meruit, dum sola mente videns exterioribus illum quaereret oculis, quanto magis ubi illum invenit, dignum aliquid exclamando effari debuit ac potuit » (*Rup.*)? Bene advertit *Chr.* diversum narrandi tempus synopticorum et Ioannis; illos breviter transcurrere tempora quae Ioannis B. vincula praecesserint, properare ad sequentia; Ioannem vero in illis maxime immorari; tacere quidem profectionem in desertum, utpote ab iis narratam, ea vero quae post descensum a monte gesta sint narrare. Synoptici enim narratis Christi tentationibus statim subiungunt reditum Iesu in Galilaeam eum postquam Ioannes traditus est in carcerem (Matth. 4,12; Marc. 1,14. Luc. 4,14), de quo reditu Ioan. 4,1 demum sermo fit (quare 3,24 inseruit : nondum enim...).

Venit autem Iesus ad Ioannem, ut testimonium iteraret confirmaretque et coram Iudaeis testaretur ipsum esse Christum eumque digito demonstraret (*Lap.*), certe etiam, ut praecursorem gaudio et consolatione afficeret. Baptista itaque videns Iesum ad se appropinquantem *ait : ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi;* ἴδε interiectionis instar ponitur plerumque, etiam si ad multos sermo fit, uti en, ecce (Matth. 26,65. Marc. 16,6. Ioan. 1,47; 19,5. 14). Hic eo magis apte ponitur, « quia multi saepe ex iam dictis et a multo tempore quaerebant eum; ideoque praesentem illum ostendit et dicit : ecce, ostendens illum ipsum esse qui iam olim quaerebatur » (*Chr.*). Antea fortiorem se annuntiaverat tamquam qui baptizaret in Spiritu sancto i. e. gratiam coelestem infunderet (Matth. 3,11), nunc autem designat rationem, cur et quomodo gratiam Spiritus s. omnibus proponat : sui ipsius scil. oblatione et sacrificio aufert peccatum, Deum placat et thesauros coelestes omnibus pandit. Est etenim *agnus Dei;* nomen desumi ex Is. 53,7 plerique adnotant (*Chr. Cyr. Theoph. Euth. Theod M. Salm. Tol. Mald. Bar. Lap.* et recentiores); aliqui addunt Ier. 11,19 (*Or.*) et sacrificium quotidianum quod mane et vespere offerebatur (*Or. Thom.*). Declaratur itaque eum esse agnum illum, seu illam victimam sacrificii quam Deus miserit et pro expiatione populi providerit et vaticiniis et ritu sacrificali promiserit, proinde eo sensu verissime agnum Dei (cf. *Euth. Salm. Bar. Corl. Schz.*). Uti enim apostolus ex ritu vetere dicit : omnia pene in sanguine secundum legem mundantur et sine sanguinis effusione non fit remissio (Hebr. 9,22), ita notio ablationis peccati et notio sacrificii secundum totam institutionem caerimonialem erant inter se colligatae. Praeterea Is. 53 Messias describitur ponens animam suam, vitam, tamquam sacrificium

pro delicto, in quo Deus posuerit iniquitates omnium et qui propterea tamquam ovis ad occisionem ducetur et quasi agnus omnia tacens perferet (53,6. 7. 10). Quare pronum erat Messiam, in quo Deus posuit iniquitates omnium nostrum, tamquam agnum, victimam quam Deus designavit misitque et sibi quasi pro expiatione mundi elegit, ergo tamquam agnum Dei nomine efferre. Alii ea in appellatione cernunt vel divinam Christi naturam (*Euth.* θεῖος, *Thom. Bar. Mald. Lap.*) vel agnum a Deo, eius scil. voluntate oblatum (*Alb. Bar. Mald. Lap.*, uti dicitur sacrificium Abraham i. e. ab Abraham oblatum) vel agnum qui Dei sit, ad Deum pertineat (*Schg. Weiss*).

Quod ex notione sacrificii vel victimae statim sequitur, hoc loco ita adiungitur, ut non populi Israel (quod ex lege videri posset) tantum expiatio, verum totius mundi reconciliatio asseratur : *ecce qui tollit peccatum mundi* ὁ αἴρων, explica : auferens; ita *Or.* vocem explicat allegans illud : qui est propitiatio pro peccatis nostris, qui chirographum delevit et sustulit e medio (1 Ioan. 2,1. 2 Col. 2,14), *Chr.*: aliorum peccata abluit, *Theoph.* exponit vocem per ἀφανίζειν, *Theod M.* καταλύειν, *Cyr.*: hostia pro omnibus, ut mundi peccatum amoveat, ut orbis exterminatorem evertat, ut solvat maledictionem etc., *Euth.* ἀφαίρειν, καθαίρειν. Et merito ita; nam etiam apud LXX αἴρειν eo sensu adhibetur (1 Reg. 15,25; 25,28) et etiam 1 Ioan. 3,5. Dicitur autem ὁ αἴρων, ut eius vis naturalis significetur; eo enim loquendi modo perpetuas rerum naturas et indeficientes exprimimus, ut cum dicimus : ignis calefacit (*Tol. Mald.*); ergo est attributum quod ei ex rei natura et constanter convenit et munus ei proprium ac singulare denotat. Quod autem dicitur in singulari *peccatum* τὴν ἁμαρτίαν, non minuit significationem, sed potius auget; nam tota species rei significatae singulari numero exprimitur (*Tol.*), ita ut genus omne peccatorum aut quidquid est in mundo peccati per eum auferri significetur (*Mald.*), omnis scil. peccatorum colluvies et scaturigo (*Lap.*). Pariter indicat dicens : ecce agnus ille tollens peccatum, sacrificiorum veterum insufficientiam et inefficaciam ad auferenda peccata : hic demum ille est agnus qui vere tollit, et ita Christum designat redemptorem mundi, sicut figuratum in lege et per prophetas praedictum erat (*Tol.*).

Et quasi digito demonstrans Christum ad se appropinquantem omnibus in memoriam revocat vaticinium et testimonium quod ediderat antequam Iesus veniret ad baptismum : v. 30 *hic est de quo dixi : post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat;* vide ad v. 15; hoc est testimonium illud quod etiam simili modo refertur Matth. 3, 11; Marc. 1,7; Luc. 3,16 et quod perhibuit ante baptismum Christi. Vix erit cum pluribus laborandum, quid hoc loco *vir* significet; vox

non habetur in locis parallelis; explicant eam de aetate perfecta (*Theoph. Thom.*) de homine omni virtute praedito et perfecto (*Rup.*) et ex prophetiis (Is. 53,3. Ier. 3,11; 31,22. Zach. 6,12, in quibus *vir* appellatur, *Tol.*); « potius hebraismum esse credo, quo איש vir pro quodam ponitur, quasi diceret: post me venturus est quidam maior me » (*Mald.*). Quod eius testimonium eo maioris est momenti, quia non coniectura seu cognitione humana, sed revelatione divina et mandato divino profectum est v. 31 *et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel* τῷ Ἰσραήλ, Israeli (*Aug. Cai.;* vide lect. var.), *propterea veni ego in aqua baptizans;* voluit itaque Deus, ut Iesus baptismum susciperet; quare Iesus dixit, cum baptista eum prohibere vellet: sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiam (Matth. 3,15); atque in hoc baptismo voluit eum manifestare Israeli illis scil. signis quae facta sunt (Matth. 3,16. 17. Marc. 1,9-11. Luc. 3,21. 22). Quare apertum est hoc loco id notum supponi quod synoptici de baptismo Iesu referunt. Baptistae itaque missio erat, ut et Iesu adventum praediceret, ei per poenitentiam animos praepararet, et suo ministerio eum sollemni modo populo manifestaret.

Scivit itaque baptista post se venturum esse *quendam* maiorem, qui prior ipso exstiterit. Verum huncne etiam recte designavit in persona Iesu? ad hoc respondet evangelista, enarrans quali signo baptista divinitus sit edoctus, quis esset ille « venturus » v. 32 *et testimonium perhibuit Ioannes dicens: quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de coelo et mansit super eum;* Luc. 3,22 et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum; ita quasi columbam exponunt ὡς ἐν εἴδει περιστερᾶς *Chr.*, ἐν σχήματι, εἴδει, σχηματισμῷ *Cyr.* et communiter; falso *Weiss* id solum dici vult, apparitionem quandam lucidam descendisse non in figura vel forma columbae, sed ita placide sicut columba placide soleat descendere; sed id in quo esset comparatio non exprimeretur, et insuper columbae placidus ac lentus volatus nullatenus est ita proprius, ut sola mentio columbae sufficeret ad descensum placidum ac lentum designandum. Iam ulterius explicat vim et significationem huius signi v. 33 *et ego nesciebam eum;* sciebat quidem Christum esse venturum, Iesum autem facie non novit; « nam toto vitae tempore in deserto versabatur extra paternam domum » (*Chr.* Luc. 1,80; 3,2); « et quomodo mittebatur Samuel in Bethlehem sciens esse in filiis Isai quem ungeret in regem, sed quis filiorum eius esset nesciens, sic et ego veni in Iordanem Christum iam venisse sciens, sed in persona quis Christus esset nesciens » (*Rup. Salm. Tol. Bar. Lap.*). Neque contrarium est quod Matth. 3,14 narratur. Cum enim sciret Christum esse ad se venturum,

profecto magno animi desiderio eum exspectabat et oculis quasi eum quaerebat. Iesus autem eo erat habitu, ea dignitate, modestia, ut Ioannes facile sibi persuaderet iam adesse quem desideraret; adde tunc ei minime defuisse peculiarem Spiritus sancti impulsum; ut eum sensit olim latens in utero materno, ita eum praesentem agnovit (cf. Comment. Matth. I p. 135); signo dein divinitus dato persuasio eius firmissimam fidei certitudinem consecuta est, qua certissimum redderet testimonium; *sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* i. e. qui Spiritum sanctum tribuit, per quem regeneratio spiritualis efficitur. Ceterum vide quae pluribus exposita sunt in Comment. Matth. I p. 130 seq.

Ex quibus verbis concludit *Chr.*: vides, ad hoc venisse Spiritum sanctum, ut Christum ostenderet, et quo testimonium Ioannis fide dignius exhiberetur, ad Deum et Spiritum sanctum reducitur. Et *Cyr.*: loco signi et indicii datam sibi esse descensionem Spiritus, beatus baptista profitetur; simili modo iste descensus dicitur signum certificans ratione ostensionis (*Bon.*) et factus solum ad manifestandum (*Thom.*). Anima Christi ab initio plenitudinem habuit gratiae infusae, quae plenitudo ex unione cum Verbo in eam redundabat; quare de augmento huius plenitudinis sermo esse nequit. Neque tamen inde sequitur descensum Spiritus sancti esse solum signum externum, ita ut foris ostendatur quod in Christo homine aderat semper. Sicut enim anima Christi nobis exhibetur variis affectibus agitata, aliis profecto in transfiguratione, aliis in horto ante passionem; aliis quando exsultavit Spiritu sancto, aliis quando infremuit spiritu (Luc. 10,21. Ioan. 11,33.38), ita facile tibi persuaseris, in sollemni hac introductione ac manifestatione etiam animam Christi singulari quodam ac sublimissimo affectu caritatis in Deum et homines fuisse imbutam et maximo quodam fervore munus sibi demandatum suscepisse. Quem singularem Spiritus impulsum post baptismum synoptici quoque notant (Matth. 4,1. Marc. 1,12: Spiritus expulit eum in desertum; Luc. 4,1 plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane). Quare bene advertit *Rup.*: non ergo ea tantum causa, ut signum daretur Ioanni, Spiritus sanctus in Dominum Iesum descendit, sed ut evangelizandi officio et summi sacerdotii ordine fungeretur unita Deo natura humana.

Cur specie columbae Spiritus s. descenderit, vide quae dixi in Comment. Matth. I. p. 140, Marc. p. 35, Luc. p. 166. — Demum baptista repetit testimonium denuo affirmans se ex certissima revelatione et scientia Iesum designasse Messiam v. 34 *et ego vidi*, quod opponitur illi: et ego nesciebam; ἑώρακα, vidi signum illud mihi promissum, *et testimonium*

perhibui, μεμαρτύρηκα; nota tempus perfectum, quo significatur actio praeterita quae per effectus suos durat. Postquam vidit, statim testatus est et nunc quoque affirmat visionem suam et testimonium pleno consistere robore; testatus est quod in ipsa illa manifestatione audivit (cf. Matth. 3,17) *quia hic est Filius Dei*, certe non adoptione, uti alii; ergo natura (*Mald.*). Aliud est, utrum qui audierint id plene intellexerint necne. Et dici potest cum *Cai.* Hebraeis tunc temporis appellationem filii Dei significasse Messiam, non explicite verum Deum; similiter ait *Corl.*, eum consubstantialitatem Christi cum Patre docere voluisse non constare. Ipse tamen baptista vero sensu intellexisse censendus est ex suis ipsius verbis v. 15.23.30, quibus Christi divinitatem ita enuntiat, ut etiam qui eum audiebant eam suspicari potuerint. Tria eousque testimonia protulit, ut *Salm.* scribit, in quibus descriptus est Christus; quia est agnus Dei, ideo peccata auferre potest; quoniam ipse est qui baptizat in Spiritu sancto, idcirco et gratiam et dona sua valet elargiri; rursus quoniam Filius Dei est, potest adoptionem filiorum Dei atque hereditatem regni coelorum nobis impertire.

Baptista munere suo fungitur eo quoque quod suos discipulos ut Iesu adhaereant edocet. Quare veteres eum vocant paranymphum, pronubum, quippe qui Christo sponso adducat et tradat sponsam; v. 35 *altera die iterum stabat Ioannes et ex discipulis eius duo,* iterum, scil. uti v. 29, stabat exspectans venturusne esset Christus; cum duo solum nominentur, inutile est quaerere, num adfuerint praeter eos multi discipuli, ex quibus solum duo testimonio eius obsecuti sint (*Euth. Tol.*) v. 36 *et respiciens Iesum ambulantem* ἐμβλέψας i. e. intuitus, uti postea vertit interpres; plus dicit quam respiciens, scil. quod fixe, intentis oculis eum intuebatur, cum animi gaudio et admiratione (*Chr. Ians. Tol.*), stabat admirabundus, quasi stupore defixus (*Mald.*). Iesus non ad baptistam appropinquabat, uti v. 29 die antecedenti, sed obambulabat ea in regione, ubi baptista erat, qui discipulis *dicit : ecce agnus Dei;* « non longo utitur sermone, quia unum tantum curabat, ut illos cum Christo coniungeret; sciebat enim illos, si hoc semel suscepissent et obtemperassent, non ultra testimonio opus habituros, ut etiam evenit » (*Chr.*); *ecce* « quod non solum est demonstrativum, sed admirativum virtutis ipsius; nec dicit : ite ad eum, ne videantur discipuli gratiam praestare Christo, si eum sequerentur; sed commendat Christi gratiam, ut quasi in beneficium sibi computent, si Christum sequuntur » (*Thom.*). Notat *Chr.* : nihil Christus loquitur, sed omnia ille; sic sponsus solet; nihil ipse sponsae dicit, sed adest silens; alii illum indicant sponsamque ipsi tradunt; illa comparet neque sponsus illam per se accipit, sed alio tradente. Id circa Christum evenit; venit

in sponsam ducturus Ecclesiam; nihil ipse dixit, sed adfuit tantum; Ioannes autem amicus eius dexteram sponsae ipsi tradidit verbis illi hominum animas concilians (sim. *Theoph. Euth. Thom.*).

Ponitur fructus proveniens ex eius testimonio (*Thom.*) v. 37 *et audierunt eum duo discipuli loquentem et secuti sunt Iesum;* incedentem (v. 36) subsecuti sunt verecunda quadam diligentia (*Chr.*) neque enim audent statim ad eum accedere et eum alloqui; sequebantur autem taciti flagrantes amore sublimioris doctrinae, cuius spem ex Ioannis testimonio conceperant, sed interpellare non audent eum, quocum nulla eis intercesserat familiaritas et cuius summam dignitatem ex Ioannis verbis intellexerant (*Ians.*). Verum ipse Christus pro sua benevolentia iis obviam venit et, ut *Thom.* ait, quod Ioannes inchoavit, consummatur per Christum; v. 38 *conversus autem Iesus et videns eos sequentes se dicit eis : quid quaeritis?* « quid hoc est? qui novit corda hominum, cui cogitationes nostrae patent, hic interrogat? sed non ut discat (quomodo enim?), sed ut per interrogationem illos ad se admittat maioremque addat fiduciam eosque colloquio dignos ostendat; verecundiam igitur et metum ut iis eximat, interrogat » (*Chr. Euth. Cyr.*); facit itaque eos familiares et audentiores (*Tol.*)*; qui dixerunt ei : rabbi (quod dicitur interpretatum magister) ubi habitas?* nam quiete ipsum alloqui, audire et discere cupiebant volentes diutius cum eo conversari (*Chr. Euth.*); habitationem scire volebant, ut frequenter eum adire possent (*Thom.*), ut ex otio et privatim eum interrogarent, cuius se iam discipulos profitentur (*Mald.*). Fortasse verebantur etiam, ut *Ians.* censet, ei molesti esse hora adeo tarda, hora scil. diei decima; et simul declarant se familiarius secretiora quaedam discere velle, quae fortasse non esset docturus in publico.

Iesus autem delectatus eorum pio ardore eos statim comiter et blande invitat ad domesticum colloquium v. 39 *dicit eis : venite et videte. Venerunt et viderunt, ubi maneret et apud eum manserunt die illo;* « cur manserint, evangelista non addit, quod manifesta res esset, neque enim alia de causa secuti sunt eum vel Christus accivit eos, quam ut doctrinam acciperent, quam tam copiose et cum tanto studio una nocte perceperunt, ut mox uterque ad alios advocandos properaret » (*Chr.* ἐφ' ἑτέρων θήραν ἐλθεῖν); *hora autem erat quasi decima* diei scil. ergo haud ita multum ante solis occasum; nonne duodecim sunt horae diei (11,9)? intelligi horas ab ortu solis, veteres communiter et recentiores plerumque docent, et merito quidem; eo enim modo in libris novi test. horae computantur, neque ulla est ratio cur apud Ioannem id non fiat; immo id quam maxime congruit aliis eius locis (4,6.52; 19,14; vide quae dixi in Comment. Marc. p. 414). Eodem modo Iosephus quoque

horas computat (etiam Vit. 54). Ex tota hac narratione patet, quam viva memoria Ioannes in summa senectute retinuerit recordationem beatissimi illius eventus, quo primo timida quadam exspectatione et reverentia Iesum sit secutus, dein summa eius comitate et affabilitate fuerit a Iesu invitatus et in ipsa eius habitatione familiari colloquio et dulcissimo cum Iesu commercio recreatus! « venerunt et fuerunt cum illo; quam beatum diem duxerunt! quis est qui nobis dicat quae audierint illi a Domino? faciamus nosmetipsi in corde nostro domum quo veniat ille et doceat nos; colloquatur nobiscum » (*Aug.*). Nondum utique, ut bene notat *Aug.*, illi ita adhaeserunt, ut non recederent; nam ad relinquenda omnia et continuam Christi sequelam vocati sunt postea (Luc. 5); nunc vero paullatim ad discipulatum et apostolatum praeparantur.

Ioannes, uti solet, se non nominat, sed tamen ipsa narratione se satis prodit. Id veteres quoque senserunt (quamvis praeter Ioannem fortasse alium intelligi posse etiam commemorent) et recentiores confirmant; v. 40 *erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant a Ioanne et secuti fuerant eum;* primi accesserunt ad Iesum Andreas et Ioannes; primi etiam post Petrum enumerantur in albo apostolorum (Matth. 10,2. Marc. 3,17. Luc. 6,14. Act. 1,13). Ioannes de se iam nihil narrat; sed cum frater eius Iacobus simul cum eo inter primos apostolos recenseatur, probabile est Ioannem idem fecisse quod hic solum de Andrea refert, ad quod suadendum ab aliquibus allegatur in v. 41 lectio πρῶτος. Petrus hic vocatur per anticipationem. Andreas autem non in se abscondit thesaurum inventum, sed festinat et currit ad fratrem, ut ipsum reddat eius thesauri consortem (*Chr.*) et talenti a Domino accepti quaestum uberiorem Domino offert (*Cyr.*), v. 41 *invenit hic primum fratrem suum Simonem*, primum i. e. cum rediret a Iesu plenus gaudii et plenus desiderii thesaurum inventum cum aliis communicandi, divina providentia factum est, ut primum omnium inveniret fratrem (*Mald.*) *et dicit ei : invenimus Messiam* (*quod est interpretatum Christus*), o vera pietas! statim ut invenit thesaurum, margaritam, fratri nuntiat, fratrem vocat (*Bed.*); Messias, hebr. מָשִׁיחַ, unctus (cf. Ps. 2,2. Dan. 9,25); qua voce simul docemur, ut *Chr.* notat, quid apud Iesum didicerint. Hoc quippe verbum est animae adventum eius summe desiderantis gaudioque exsultantis atque festinantis tantam rem nuntiare (sim. *Euth.*), quasi dicat : gaude mecum, quem tam anxie exspectamus, iam invenimus (*Ians.*); vide quam prompti sint ad docendum qui Christum agnoscunt (*Salm.*).

Cum Simonem fratrem statim inveniret in Iudaea, haud procul a regione baptistae, probabile est Simonem quoque vel discipulum Ioannis fuisse vel adiisse eum baptismi causa (*Ians.*) v. 42 *et adduxit*

eum ad Iesum; Iesus autem qui venerat, ut desponderet sibi Ecclesiam, iam laetus eam prospicit statim pandens se assumere discipulos Ecclesiae fundandae causa, cuius lapidem fundamentalem in Simone salutat; *intuitus autem eum Iesus,* intuetur qui corda et renes novit et cernit ad quantam sublimitatem sit evehendus (*Cyr.*), *dixit : tu es Simon filius Iona*, Ionas i. e. Ioannes (ita 4 Reg. 25,23 Ἰωνά pro hebr. יוֹחָנָן; vide quae notavi ad Matth. 16,17), uti plurimi quoque codices Vulg. et veteris versionis habent (cf. lect. var.), *tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus;* כֵּף saxum, petra (Ier. 4,29. Iob 30,6) aram. כֵּיפָא petra, lapis; graece πέτρος adhibetur etiam eadem significatione ac πέτρα saxum (ceterum vide ad Matth. 16,18); « hic iam incipit Iesus divinitatem suam sensim revelare ex praedictionibus; sic etiam cum Nathanaele fecit et cum samaritana muliere » (*Chr. Mald.*). Nomen Cephae, Petri, hic praesignatur, imponitur Marc. 3,16 in electione apostolorum, confirmatur Matth. 16,18 et explicatur (cf. *Alb.*). Censet *Aug.* hoc iam loco accepisse nomen Cephae (de cons. evang. 2,17,34; *Bon.* addit : impositum fuisse nomen, sed nondum vulgatum); verum obstat *vocaberis;* i. e. hoc nomen postea ei imponetur (cf. Marc. 3,16). Ceterum haec non eodem die, sed postero die acta esse, iam *Salm.* monet; neque obstat v. 43 *in crastinum*, id quod aeque facile (non post v. 35) intelligitur referri ad ea quae post v. 41-42 narrata sunt (*Schz.*).

In primis discipulis adumbratur modus varius et multiplex vocandi homines quo Deus uti solet. Accesserunt ad Iesum moniti verbis baptistae; alios discipuli adducunt; alios Iesus immediate ipse vocat. Primos voluit accipere a baptista; Simonem per industriam et zelum discipuli; iam ipse per se vocat; v. 43 *in crastinum* i. e. postridie; dictum est autem respectu eius quod proxime narratum est; ergo postridie eius diei quo Andreas fratrem adduxerat (*Tol. Ians. Patr. Schz.*) *voluit exire in Galilaeam et invenit Philippum,* « non eo modo quo nos invenisse dicimur, cum quidlibet videmus quod antea non videntes quaerebamus; sed quomodo dicit pastor bonus : inveni ovem meam » (*Rup.*), invenit ex intentione quaesitum (*Alb.*); *et dicit ei Iesus : sequere me* « iam gratia sua nescientem praevenerat et antequam vocem ad aures dirigeret, manum suam ad trahendum illum in cor eius miserat » (*Rup.*). Eum voci vocantis obsecutum esse, evangelista ex eventu intelligendum reliquit (v. 45). Merito notant efficaciam vocis Iesu et potentiam; simul enim cum voce in eius animum virtutem infundit qua incensus continuo fuerit ad sequendum statim maiestate Iesu captus (cf. *Theoph. Tol. Mald. Ians.*); v. 44 *erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreae et Petri;* non desunt qui putent addi patriam, ut insinuetur Philippum ab Andrea et Simone fuisse dispositum ad sequendum

Iesum et Philippum motum esse ad sequendum, quia concives suos viderit sequentes, a quibus iam antea de Iesu audierit (*Bon. Cai. Ians. Corl. Schz.*); ita scil. facile explicari, cur tam prompte secutus sit. Sed haud immerito contra id *Mald.* monet : « humanum hoc est et malim credere tantum apostolum solo incitatum spiritu, nullo humano respectu secutum Christum ». Aliis placet notare, commendari gratiam divinam, quod de civitate illa adeo ingrata et peccatrice quam fore Iesus praesciverat (cf. Matth. 11,21) tres illos vocaverit (*Rup.* sim. *Chr.*). Sed sufficiet dicere cum *Mald.* : simplex mihi et satis idonea videtur causa, ut historice Ioannes fecerit; pertinet enim ad diligentiam, ornamentum et fidem historiae, ut insignium personarum patria ceteraeque circumstantiae describantur (sim. *Corl. Schz.*). Ex ipsis nominibus graecis Andreae, Philippi, satis colligitur in Galilaea et praesertim in regione illa ad lacum Tiberiadis etiam multos genere graecos incoluisse. De Bethsaida vide ad Matth. 11,21.

« Consequenter ponitur fructus discipuli ad Christum conversi » (*Thom. Alb.*) v. 45 *invenit Philippus Nathanael* נְתַנְאֵל (nomen saepe obvium; cf. Num. 1,8 seq. 1 Par. 2,14; 15,24 etc. Deus dedit[1], Theodorus) *et dicit ei : quem scripsit Moyses in lege et prophetae, invenimus Iesum filium Ioseph a Nazareth;* « admodum cito fructum affert discipulus, ut vel hinc eiusdem animi ac studii cum prioribus esse videretur; invenit Nathanael, non certe casu oblatum, sed multo studio quaesitum » (*Cyr.*). Nathanael esse eundem qui filius Tolmai, Bartholomaeus, alias vocatur, tum ex ordine colligitur quo ille cum Philippo in albo apostolorum recensetur, tum ex Ioan. 21,2, tum quia discipuli alii qui hic nominantur, revera postea inter apostolos recensentur et evangelista hoc loco etiam synopticos supplens ostendere vult, qua ratione Iesus prima semina discipulatus iecerit; porro cum Nathanael a Iesu commendetur a sinceritate, a fide, et ei promittatur se visurum maiora, nullatenus supponi potest eum a familiaritate Christi esse exclusum. Quare merito censetur esse Bartholomaeus (cf. *Rup. Ians. Patr. Corl. Schg. Schz. Weiss* etc.; vide quae dixi ad Matth. 10,3). Ex iis quae Philippus de Moyse et prophetis dicit veteres quandoque concluserunt ipsum vel saltem Nathanael fuisse doctos et litterarum sacrarum peritos; immo *Aug.* ideo quia Nathanael fuerit doctus, non esse a Domino inter discipulos positum existimat. At quae Philippus dicit, sane quivis Iudaeus scivit et dicere potuit, scil. Messiam in lege et prophetis promitti; in lege agitur de Messia futuro Gen. 3,15; 12,3; 18,18; 22,18; 49,10. Num. 24,17. Deut. 18,15. Atque Messiam

1. *Barh.* explicat filium gratiae.

illum promissum reperiri ait in Iesu, quem filium Ioseph vocat ignorans mysterium Incarnationis et a loco, ubi enutritus erat designat. Evangelista rem refert fide rei gestae accurate servata. Ridiculi sunt aliqui (*Strauss, Volkmar*) qui evangelistam hac narratione evertere dicunt ac destruere ea quae Matthaeus et Lucas de conceptu et nativitate Iesu tradunt. Nonne eo tempore quo hoc evangelium scriptum est, aliorum libri iam ubique sparsi ac noti erant? Iesus vero non statim ab initio singula explicavit mysteria; quomodo potuissent portare? cf. 16,12.

Nathanael, a Cana Galilaeae (21,2), Nazareth minoris oppidi ignobilitatem et malam incolarum apud alios famam et existimationem obiicit v. 46 *et dixit ei Nathanael : a Nazareth potest aliquid boni esse?* atque eos eiusmodi apud vicinos famam non immerito tulisse, vide Matth. 13,57. 58. Marc. 6,6. Luc. 4,29, ubi Nazarethani apparent duri, increduli, ingrati (*Corl.*); oppidum erat ignobile, barbarum (*Mald.*), in libris vet. test. nunquam nominatum. Nathanael libere et aperte proloquitur sine ulla dissimulatione vel mitigatione quod sentit; animum pandit sincerum. Philippus non disputat sed *dicit ei Philippus : veni et vide!* Philippus admodum prudens erat (*Chr.*); arripit enim ex eius dubitatione occasionem, ut ei dicat : veni et utrum vere dixerim necne, ipse experire (*Mald.*); ei enim persuasum est, si spectaverit et audierit Iesum, fore ut plane acquiescat. « Cum enim mihi antiquam obiicias opinionem, ego tibi res ipsas ostendere instituo » (*Theod M.*). Et Nathanael animum minime obstinatum nec suae opinioni nimis inhaerentem gerens sequitur tanta annuntiatione et novitate rei allectus. Philippus non arguit cum ipso sed ducit eum ad Iesum; bonum exemplum iis sequendum qui cum bonae fidei incredulis agunt (*Corl.*).

Unde hoc proverbium ortum sit nescimus, neque aliud ex antiquitate exstat testimonium eam de Nazareth famam fuisse pervulgatam. Neque hoc mirum videri potest; agitur de oppido satis ignoto. Quare plane arbitrarium est negare id quod in textu asseritur (scil. Nathanael id dixisse) et e contra asserere, haberi ibi anachronismum; scil. ob eventum illum Matth. 13,53 et Marc. 6,1 et Luc. 4,16 oppidum Nazareth apud Christianos, apud Iudaeos ipsum Iesum propter vitam ibi tamdiu actam fuisse despectum et evangelistam id in vitam Iesu transtulisse quod postea in coetu Christianorum dictum fuerit et existimatum. — Si omnia illa quae non saltem duobus testimoniis confirmari possent, carerent fide historiae, quot res essent negandae? Verum nemo in scriptorem profanum adeo inique agit, uti aliqui in scriptores sacros. — Neque ullo modo sequitur, quod cum Scholten etiam *Holtzmann* vult (Handcom. p. 55) hac prima invitatione discipulorum evangelistam abolere et excludere id quod Matth. 4,22

et Marc. 1,20 narretur; e contra hac invitatione et prima hac cum Iesu consuetudine declaratur quomodo tandem una Iesu voce audita omnia reliquerint et eum secuti fuerint. — Monent quoque ob 2,1 illam Iesu in deserto commorationem apud Ioannem non posse locum habere! At res est valde plana : statim post baptismum, qui 1,33 iam supponitur, Iesus abit in desertum; evangelista autem suam orditur narrationem a tempore reditus Iesu ex deserto.

Quod Philippus incepit, Iesus perficit et Nathanael per praenuntiationem occultorum ad fidem trahit; tria occulta ei insinuat : praesentia quae sunt in corde, praeterita facta et futura coelestia (*Thom.*); v. 47 *vidit Iesus Nathanael venientem ad se et dicit de eo : ecce vere Israelita, in quo dolus non est;* vere i. e. qui moribus et vita id exprimit quod nomine Israelitae indicatur, qui scil. verus est imitator Iacob, cui cognomen Israel, qui est homo antiquae probitatis et simplicitatis, qualis fuit Israel (*Mald.*); et cur eum vere Israelitam vocet, subiuncta verba satis produnt, quia in eo nullus erat dolus, id est, simplex erat et rectus, simplicique ac sincero animo Deum colens (*Ians.*); v. 48 *dicit ei Nathanael: unde me nosti?* admirationis interrogatione est usus, in qua non negatur veritas et dum tacite approbatur, non laeditur humilitas; simul Christi cognoscendi non deseritur via, dum interrogatione responsum postulat per quod veritatem assequendi aperitur via (*Tol.*). Iesus duo occulta ei manifestat; *respondit ei Iesus et dixit : priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te;* cum in v. 50 dicatur : vidi te sub ficu, etiam hic ὄντα etc. referri debet ad εἶδον; uti etiam versione Vulg. indicari videtur. Ait itaque : priusquam ad te veniret Philippus, ego licet corpore absens vidi te sub ficu (*Cyr.*), et ita videtur iungendum esse, ut priusquam ei occurrisset Philippus, sub ficu fuisse dicatur (*Euth. Tol. Cai. Ians. Mald.*) non, ut Philippus eum sub ficu sedentem vocarit (*Chr. Theoph. Thom. Schz.*). Dicit quidem *Mald.* : « quaerere quid Nathanael sub ficu egerit, nescio an satis moderati sit ingenii » et *Salm.* quoque ait non opus esse fingere quod aliqui meditantur, Nathanael sub ficu de se aliquam magnam habuisse victoriam vel aliquod magnum Dei donum impetravisse; at certum est, ibi sub ficu aliquid notabile eum egisse (*Tol.*) vel cum illa commoratione aliquid singulare esse coniunctum, quia illa mentione statim ad agnoscendam superiorem virtutem in Christo est commotus. Modus quippe loquendi est, quando alicui quid in occulto loco egerit significare volumus, locum tantum notamus per eum simul quid factum sit insinuantes; ita in praesenti factum est. Respondet itaque Dominus : si vis scire, unde te noverim, scito te a me visum sub ficu, et a me visum Philippum cum vocaret te (*Tol.*).

Stupefactus ea Iesu scientia quae hominum vires longissime superat v. 49 *respondit ei Nathanael et ait : rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel!* hac responsione et promptitudine fidei probat se esse vere Israelitam, qui animo simplici gratiam oblatam amplectatur; plane itaque profitetur omnino ita esse ut Philippus dixerat, scil. esse Iesum Messiam, scil. eum quem Moyses et prophetae annuntiarunt. Messiam autem designat eo modo quo in s. litteris appellatur : Filius Dei, rex Israel. Cum enim et populus ipse et praeprimis rex theocraticus appellaretur filius Dei (cf. Ex. 4,22. Is. 1,2. Ier. 3,19; 31,20. 2 Reg. 7, 14), rex Messias singulari prorsus et excellentissimo modo censeri et nominari debuit Filius Dei, sicut sublimiore ratione fore existimabatur rex Israel. Certum quidem mihi est divinam Messiae naturam declarari Is. 9,6; verum eam a Iudaeis esse intellectam non puto. Quare eam hoc loco a Nathanael enuntiari, mihi persuadere non possum, praesertim cum constet discipulos diu eam non agnovisse et soli Petro Matth. 16,16 eam cognitionem divinitus esse revelatam asseratur. Praeterea sola illa revelatio secretorum nondum sufficit; nam, ut *Lap.* advertit, revelare cordium secreta possunt et prophetae ex instinctu Dei, uti Eliseus revelavit Giezi secreta cordis et quae absens fecerat, et revelavit secretas insidias regis Syriae (4 Reg. 5,26; 6,12).

Atque sat multi explicant h. l. Filium Dei non de naturali Filio, sed de Messia qui prae aliis filiis eximio quodam modo ita appelletur, nondum vero ut Deus nominetur. Ita *Chr. Theod M. Theoph. Euth. Tol. Cai. Bar. Ians. Lap. Menochius, Tirinus, Corl. Schz.* Et *Chr.* quidem ita arguit : « cur Petrus post tanta miracula, post tantam susceptam doctrinam sic confessus : tu es Filius Dei, beatus praedicatur, utpote cui Pater hoc revelaverit; Nathanael vero qui ante signa, ante doctrinam, idem ipsum est locutus, nil tale audivit, sed quasi nihil tantum dixisset, quantum opus erat, ad maiora mittitur? quid igitur in causa est? quia eadem quidem verba locuti sunt Petrus et Nathanael, nec tamen eodem uterque sensu. Sed Petrus quidem confessus est eum Filium Dei ut verum Deum, Nathanael vero simplicem hominem. Id ex sequentibus quoque palam est. Petro namque nihil ultra adiecit Christus, sed quasi fides eius perfecta esset, Ecclesiam dicit se super confessionem eius aedificaturum esse. Hic vero contrarium observes; quasi enim confessio illa potiore sui parte deficeret, reliqua subdidit ». Quam sententiam et argumentandi rationem etiam afferunt *Alb. Thom.* postquam verba de Filio Dei naturali explicarunt. Et *Theod M.* ait fieri non potuisse ut Nathanael statim hoc sciret quod post longum tempus ipsos apostolos tandem cognovisse videmus, et quae ad ipsum a Domino dicta sint ad demonstrandam naturam divinam non potuisse sufficere. Id quod omnino verum est. *Barh.* quoque notat eum non eodem modo quo Petrus Filium Dei confiteri. Et *Tol.* scribit : magis mihi proba-

tur, Nathanaelem filium Dei vocasse Christum eo modo quo Iudaei communiter futurum Dei filium Messiam credebant. Illi enim quibus Trinitatis mysterium adhuc non erat revelatum filium Dei credebant futurum eminenti quadam filiatione supra omnem adoptionem angelorum et hominum, non autem distincte intelligebant filium esse naturalem et consubstantialem. Et simili modo loquitur *Ians.* et alii. Atque *Salm.* quamvis ab initio explicet de filio naturali, unigenito, tamen mox scribit : maius his videbis, nempe ut agnoscas me Filium Dei naturalem, per omnia Deo aequalem Patri. Et apposite monet *Corl.* hoc mysterium de Verbo incarnato ab ipso Christo plene revelari debuisse.

Alii tamen id iam a Nathanaele esse enuntiatum et Iesum ab eo ut Deum esse agnitum existimant. Ita *Cyr. Rup. Thom. Alb. Bon. Mald. Fil.* At si aliqui ex eo arguunt, quia Iesus ei dixit : credis, vehementer falluntur; nam cum Iesum credat Messiam, vere credit et id quod verum erat et credi debuit, credit; ergo de ea fide quam alii diu non amplexi sunt, potuit laudari etsi ista fides nondum plenam perfectionem habuit.

Laudat Iesus fidei promptitudinem, quam utique adeo raro in Israel erat inventurus, et augmentum fideique perfectionem promittit v. 50 *respondit Iesus et dixit ei : quia dixi tibi : vidi te sub ficu, credis : maius his videbis,* « inferendum reliquit : ergo maiora de me tunc confiteberis; quibus verbis tacite insinuat eius confessionem laudandam quidem, sed imperfectam esse » (*Tol.*); μείζω *maiora* his videbis. Et quaenam haec sint subditur v. 51 *et dicit ei*, hoc inserit evangelista ad sermonis pondus et momentum patefaciendum, *amen, amen dico vobis,* oratione iam ad alios quoque directa; affirmationis formula in hoc solo evangelio et frequenter quidem usurpata (immo 25 vicibus, *Schz.*), dum synoptici in simili formula unum *amen* adhibent (*Cai. Patr. Corl.*), *videbitis coelum apertum et angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis;* alludi ad Gen. 28,12 satis in aperto est positum, idque *Aug. Bed. Rup. Thom.* etc. monent. Obscurius autem et vario modo tentatum est quo tendat oratio. Cum Iesus vellet exire in Galilaeam profectus a Iordane (v. 45), probabile est quod aliquibus videtur, haec dicta esse prope Bethel, ubi scil. Iacob patriarcha illam habuit visionem de angelis ascendentibus et descendentibus. Verbis exprimitur et depingitur commercium quod per angelos instituitur inter terram et coelum; ascendunt in coelum apertum, descendunt in terram. Qua imagine exprimi videtur eos quasi internuntios quibus homines indigeant in coelo eloqui et e coelo auxilia opemque in terram conferre. Quod autem ἐπὶ τὸν υἱὸν τ. α. istud commercium instituunt, ad eum descendentes et proin ab eo quoque ascendentes, depingi videtur, istius commercii inter coelum *apertum* et

terram auctorem et dominum, omniumque bonorum eius effectorem ac largitorem esse Filium hominis i. e. Messiam. Iacob vidit Dominum stantem super scalam, qui ei promissiones confirmat et specialem promittit protectionem. Pro Domino stante super scalam habemus hic : videbitis coelum *apertum*, sensu eodem; proin protectionem coelestem, gratias, thesauros coelestes ita paratos et apertos, ut per angelos deferantur in terram. Unde *videbitis* idem erit ac re ipsa experiemini, cognoscetis, oculis mentis videbitis, per Messiam fieri ut bona coelestia terrigenis obveniant; in quo commercio utique partes haud exiguae angelis deputantur; videte ne contemnatis unum ex his pusillis; dico enim vobis, quia angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris mei qui in coelis est (Matth. 18,10) et : nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis (Hebr. 1,14)? Maiora itaque quae Iesus iis promittit cognoscenda seu videnda, est ipsum opus messianum: reconciliatio inter coelum et terram, bonorum coelestium in homines effusio (cf. Eph. 1,3; 3,10. Col. 1,20). Se vocat Iesus filium hominis, quae est designatio Messiae deprompta ex Dan. 7,13. 14 (vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 324, Marc. p. 72; et vide postea ad 5,27). « Christus hic finem dicendi facit sinens illum dicta secum reputare nec volens omnia statim effundere, sed iacto in bonam terram semine sinit eam fructus per otium proferre » (*Chr. Euth.*).

Cum quidam indolem historicam huius evangelii negent vel in dubium vocent, non erit abs re monere ut attendatur, quanta rei gestae veritate singula sub aspectum subiiciantur, quam accurate verba referantur et quanta simplicitate cuncta ita narrentur, ut rem coram geri fere videas. Porro ad quid haec fingerentur? Si quis voluisset gloriam Verbi extollere, sane non narrasset primos discipulos Iesum accepisse per alios ita ut ex quinque ipse solum unum immediate vocarit.

Illud de angelis varie explicatur. Aliqui contenti sunt recensere apparitiones angelorum in resurrectione, in ascensione, vel etiam in agonia Christi (cf. *Chr. Theoph. Euth. Barh. Alb. Thom. Bon. Salm.*); sed non explicant quomodo coelum visum sit apertum; dein in resurrectione non legitur discipulis angelos se videndos exhibuisse. Unde *Cai. Ians.* recurrunt ad id quod non omnia scripta sint; vidisse igitur eos saepius eiusmodi apparitiones, quae tamen in evangeliis non referantur. Promissionem eam in ultimo iudicio tandem esse implendam *Mald.* opinatur. Praestari in universum obsequium mandatis Christi ab angelis, exponunt *Cyr. Tol. Schg.*; indicari concordiam fore angelorum et hominum *Rup.* censet. Alii demum ad allegoricam explanationem confugiunt; ita *Aug.* angelos esse praedicato-

res, ascendentes dum sublimia proponant, descendentes, dum ad captum simpliciorum simplicia loquantur (sim. *Beda*). Alii in cunctis miraculis a Christo patratis verba illa exprimi arbitrantur; dici scil. angelos figurate virtutes coelestes et saepe revera (alias saltem) miracula patrari ab angelis (Matth. 28,2. Ioan. 5,4. Act. 12,7) vel prodigia angelis attribui (*Beelen*, *Maier*). Declarari reconciliationem cum Deo et commercium inter Deum et Messiam et homines per gratiam Spiritus sancti; angelos exhiberi Dei nuntios ad mandata eius perferenda, ad salutem promovendam (*Schz.* sim *Fil.*).

c) Primum Iesu signum 2,1-11.

2,1. Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae : et erat mater Iesu ibi. 2. Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum : Vinum non habent. 4. Et dicit ei Iesus : Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater eius ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. 7. Dicit eis Iesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Iesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam et non sciebat unde esset; ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, 10. Et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit, et, quum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae; et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.

2,1. Καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ γάμος ἐγένετο ἐν Κανὰ τῆς Γαλιλαίας· καὶ ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ. 2. ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον. 3. καὶ ὑστερήσαντος οἴνου, λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτὸν, Οἶνον οὐκ ἔχουσιν. 4. καὶ λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. 5. λέγει ἡ μήτηρ αὐτοῦ τοῖς διακόνοις, Ὅ τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, ποιήσατε.

6. Ἦσαν δὲ ἐκεῖ λίθιναι ὑδρίαι ἓξ κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων κείμεναι, χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς. 7. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Γεμίσατε τὰς ὑδρίας ὕδατος. καὶ ἐγέμισαν αὐτὰς ἕως ἄνω. 8. καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἀντλήσατε νῦν, καὶ φέρετε τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. οἱ δὲ ἤνεγκαν. 9. ὡς δὲ ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τὸ ὕδωρ οἶνον γεγενημένον, καὶ οὐκ ᾔδει πόθεν ἐστίν· οἱ δὲ διάκονοι ᾔδεισαν οἱ ἠντληκότες τὸ ὕδωρ· φωνεῖ τὸν νυμφίον ὁ ἀρχιτρίκλινος, 10. καὶ λέγει αὐτῷ, Πᾶς ἄνθρωπος πρῶτον τὸν καλὸν οἶνον τίθησιν καὶ ὅταν μεθυσθῶσιν, τὸν ἐλάσσω· σὺ τετήρηκας τὸν καλὸν οἶνον ἕως ἄρτι.

11. Ταύτην ἐποίησεν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς ἐν Κανὰ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐφανέρωσεν τὴν δόξαν αὐτοῦ· καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ.

In v. 1 codd. longe pler *tertio*. In v. 3 vett pl. habent : et vinum non habebant quoniam consummatum (finitum b r) erat vinum nuptiarum et dicit mater Iesu; ita quoque Ti secundum א*. In v. 4 tibi et mihi am dun fuld hub med st lind. In v. 9 add a b r et videntes factum mirabantur.

Quod evangelista 1,14 asseruerat : vidimus gloriam eius, iam declarare incipit. Cur enim hanc afferat narrationem, clare exponit in v.

11; habetur scil. in eo eventu manifestatio gloriae Iesu et ex ea fides discipulorum i. e. incrementum eius fidei quam iam conceperant; valide confirmantur in cognitione quam Nathanael, Philippus, Andreas iam enuntiarant; v. 1 *et die tertia,* a die illa qua voluit exire in Galilaeam (1,43; *Bar. Schz.*) vel a colloquio cum Nathanael (*Cai. Ians. Schg.*); cum enim de adventu in Galilaeam vel in Cana vel in Nazareth facto nihil dicatur, etiam a tali adventu computatio nequit intelligi; *nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae,* ut distinguatur a Cana in tribu Aser (Ios. 19,28); videtur intelligendum esse hodiernum Kefr Kana (Kenna), distans a Nazareth itinere horae unius et semis (6 kilom.) in via quae a Sepphori Tiberiadem ducit (cf. *Schz.*; alii, uti *Riess* 10 kilom. distare a Nazareth referunt); alii, uti Robinson, Ritter, Sepp etc. Kana el Dschelil assignant; *et erat mater Iesu ibi;* colligunt aliqui matrem Iesu habitasse in Cana idque confirmari v. 3. 5. 12; verum quam debili, vel potius nullo fundamento id asseratur legenti patet; nam defectum vini advertere, cum ministris loqui, nuptiis transactis descendere Capharnaum, profecto non supponunt domicilium stabile in Cana. Potius dici potest cum *Chr. Tol. Mald.* referri eam vocatam seu invitatam esse, quia dicitur v. 2 vocatus est *etiam* Iesus : quemadmodum illam, ita et Iesum vocaverant (*Chr.*); idque augendi particula *etiam* insinuatur. Mirum est quaeri ab aliquibus, quis fuerit sponsus, quae sponsa; fuisse illum vel illam cognatione vel propinquitate cum beata Virgine coniunctum, potest fortasse ex invitatione coniici. Cum in v. 12 etiam mentio fiat fratrum Iesu, eos quoque nuptiis interfuisse merito dixeris. Patrem Iesu nutritium, quia nullibi eius fiat mentio, iam obiisse colligunt (ita *Epiph.* haer. 78,10; *M.* 42,713; *Tol. Mald. Bar. Ians. Calm. Corl. Schz.*).

Id de matre praemitti etiam ideo censet *Thom.* « ut ostendatur quod Iesus adhuc ignotus erat et non vocatus ad nuptias sicut insignis persona, sed ex quadam familiaritate tamquam notus et unus aliorum; sicut enim vocaverunt matrem, ita et filium » v. 2 *vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias*, scil. qui eo tempore in Cana advenit; cum mater festo interesset, sane omnino conveniens videbatur sponso filium quoque invitare et cum Iesu comites eius non poterant negligi. Iesum propter matrem iam invitatam fuisse vocatum monent *Bon. Cai. Mald. Ians. Calm.* idque haud immerito ex modo narrationis colligunt. Videntur igitur haec fieri fortuito; at cuncta suavi providentia et modo simplicissimo ad sublimissimum diriguntur consilium. Eo quod Iesus accipit invitationem, commendant veteres eius humilitatem, benignitatem; efferunt honorari ac sanctificari nuptias; « conveniebat enim ut qui naturam ipsam hominis renovaturus ac totam in meliorem sta-

tum revocaturus venerat, non solum iis qui iam in ortum vocati erant benedictionem impertiret, sed et iis quoque qui postea nascituri essent gratiam praestrueret et eorum ortum sanctum efficeret » (*Cyr.*); voluit confirmare, honorare, sanctificare nuptias; futuri quippe erant qui prohiberent nubere (1 Tim. 4,3; *Aug.* sim. *Euth. Thom. Tol. Ians.*). Et hac ipsa acceptione etiam ostendit se non sequi austeram illam vivendi rationem baptistae nec ad eam adigere discipulos (cf. Matth. 9,14; 11,19 venit Filius hominis manducans et bibens). Etiam hic ingenia quorundam mirari licet qui affirmant Iesum profectum a Iudaea in Nazareth ibi invenisse invitationem sibi factam; vel eum audisse antea a Nathanael, matrem esse in Cana ideoque se sine invitatione eodem contulisse, vel cur in Cana tetenderit, solum explicari, quia cognati eius ibi habitarent. Verum nisi quis Iesum pessima opinione putarit tantummodo hominem esse, fatebitur eum tali rerum futurarum scientia esse praeditum qualem evangelista ei adscribit (1,47-50; 2,25; 13,1). Quare sciens quid futurum sit se confert in Cana et quod in v. 11 dicitur, id revera effici voluit.

Probabile est quod et veteres (v. g. *Rup. Mald. Calm.*) et recentiores quandoque advertunt novos illos convivas minime exspectatos qui cum Iesu advenerant vini defectum attulisse. Adde paupertatem invitantium (*Tol.*). Quare a matre misericordiae fit interpellatio ad filium (*Alb.*) v. 3 *et deficiente vino dicit mater Iesu ad eum: vinum non habent;* cernitur matris misericordia, eo quoque modo perfecta, quia a nullo rogata sponte ad succurrendum se exhibet efficacem, petitiones praeveniens; misericordia enim tanto est liberalior quanto minus rogari exspectat (*Tol.*). Porro ostenditur ipsius eximia de Iesu opinio et fides. Iesus nondum operatus est miraculum; scit eum posse et exspectat eum miraculo opem laturum. Cur merito hoc *nunc* exspectare potuerit, ratio est, quia Iesus « nunc coepit in publicum prodire; antea tamquam unus e vulgo vitam agebat; quapropter non audebat tale quidpiam ipsi dicere. Ubi autem audivit Ioannem propter ipsum venisse ac de illo tale testimonium perhibuisse, ipsum habere discipulos, tunc demum cum fiducia rogat » (*Chr.*). Ex eo quod Iesus discipulos sibi coniungebat, merito conclusit advenisse tempus, quo sese manifestaret. Quare audet tanta modestia et reverentia Iesu defectum vini insinuare, ut eum ad sublevandam inopiam amicorum provocaret (cf. *Theoph. Euth. Theod. M. Ians. Calm. Schz.*); neque dubitat quin pro sua bonitate et potentia possit ac velit succurrere, sed tempus et modum in illius voluntate et providentia relinquit (*Ians.*).

Ut quae sequuntur, suam habeant explicationem toti eventui et praescientiae Christi consonam, notari oportet Christum revera in nuptiis

istis gloriam suam manifestasse; ergo antea scivit se hoc facturum; ergo non fortuito, sed hoc ipso consilio concepto adiit nuptias; vel ideo abiit in Cana, ut invitaretur et invitatus manifestatione sua fidem discipulorum augeret et confirmaret. Haec certa sunt neque ab ullo negari poterunt, qui de Christo Deo et homine recte sentit; vide ea quae a theologis communi sententia de scientia animae Christi docentur. Sufficit quoque, ut antea iam adverti, ea considerare quae in hoc ipso evangelio de Christi scientia proponuntur 1,47 seq. 2,25; 4,16 seq. 6,71; 11,4 etc.; nam ex iis iam debet colligi Christum scivisse quid futurum esset in nuptiis et ideo venisse ut faceret quod revera fecit. Porro oportet considerare b. Virginem statim intellexisse Christum defectui vini prospecturum esse modo ad admirationem facto. Id elucet ex v. 5. Haec igitur ob oculos habenda sunt, ut responsio Christi rite concipiatur v. 4 *et dicit ei Iesus : quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea?* i. e. quid est mihi tecum, scil. ut agendorum me commoneas? non est opus; nam : nondumne venit hora mea? hoc membrum legendum est per interrogationem, quare aequivalet sententiae : hora mea, qua me manifestare mihi in animo est, iam advenit. Ita per interrogationem verba accipiuntur apud Tatianum, uti patet ex texto *arabico* quem edidit Ciasca (Romae 1888, quamvis in versione latina interrogationis signum arabicum i. e. א non expressit quod habetur ante *nondum*); per interrogationem legit quoque *Gregorius* nyssenus (*M.* 44,1308) et verba graeca, uti iacent, posse ita legi manifestum est.

Nam valde frequenter interrogatio in libris novi test. nulla designatur particula; quae est indoles colloquii familiaris, ubi interrogatio ipsa vocis inflexione declaratur; exempla habes ex textu graeco v. g. Matth. 6,25; 8,29; 17,24; 24,2. Marc. 7,18; 13, 2. Luc. 13, 2. Ioan. 6,14; 7,23; 13,6; 16,31; 19,10. Act. 19,37. Rom. 2,21. 1 Cor. 5,2 etc. etc. Et esse illam omissionem revera frequentissimam vide *Viteau,* Étude sur le Grec du N. T. p. 23, qui p. 26 de nostro loco quoque asserit : on peut mettre le signe de l'interrogation après οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου (pour ce passage, voy. Berger de Xivrey, Étude sur le texte et le style du N. T. Paris. 1856); vide quoque de omissione adeo frequenti *Winer* § 57; *Blass,* Gram. des neutest. Griechisch § 77,2.

Dictio : quid mihi et tibi, valde frequens est non solum apud Hebraeos (cf. 2 Reg. 16,10; 3 Reg. 17,18. 4 Reg. 3,13; 9,18. 2 Par. 35,21 etc.) sed etiam apud Graecos et apud Latinos : quid mihi tecum; vide quae de usu graeco et latino collegit *Rottmanner,* Theol. Quartalschrift, Tübingen 1892 p. 215. Ea vero dictione neutiquam semper reprehensionem vel repulsam exprimi, statim deprehenditur, quia v. g. ipse daemon, dum Iesum obsecrat ne torqueatur, petitionem suam ita orditur : quid mihi et tibi est, Iesu Fili

Dei Altissimi, obsecro te ne me torqueas (Luc. 8,28; cf. Matth. 8,29). Proinde planum est eiusmodi locutiones adeo frequentes et in diversis conditionibus adhibitas etiam varium prae se ferre sensum, qui ipsa voce, gestu, vultu determinetur. Hoc nostro loco *Reuss* commode sensum exprimit : laissez-moi faire, ma mère! et *Wünsche* scribit : responsione מה לי ולך nihil aliud dici nisi : esto secura de me, vel : id meae relinque curae (sei um mich unbekümmert, oder : das lass meine Sorge sein). Patet ad hanc acceptionem unice quadrare interrogationem : meane hora etc. quam *Hill* in versione Tatiani bene expressit : hath not my hour come? (Edinburgh 1894 p. 60). Haud absimili modo *Nat.* : haec res nihil ad te; mea est non tua; et *Patr.* ait significari non oportere eam ipsi de ea re negotium exhibere. Communiter verba illa ita accipiuntur, ut Christus significet, in negotio edendi miracula sibi nihil rei esse cum matre : « habebat Christus opera quaedam communia, ut alii homines; habebat et propria, ut redemptor erat, nempe praedicare, miracula edere, discipulos congregare; in his divinae tantum subdebatur voluntati nec obsequium ullum aut respectum admisit humanum, nisi quod a Patre praescriptum et mandatum habuit, quod matri significavit dicens : in his quae Patris mei sunt oportet me esse; unde hoc loco : nihil in hoc mihi tecum; opus quod petis non ex humano pendet obsequio, non iure filiationis humanae exhibendum est » (*Tol.*), id quod *Aug.* ita declarat : quia non erat illa mater divinitatis et per divinitatem futurum erat miraculum, quod petebat, respondit : quid mihi et tibi est? sim. *Bed. Rup. Thom. Bon. Alb.*; quare ea verba etiam vocant instructoria, non quidem pro b. Virgine, sed pro aliis, in opere scil. messiano cognationem naturalem nullo modo valere posse. Porro significari *Rup.* indicat cessare illam societatem ac consuetudinem quam Iesus cum matre in vita privata habuit : « tempus imminet ut magis ac magis te relicta non desinam circuire per civitates et castella ». Eo modo etiam aliqui recentiores verba accipiunt et ideo loquuntur de sacrificio, quod b. Virgo audiens haec verba faciat sese subiiciens voluntati divinae, qua iubeatur renuntiare filio suo (cf. *J. Grimm*, Einheit der Evangelien p. 626; Leben Jesu II, 250; *Al. Schaefer*, Linzer Quartalschrift 1886 p. 59 seq., et : Die Gottesmutter in der h. Schrift 1887 p. 209 seq.).

Quandoque illud quid mihi et tibi? explicatum est, uti iam legitur in quaest. et resp. 136 (*M.* 6,1389) : nequaquam nos sumus qui vini curam suscepimus; proinde, uti *Euth.* quoque habet : τί ἡμῖν ἀναγκαῖον περὶ οὗ παρακαλεῖς; quid ad nos attinet? vel, ut *Cai.* exponit : quid mea et tua interest defectus vini? vel quid hoc mihi et tibi est? quid ad te vel ad me? non est meae neque tuae curae providere; quid ad nos pertinet? « quam interpretationem apud recentiores multos invenio; commoda quidem et pia interpretatio, si loquendi consuetudo pateretur » (*Mald.*); sed quae ipso quoque contextu bene considerato excluditur. Cum enim Christus ideo ad nuptias veniret, ut occasione defectus vini miraculo patrato fidem suorum confirmaret, evidens est non potuisse eum tale quid eloqui, quasi defectus vini ad se non spectaret. Optime vero dicere potuit et debuit, quod revera

dixit : in eo negotio tua intercessione non indigeo; mea res agitur; laissez-moi faire!

Quia non satis consideratum est, Christum praescientem et volentem miracula facere nuptias adiisse, sententia : *nondum venit hora mea*, lecta est cum affirmatione. Unde necessario orta est opinio : Christum voluisse dicere : nondum esse tempus illud a Patre sibi praefixum, quo se Messiam palam ostendere possit ac debeat; nondum esse tempus miraculorum; tempus manifestationis messianae esse statutum pro templo in Ierusalem (uti *Bar.* et *J. Grimm* praecipue exponunt) ; Christum itaque citius incepisse patrare miracula inductum petitione matris et ita matri honorem et reverentiam exhibuisse (cf. *Chr. Euth. Cyr. Tol.*), vel matrem eo quod repulsam illam humiliter suscepisset et sacrificium a se postulatum animo maxime generoso obtulisset, exauditione esse donatam et horam manifestationis messianae accelerasse (*J. Grimm, Al. Schaefer*). In qua opinione tamen varia affirmantur, quae consistere nequeunt. Nam tempus manifestationis messianae iam certissime habetur in baptismo Christi; tempus illud iam advenisse testimonio baptistae 1,15. 26. 29. 36 clare demonstratur; Christus illud inauguravit discipulos sibi aggregando, efficiendo, ut Messias praedicaretur (1,41. 45. 49) et se nominando filium hominis et promittendo : videbitis coelum apertum etc. et tali promissione facta et rebus ita transactis cum discipulis se confert in Galilaeam, quomodo fieri posset ut tempus manifestationis messianae nondum advenisset? Nescio an satis recte statui possit a Patre aliam horam esse constitutam, idque a Christo adeo firmiter cum aliqua matris repulsa (uti generatim dicunt) asseri et asseri nulla conditione adiecta et tamen mox Christum re gesta contrarium profiteri. Utique dicunt, fidei et subiectioni matris hoc praemium esse collatum, ut quamvis nondum advenisset hora miraculum fieret vel ut propter eius virtutem ipsa hora accelararetur. Et potest addi cum *Chr.* Iesum non fuisse subditum horae, idque explicari cum eo exemplo mulieris Chananaeae; nam postquam dixit : non sum missus nisi ad oves quae perierant domus Israel et : non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus (Matth. 15,24-28), tamen filiam eius liberavit. Atque ita rem esse explicandam concedo, nisi ex toto narrationis contextu facillima haberetur explicatio legendo sententiam illam cum interrogatione, quam nobis interrogationem transmiserunt Tatianus, Gregorius Nyssenus et quam recentiores etiam proponunt (cf. Études ecclésiastiques, 1896 p. 7).

Ceterum vario modo tentata est explicatio huius sententiae : nondum venit hora mea, eiusque cum miraculo sequenti conciliatio; vinum scil.

nondum plane defecisse, cum mater peteret; quare Christum dicere tempus patrandi nondum adesse, quia si iam tum fieret miraculum aut omnino non aut non adeo adverteretur. Ita *Chr. Cai. Tol. Lap. Nat. Estius, Sa, Menochius, Calm.*, aut generatim tempus patrandi ullum miraculum nondum adesse (*Ians.*); paullo aliter *Mald.* : « non respondet se non facturum, sed potius se suo tempore facturum indicat dicens : nondum venit hora mea... venerat hora, cum fecit, modico licet intervallo ». Secundum hanc et priorem sententiam, hora nondum venerat, cum peteret Maria; sed post modicum aderat. Nescio num adeo subtilis distinctio deceat dignitatem loquentis. Opinio autem *Ians.* iam 1,47. 48 refutatur, cum profecto illa Iesu cognitio a ratione miraculi quam habet pro Nathanael excludi nequeat. Celebris est *Aug.* opinio horam illam esse horam mortis : « ne putes quod te negem matrem; nondum venit hora mea; ibi enim te agnoscam, cum pendere in cruce coeperit infirmitas, cuius mater es »; quae explicatio ob auctoritatem *Aug.* multis placuit; alii horam triumphi, horam intimae Iesu cum matre societatis explicant; de qua explicatione et de aliis quoque vide *Rottmanner* l. c. Eodem loco alia proponitur exemplo illustrata hunc in modum : legato qui ad consilium habendum abiturus est mater commendat rem quae ad salutem regni spectet; respondet ille matri, se vi muneris non posse obsequi desiderio matris, quia pro se unica agendi norma esse possit id quod a suo gubernio sibi praescribatur; haec mandata sibi nondum esse tradita; posse autem mox perferri : faciam et debeo facere quae illis continentur. Ecce, simulac ita matrem docuit, mandata ei perferuntur et continent id quod mater desideravit. Nonne legatus potuit optimo iure provocare ad horam quae nondum advenisset et potuit matri nihilominus obsequi? Utique agnoscitur discrimen : legatus mandata quae antea non novit *debet* exspectare et exsequi; Christus *vult* in omnibus accurate sequi dispositiones ac vias Patris sibi notas (p. 243). Quare iterum Christus dicit *nondum... sciens* post breve tempus adesse tempus; num igitur cogitare debebimus a Patre fuisse ordinatum, ut miraculum fieret hora nona a solis ortu, neutiquam vero aliqua temporis morula ante horam nonam? Parum itaque iuvat provocare ad horam destinatam a Patre quae ipsa sit hora filii, esse certum tempus quod ex Patris praecepto observari deberet. Ergo Christus certae temporis particulae erat alligatus et locutio : nondum venit hora mea idem est ac mox potero agere. Huic acceptioni merito opponit *Nisius* (Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck 1893 p. 553) : difficile esse credere neque ullo pacto posse ostendi tempus illud pro posteriore aliquo momento in nuptiis esse constitutum, cum Christus clare asserat, in istis nuptiis nondum venisse tempus quod sibi ex Patris beneplacito providisset ad gloriam suam manifestandam; tempus illud censet *Nisius* etiam longe aberat; nihilominus patrat miraculum, ex quo patet quantum valeat petitio matris; immo ex illa repulsa : quid mihi et tibi? ipsa intercessio matris quam potens sit declaratur; nam preces matris continuatae tandem victoriam reportarunt de voluntate Christi ab initio repugnante; unde loquitur *Nisius* de certamine pleno mysteriorum inter matrem et filium (l. c. 556).

Si Christus ab initio noluit patrare miraculum, quare tandem venit ad nuptias? De precibus illis continuatis et de expugnatione voluntatis filii post longiorem oppugnationem narratio plane silet.

Si tandem quaeritur : quomodo Christus potuerit cedere precibus matris, quamvis hora a Patre constituta longe abesset? respondetur : « scil. in eius gratiam Deus aliter decreverat ac decrevisset si ipsam non intercessuram esse praevidisset; ita ut eius voluntas, ut vocant, antecedens fuerit, ut Christus nondum miracula faceret, voluntas vero consequens, ut in matris gratiam faceret » (*Patr.*, sim. *Nisius*). Ergo nondum venit hora mea idem est ac : nondum venisset hora mea, nisi tu intercessisses, sed nunc adest. Ergo falsum est, absolute dicere : nondum venit; nam ex voluntate Dei consequente de qua solum hic sermo esse potest, cum agatur liceat necne, illa hora revera aderat. Sed haec speciminis gratia attulisse sufficiat.

De eodem versu recentissime conscripsit longiorem dissertationem *J. Bourlier* in periodico Revue biblique, juillet 1897, p. 405-422; ipse vertit et explicat : il n'y a pas assez de vin; Jésus à Marie : laissez-moi faire, ma mère, le moment n'est pas encore venu; i. e. le moment n'est pas encore venu pour moi — de faire ce dont il s'agit, de pourvoir au manque de vin. Verum est quod monet, dictionem illam, quae saepe in evangelio obvia est (hora eius nondum venerat, tempus meum nondum advenit, 7,6. 8. 30; 8,20; 12,23 venit hora; 13,1 etc.) proprie significare momentum temporis aptum vel constitutum ad certam rem peragendam vel admittendam. Sed quominus huic interpretationi hoc loco acquiescam impedior ipsa narratione. Nam ὑστερήσαντος οἴνου λέγει ἡ μήτηρ v. 3 non potest significare, Mariam statim ab initio convivii propter praesentiam Iesu et discipulorum advertisse vel conclusisse non satis vini esse provisum, ideoque statim de ea re Iesum reddidisse certiorem. At si monet Iesum, ut ipsis verbis dicitur, ὑστερήσαντος οἴνου, cum vinum deficeret vel defecisset : vinum non habent (neque dicit : non satis vini habent), tum profecto inter monitionem et tempus patrandi miraculi tam parvum interiacet spatium, ut illud : le moment n'est pas encore venu, satis mirum videatur; nonne eo momento tempus miraculo aptum proxime adest? proinde potius interpretaberis : quia vinum defecit, adest hora apta : i. e. leges per interrogationem. Mariam non statim ab initio monuisse, clarissime effertur in illa forma textus quae in codice sinaitico servata est et in antiquitate satis erat propagata v. 3 καὶ οἶνον οὐκ εἶχον, ὅτι συνετελέσθη ὁ οἶνος τοῦ γάμου. εἶτα λέγει ἡ μήτηρ etc.; similiter a b ff², Gaud. serm. 8 : et vinum non habebant quoniam consummatum (b finitum) erat vinum nuptiarum. Deinde dicit etc.; e l : et factum est per multam turbam vocitorum vinum consummari; dicit autem mater; et syr p mg : et vinum non habebant quia defecit vinum nuptiarum; item aeth : vinum non habebant, quia defecerat vinum illorum; et dixit etc. (cf. *Ti. Wordsworth*). Quare dubium non est in cod. sin. valde antiquam textus formam esse servatam (cf. *Resch*, Paralleltexte IV p. 70), ex qua simul elucet clarissime quomodo antiquitus narratio sit intellecta.

Si igitur sententiam illam cum interrogatione legimus, difficultates variae evanescunt et evidenter patet, cur sequatur v. 5 *dicit mater eius ministris : quodcumque dixerit vobis facite;* immo *quia* id immediate sequitur, necessario concludi debet Christi responsione matris votum esse omnino approbatum. Uti in v. 3 elucet pietas et misericordia, ita hoc loco prudentia et circumspectio b. Virginis. Nam, ut *Rup.* notat, opportuna commonitione ministrorum animos praeparat, videlicet ne id quod praecepturus erat amentiae reputarent, nondum veram eius experti virtutem. Iubet igitur eos facere quodcumque dixerit; etiam grave, etiam si inutile iis visum fuerit, ne fortasse contemnant; « et cum per ministros vinum esset distribuendum et munus ipsorum hoc esset, ad eos Iesum se conversurum non dubitavit; uti factum est; nam ministris Christus imperavit et rem quae ridicula et non necessaria videbatur iniunxit. Cur enim, vino cum indigerent, aqua hydrias usque ad summum iubet impleri? sed non aliter virtus divina manifestanda erat » (*Tol.*); v. 6 *erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem Iudaeorum* κατὰ i. e. propter purificationem, quia scil. Iudaei manus lavabant et vasa et eiusmodi lotiones ante coenam et post eam adhibere solebant; cf. Matth. 15, 2. Marc. 7.3 seq. Luc. 11, 39; *capientes singulae metretas binas vel ternas*, ἀνά interpres rite exposuit; μετρήτης est hebr. בַּת 2 Par. 4,5, complectens sextarios ξέστας septuaginta duo i. e. secundum mensuram nostratium 38 lit. circiter. Unde sex illae hydriae capiebant 5-6 Hectolit. (cf. *Schz. Weiss*), vel 5-7 (*Holtzmann*).

Singula eo pertinent ut magnitudo miraculi cognoscatur; ita numerus vasorum et magnitudo et quod erant hydriae i. e. vasa aquaria, non vinaria, ne quis existimet aliquid in iis prius fuisse vini, quod aliquem superinfusae aquae vini saporem praebere posset; effertur tanta copia, ne si parum fecisset vini, id alicubi relictum oblivione aut aliunde subvectum videri possit (*Mald.*). Neque, ut quidam ridicule timidi vel potius in Iesum iniuriosi arbitrabantur, tanta copia suspecta et moribus periculosa erat; nam ipsa Christi praesentia convivas ab omni leviore agendi modo arcebat; dein Iesus pro sua liberalitate voluit non solum praesenti inopiae succurrere, sed etiam paupertatem sponsi sublevare; v. 7 *dicit eis Iesus : implete hydrias aqua;* ministros id facere iubet ut ipsi qui hauserunt aquam testes sint miraculi (*Chr. Tol. Mald.*) *et impleverunt eas usque ad summum;* necessarium fuit ut hoc adderetur, ut constaret non alia ex re, quam ex aqua vinum factum, quo certius miraculum esset; usque ad summum autem aqua esse impletas refertur, partim ne quis locus calumniae esset, non ex sola aqua factum vinum, sed aliquid super aquam vini infusum fuisse; id

quod utique fieri non potuit plenis usque ad summum hydriis (*Mald.*); v. 8 *et dicit eis Iesus : haurite nunc et ferte architriclino; nunc* scil. cum aqua iam est in vinum transmutata; architriclinus, cuius erat convivii curam gerere, triclinium mensis et lectulis collocatis parare, fercula disponere, cibos, vinum praegustare, ministros reliquos dirigere etc.; vocatur quoque triclinarches; *et tulerunt*, ei itaque in vasis minoribus, cyathis, haustum ex hydriis vinum attulerunt, ut convivis apponeretur, cum prius vinum iam defecisset.

Ei fertur, quia eius erat cibos, vinum praegustare, ne quid insipidum in convivio apponeretur; v. 9 *ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam et non sciebat, unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam;* primus itaque testis post ministros est architriclinus; « non convivas ait de illa re sententiam tulisse, sed architriclinus qui sobrius adhuc nihil gustaverat; scitis quippe omnes, quibus conviviorum cura committitur esse omnium maxime sobrios, unam hanc curam habentes, ut cum recto ordine omnia disponantur; ideoque sensum illum vigilem et sobrium (τὴν νήφουσαν αἴσθησιν ταύτην) ad rei gestae testimonium evocavit » (*Chr. Mald. Schz.*); dicitur *gustavit aquam,...* quia paullo ante aqua erat et ut indicetur, unde vinum factum sit. Monet *Mald.* simili modo eucharistiam consecratam a S. Paulo dici panem (1 Cor. 11,26. 27). De novi vini bonitate miratus *vocat sponsum architriclinus* v. 10 *et dicit ei : omnis homo primum bonum vinum ponit et cum inebriati fuerint tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc,* sponsum increpat, non illepide, οὐκ ἀκόμψως, ut mihi videtur, si rei gestae ratio spectetur, quod sub finem coenae melius vinum profunderet (*Cyr.*). Miratur itaque optimum vinum sibi non ab initio esse traditum; unde quae sit norma generalis ab omnibus observata sponso iocülariter declarat. Quia sententiam enuntiat generalem, qua lepide dicit quando vinum bonum poni debuerit, falso aliquis inferret convivas iam fuisse inebriatos. Ab omni levitate Christi praesentia coercebantur.

Atque hanc gloriae manifestationem minime evenisse quasi ex improviso, sed eam occasionem ab eo esse electam, satis indicatur v. 11 *hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae;* excluduntur itaque illa mira quae in apocryphis narrantur; sensus enim est Christum hac demum occasione initium fecisse i. e. primum patrasse miraculum (*Chr. Euth.*) non autem, quasi hoc esset solum primum quod in Cana fecisset, *et manifestavit gloriam suam,* iam implens quod promiserat : maius his videbis; ostendit se solo nutu voluntatis sine ullo signo externo dominum naturae rerum; *gloriam suam* manifestavit, quia ipse primus auctor ac solus miraculi fuit; multi prophetae miracula

ediderunt; de nullo tamen dictum est gloriam suam manifestasse, quia non tamquam domini creaturarum, sed ut ministri creatoris in rebus miracula faciebant; itaque non suam illi, sed Dei gloriam manifestabant (*Mald.*). Eam itaque ostendit potentiam, maiestatem, dominationem in res qualem habere decet Unigenitum a Patre (1,14) et quo consilio et in quem finem hanc sibi elegerit occasionem additur *et crediderunt in eum discipuli eius;* i. e. προσθήκην (*Ammonius* in cat. Cr.) augmentum fidei et confirmationem acceperunt; fidem ampliorem ac firmiorem acceperunt; crediderunt antea, sed non tam firmiter (*Ians.*). Curam itaque discipulorum habet, eos docere, ut firmiter sibi adhaereant et in fide Messiae magis confirmentur, sedulo vult et studet. Quam necessarium hoc fuerit, inde concipitur, quia in dies magis experturi erant Messiam hunc longe aliter agere atque ipsi exspectabant. Magna igitur persuasione opus erat, ut contra spem in spem messianam crederent neque plane animis caderent, cum contraria plane illis acciderent quae ab omnibus exspectabantur. Quae enim spes et exspectatio messiana ab omnibus foveatur, vide in Comment. Matth. I p. 10 seq.

Veteres multi sunt in allegorica et symbolica huius eventus explicatione; ita *Cyr. Aug. Beda, Theoph. Gaudentius* (serm. 8, de Evangelii lectione 1; *M.* 20,886 seq.) etc. Utique non caret mysterio Messiam sponsum venisse ad nuptias ibique convivis laetis optimum subministrasse vinum. Moyses iubente Deo aquam in deserto populo sitienti e rupe dedit, « hoc miraculo Christus veluti typo quodam nobis adumbravit id quod aggrediebatur. Iam enim tempus erat ut pro insipida ac diluta legis mosaicae littera biberemus generosum illud vinum evangelicae doctrinae, Christo videlicet id quod erat inutile nobis et inefficax vertente in melius. Secundum cuius mysterii hic significati exigentiam licebit et totam hanc historiam mystice interpretari. Spirituales itaque quaedam sunt nuptiae, quibus scil. humana natura divinae reconciliata est et coniuncta » etc. (*Ians.*). Neque omittunt monere, eum qui aquam mutavit in vinum quasi praeludere alteri mutationi, qua vinum in sanguinem suum convertit. Hoc loco iam se demonstrat eum qui transit benefaciendo, qui insigni misericordia abundantissime bona sua hominibus largiatur.

Rationalistae priores aliquid rei gestae retinere volentes quod postmodum exornatum sit et ad rationem miraculi evectum, statuerunt defectui vini occursum esse dono quodam inopinato, quod sponso missum sit et opportune advenerit; vel, ut aliis placuit, Iesum ita mentes animosque convivantium sermonibus suis oblectasse, ut vini defectum non sentirent. Postea ad mythum confugiebatur, qui scil. efformatus sit in oppositione ad largitionem aquae in deserto; vel evangelistam aliquam parabolam Iesu quam male intellexerat tamquam rem gestam proposuisse. Recentiori tempore

narrationem mere symbolicam, qua nullatenus res aliquando quocumque demum modo gesta referatur, verum solum doctrina quaedam allegorico involucro repraesentetur, exhiberi malunt. Idque vario modo : significari oppositionem inter cultum veterem et novum; significari et ad vivum proponi illud : beati qui ad nuptias agni vocati sunt; inter se opponi austeram baptistae vitam et gaudium messianum; baptismum aquae et donum spiritus; defectum penuriamque synagogae et abundantiam regni messiani etc. Unde vides, veteres ex re vere gesta ad symbola et allegorias pervenisse; rationalistas symbolis et allegoriis rem vere gestam velle destruere. Verum evangelistam rem gestam et miraculum velle narrare luce meridiana clarius est; tempus, locum, convivas, colloquia, numerum mensuramque hydriarum, ministros etc. indicat, neque ulla syllaba symbolicam se velle prodere significationem innuit. Affirmat signum, σημεῖον, quod Iesus fecit et cur fecerit aperte enuntiat. Proin uti testimonio baptistae nobis enarrat quid de Iesu sit sentiendum, uti ipsa Iesu scientia id ostendit, ita nunc tertio nobis miraculo a Iesu patrato demonstrat, qua ratione fides discipulorum orta sit et confirmata.

Videamus exempli causa quomodo efficere conentur, ut haec narratio non sit relatio rei gestae, sed involucrum doctrinae arte confectum, allegoria. Primo advertitur, ex Marc. 1,23-28 et Luc. 4,33-37 disci quomodo vera historia instituatur; unde qui hoc intellexerit, statim deprehendere hic non rem gestam proponi. Ad allegoriam explanandam alia ex aliis locis esse conquirenda. Aquam esse symbolum (ut ita dicatur) symboli, scil. significare ea quae sint symbola quae nondum sint spiritus et veritas 3,5; 4,13. 14; 7,38; significari tempus, quo spiritus et vita spiritualis nondum exsistat 7,39, in Ioannis baptismo qui in aqua fiat 1,26; Iesum autem id debere efficere, ut symbolum fiat veritas 1,33. Vasis illis ad ritus iudaicos contineri aquam, quae per Iesum in vinum mutanda sit 2,6 i. e. aquam quae solum corpus mundet debere mutari in vinum quod cor laetificet. Vino autem designari ipsam vitam spiritualem; ita pro aqua quae olim data est in vetere testamento Ex. 17,5-7 et Num. 20,6-11, dari in novo vinum; esse enim evangelium vinum novum quo veteres utres dirumpantur Marc. 2,22; Matth. 9,17; Luc. 5,37; et uti Ioannes qui vetus repraesentet ieiunet, ita Filium hominis bibere vinum; eodemque modo calicem vini symbolum esse novi foederis Marc. 14,24; Matth. 26,28; Luc. 22,20, et vinum quoque symbolum gaudii coelestis Marc. 14,25; Matth. 26,29; Luc. 22,18; regnum coelorum esse simile vineae Marc. 12,1-9; Matth. 20,1-8; 21,28. Luc. 13,6; 20,9; quare Iesum esse vitem veram Ioan. 15,1 et discipulos eius spiritu repletos apparere hominibus carnalibus musto plenos Act. 2,13; veros autem Christianos non appetere vinum naturale; nam « nolite inebriari vino, sed implemini Spiritu sancto » Eph. 5,18. Ad symboli rationem spectare nuptias; esse enim regnum coelorum simile convivio Matth. 8,11, homini regi qui fecerit nuptias Matth. 22,2; 25,1; Apoc. 19,7; Iesum Messiam esse sponsum Marc. 2,19; Matth. 9,15; Luc. 5,34; discipulos eius filios nuptiarum Marc. 2,19 etc.; coetum fidelium esse sponsam 2 Cor. 11,2; Apoc. 21,2. 9;

22,17; ita Christum vocari sponsum Ioan. 3,29; baptistam nymphagogum, et quamdiu sponsus apud eos sit, eos non posse ieiunare i. e. aquam bibere; quare Iesum in nuptiis mutare aquam in vinum, ut gaudium evangelii manifestet. Hisce iam intelligi allegoriam : vetus testamentum esse inops; unde « vinum non habent »; matrem Messiae esse mulierem illam Apoc. 12,1. 2.5 veterem synagogam repraesentantem; sed cum Iesus in initio vitae publicae nondum dare possit veram vitam — 7,39 spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus — dici ambiguum illud : nondum venit hora mea, quo verbo horam mortis designari, uti 12,23; 13,1; 17,1 et designari dies illos Marc. 2,20; Matth. 9,15; Luc. 5,35. Unde : mulier quid mihi et tibi i. e. ita loqui Logon ad veterem synagogam. Quae dicat architriclinus 2,10, poni pro alio verbo apud Luc. 5,39 : novum vinum veteri generationi non placere. Unde in hac allegoria exprimi quomodo Iesus pro vetere conditione novam introducat (Handcom. p. 56-57).

Ex locis allegatis id volunt ostendere, quomodo evangelista usus sit rebus a synopticis praebitis ad suam allegoriam efformandam, quam libere singula coniunxerit, mutarit, expresserit. Demum secundum historiae fidem nihil aliud remanere, nisi laetam indolem et salutiferam qua Christus praedicare et beneficia praestare inceperit.

Quam longe talis explicatio recedat a mente evangelistae, tum ex ipsa narratione apparet; tum ex 4,46 : venit Iesus iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum; tum ex 4,54 hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudaea in Galilaeam. Neque in allegoria explicatur, cur miraculum fiat in Cana Galilaeae etc.

2. *Manifestatio in Iudaea, Samaria, Galilaea* 2,12-4,54.

Postquam se suis manifestavit, iam ipsis ducibus et principibus populi se manifestat. Erant hi praeparati testimonio Ioannis ad adventum eius. Venit qualis a Malachia praedictus erat, venit purgans aream suam. Verum primores iam animos ostendunt contumaces, neque apud alios sinceram Christus invenit fidem, quamvis signis multis ostendat se esse eum quem baptista annuntiaverat venturum. Quantopere duces populi in eum sint infensi, ipse palam facit Nicodemus qui solum noctu Iesum adire audet; eum edocet Iesus de se et de opere salutis; at simul apparet quam parum magister in Israel veram indolem operis messiani intelligat. Dum Iesus postea in regione Iudaeae commoratur, multi ad eum et discipulos veniebant; aemulatione inter discipulos baptistae orta utitur Ioannes ad repetitum testimonium praeclarum de Iesu tradendum. Iesus autem consultum ducit cedere invidiae pharisaeorum qui aegre ferebant quod multi ad eum audiendum et ad baptismum a discipulis datum accedebant. Dum in Galilaeam revertitur, venit in civitatem Samariae. Fidem quam principes negarant, invenit Iesus

apud Samaritanos. Reversus in Galilaeam altero signo, sanatione filii reguli in Capharnaum, se manifestat et ad sui fidem adducit.

a) **Iesus se manifestat in templo et urbe 2,12-25.**

2,12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater eius, et fratres eius, et discipuli eius; et ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope erat Pascha Iudaeorum, et ascendit Iesus Ierosolymam, 14. Et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes. 15. Et quum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit aes, et mensas subvertit. 16. Et his qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est : Zelus domus tuae comedit me. 18. Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis quia haec facis?

19. Respondit Iesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

20. Dixerunt ergo Iudaei : Quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. Quum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat; et crediderunt scripturae, et sermoni quem dixit Iesus.

23. Quum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius quae faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. 25. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.

2,12. Μετὰ τοῦτο κατέβη εἰς Καφαρναοὺμ, αὐτὸς καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· καὶ ἐκεῖ ἔμειναν οὐ πολλὰς ἡμέρας. 13. Καὶ ἐγγὺς ἦν τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ὁ Ἰησοῦς. 14. καὶ εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας βόας καὶ πρόβατα καὶ περιστερὰς, καὶ τοὺς κερματιστὰς καθημένους, 15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων, πάντας ἐξέβαλεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, καὶ τῶν κολλυβιστῶν ἐξέχεεν τὰ κέρματα, καὶ τὰς τραπέζας ἀνέτρεψεν 16. καὶ τοῖς τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν εἶπεν, Ἄρατε ταῦτα ἐντεῦθεν· μὴ ποιεῖτε τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου οἶκον ἐμπορίου.

17. ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι γεγραμμένον ἐστὶν, Ὁ ζῆλος τοῦ οἴκου σου καταφάγεταί με. 18. Ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ εἶπαν αὐτῷ, Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς;

19. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ (ἐν) τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

20. εἶπαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν οἰκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν;

21. ἐκεῖνος δὲ ἔλεγεν περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ.

22. ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, ἐμνήσθησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὅτι τοῦτο ἔλεγεν, καὶ ἐπίστευσαν τῇ γραφῇ, καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς.

23. Ὡς δὲ ἦν ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐν τῷ πάσχα, ἐν τῇ ἑορτῇ, πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, θεωροῦντες αὐτοῦ τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει. 24. αὐτὸς δὲ Ἰησοῦς οὐκ ἐπίστευεν αὐτὸν αὐτοῖς, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας· 25. καὶ ὅτι οὐ χρείαν εἶχεν ἵνα τις μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου. αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκεν τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.

In 15 v. τα κερματα B L T X 33. Or cop arm, q pecunias, b nummos; rell το κερμα, a pecuniam; pler ανεστρεψεν. In v. 17 praemittit sin : cum hoc faceret, recordati sunt;

longe pler καταφάγεται. In v. 18 sin dixerunt ei Iudaei; saepius pro Iesu sin habet Dominus noster (v. 19.24; 3,2.5.10 etc.). In v. 19 sin solvite templum (om hoc). In v. 20 sin om Iudaei. In v. 22 sin scripturis; v. 23 in die festo azymorum, et crediderunt domino nostro multi... quae faciebat eis; in v. 24 sin om eo quod ipse nosset omnes; in v. 25 sin de opere hominis; ipse enim novit cor in homine quid esset.

Iesus discipulis se manifestavit et illis quoque qui nuptiis intererant, quibus saltem occasio praebebatur, ut in eo altiorem quandam auctoritatem et potestatem, proinde missionem et legationem divinitus ei commissam agnoscerent. In quantum illi hac opportunitate usi sint, non constat, quia evangelista de solis loquitur discipulis, quorum scil. institutionem ac confirmationem Iesus praeprimis intenderat. Alios nihil utilitatis ex signo illo cepisse, colligi certe nequit ex silentio evangelistae. Notandum quoque est quomodo Iesus paulatim magis in publicum se proferat. Reversus ex deserto sese baptistae ostendit ut ab eo aliis demonstretur, aliquos sibi adsciscit discipulos, cum iis ex Iudaea proficiscitur in Galilaeam, in Cana coram pluribus se maiorem baptista palam opere miraculoso facit et v. 12 *post hoc descendit Capharnaum ipse et mater eius et discipuli eius;* urbs erat satis celebris et commercio frequentata ad lacum Tiberiadis; plerique eo loco sitam censent, ubi hodie Tell Hum, dum alii pugnant (acerrime v. g. *Sepp*) pro Chan Minieh (Kefr, Choerbet Minieh); vide ad Matth. 4,13. In eam urbem se contulit, quia erat frequentissima et quia ibi se volebat ostendere ubi maior erat frequentia; et evangelista id commemorat, ut doceat Iesum iam non voluisse latere, sed frequentissima petiisse loca (*Mald.*). Optime dicitur *descendit,* cum urbs et lacus loco magis depresso sint et totum iter a Cana eousque descendat. Coniectant aliqui (*Lap. Corl.*) Iesum prius se contulisse Nazareth; sed inanis coniectura tacente evangelista; alii eum urbem adiisse volunt quia ibi mater et fratres i. e. cognati suum transtulerint domicilium (*Theoph. Schegg, Weiss*), id quod pariter incertum est. Hac autem commoratione bene praeluditur illi longiori, quam synoptici nobis referunt et qua factum est, ut Capharnaum diceretur civitas sua (Matth. 9,1).

Etiam maiori frequentiae et manifestationi sollemniori obviam it v. 13 *et prope erat pascha Iudaeorum et ascendit Iesus Ierosolymam;* inde aliquid colligere licet pro tempore baptismatis Christi; nam 1,29 probabilissime evenit non ita diu post reditum Christi ex deserto, ubi post baptismum per 40 dies commoratus est. Certissime quoque ex hoc loco constat nuptias in Cana non celebratas esse die 6 mensis ianuarii, uti quandoque aliqui ex liturgia concludunt (vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 73). Ascendit autem e regione depressiore in urbem et sese statim confert in templum, quod incepta tandem vita publica

concordat cum prophetia : et statim veniet ad templum suum dominator (Mal. 3,1) atque etiam incipit implere quae propheta de hoc Messiae, angeli seu nuntii testamenti, adventu subiungit : ipse quasi ignis conflans et quasi herba fullonum et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi (cf. Comment. Proph. min. II p. 468 seq.). Nam quae nunc agit gravissimam continent contra sacerdotes accusationem; v. 14 *et invenit in templo*, nomen templi totum dicit aedificium, sanctuarium, atria, porticus etc.; hic intellige atrium gentium; templum ab Herode instauratum tria habebat atria, quorum alterum altero altius situm erat : atrium gentium, mulierum, Israelitarum; cum tempore festivo multa sacrificia a privatis offerrentur, animalia ad sacrificia apta in atrio vendebantur, in loco quem unice adire licuit gentilibus piis ad Deum adorandum. Strepitu eo et tumultu iniuria inferebatur loco sacro et offensio et impedimentum piis Dei cultoribus. Sacerdotes locum sacrum contaminari et pietatem ac religionem flocci haberi permittebant; immo ex illo commercio lucrum percepisse non est improbabile. Christum bis eiusmodi templi iniuriam vindicasse, hic in initio vitae publicae et in hebdomada passionis, vide ad Matth. 21,12 (Comment. II p. 210 seq.). Invenit itaque in atrio templi *vendentes boves et oves et columbas;* cf. Lev. 1,2; 3,1; oblatio pauperum, puerperarum egenarum et profluvio laborantium erant columbae Lev. 5,7; 12,8; 15,14 *et numularios sedentes* ad mensas, in quibus pecuniam sacram, siclum sanctuarii, habebant aliosque numos; nam Israelitae ad tributum templi solvendum indigebant siclo sanctuarii, quare numi extranei erant commutandi, quippe qui propter imagines deorum, imperatorum, animalium in thesauro templi non poterant reponi (ceterum vide ad Matth. l. c.).

Ipse quasi ignis conflans, sacra indignatione et maiestate, hanc templi iniuriam vindicat v. 15 *et cum fecisset* (*quasi*) *flagellum de funiculis omnes eiecit de templo, oves quoque et boves* πάντας... τά τε πρόβατα καὶ τοὺς βόας, omnes, ovesque et boves; verba graeca, uti iam *Cai. Ians.* adnotant et recentiores monent (*Schz. Fil. Weiss*, *Keil*), accurate ita explicanda sunt, ut τε... καὶ intelligatur explicative ad *omnes;* proin non ipsos vendentes flagello eiecit, sed solum animalia (cf. *Klotz,* Devar. II p. 739; *Winer* § 53,4; *Kühner*, Gram. II § 522,2; 520,1; 519,3); at interpretes graeci *Chr. Cyr. Theoph. Euth.* ita loquuntur, ut ipsos quoque vendentes flagello eiectos significent (ita quoque *Corl. Schg.*) *et numulariorum effudit aes* τὰ κέρματα numulos *et mensas subvertit* v. 16 *et his qui columbas vendebant dixit : auferte ista hinc;* flagello usus est ad oves et boves eiicienda; columbae erant inclusae caveis ligneis; quare venditores iubet eas auferre; et cum venditores ibi consisterent,

vides homines non esse flagello eiectos; alias iam aufugissent columbis in caveis relictis. Putant aliqui istos qui columbas vendebant, utpote pauperes, mitius reliquis a Domino esse adhibitos; ad columbas eiiciendas non poterat uti flagello, uti evidens est; erant itaque asportandae a venditoribus.

Dein cur ita agat affert rationem : *et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis!* etiam acrius eos reprehendit in altera eiectione hebdomada passionis. Quia autem Deum vocat patrem suum cum emphasi, clare manifestat se singulari prorsus modo habere Deum patrem; iure id se facere indicat, quia sit domus Patris sui; filius enim honorem patris tueri ac vindicare debet (*Tol.*). Tali appellatione ad Deum facta nemo unquam in s. litteris usus est, neque nos quid simile solemus; quis enim, non cum ipso Deo agens, sed de Deo obiter loquens eum *patrem suum* absolute ac simpliciter diceret (*Patr.*)? Unde ea appellatione se clare designat Messiam, quem scil. Iudaei eximio quodam modo filium Dei esse putabant, etsi eum esse naturalem Dei filium non statim intelligebant. Iesus itaque triplici ratione se manifestat in templo. Primo hac ipsa ultione impietatis ac profanationis se exhibet talem, qualem praedixit et propheta (Mal.3,1) et praecursor : cuius ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam (Matth. 3,12); secundo ipsum hoc quod efficit testimonium est maiestatis eius et potentiae longe humanam superantis; « neque enim leve illud erat, sed audax facinus, sese forensium furori obiicere, et brutorum hominum, mercatorum scil., turbam contumeliis onerare et adversum se exasperare » (*Chr.*) et certe in ea re « mirabilis eius auctoritas et potestas est declarata, cum inter omnes vendentes nemo uni homini adhuc ignoto auderet resistere, nemo qui non mox imperanti obediret, divinitate nimirum ipsius mentes eorum perterrefaciente et ad obediendum cogènte » (*Ians.*); immo S. Hieronymus (ad Matth.) hoc censet omnium miraculorum maxime mirabile, « igneum quiddam et sidereum radiabat ex oculis eius et divinitatis maiestas lucebat in facie, immutans eorum animum, ut non auderent immittere in eum manum » quod Hieronymi verbum retinendum esse *Alb.* ait. Tertio demum ipsis verbis se manifestat templum Dei vocans domum Patris mei.

Et eam manifestationem in discipulis non caruisse fructu adnotatur v. 17 *recordati sunt vero discipuli eius, quia scriptum est : zelus domus tuae comedit me* καταφάγεται me devorabit, consumet, quasi ignis urens et consumens, quo studium vehementissimum pro honore Dei et sanctitate templi describitur. Cum discipuli iam crederent Iesum esse Messiam in lege promissum (1,41.45.49), recordati sunt eius sententiae veluti de Messia praedictae (*Tol.*); nam si sensus solum esset discipulos animad-

vertisse zelum a Christo tunc exhibitum similem fuisse zelo psaltae, haec animadversio sane frigeret (*Patr. Corl.*). Verba sunt ex Ps. 68,10, quem ad Messiam referri constat praeterea ex 19,28-30, Act. 1,20, Rom. 15,3. Sciebant itaque de Messia praedici ardentissimum studium ac reverentiam templi et eius oraculi venit ipsis in mentem, dum cernerent zelum Christi; ex qua recordatione fides eorum confirmabatur. Illis tum in memoriam venisse, narratione indicatur ipsa; alias additum esset, uti in v. 22, post resurrectionem. Notant *Aug. Bed. Bon.:* si talia prohibet in loco orationis, quae tamen ad sacrificia necessaria erant, quid faceret, si ebriosos, si rixis dissidentes, si fabulis vacantes, si alio quolibet scelere reperiret irretitos?

Quid vero haec tam magnifica manifestatio effecerit in Iudaeis i. e. in primoribus sacerdotum quibus templi cura incumbebat, declaratur v. 18 *responderunt ergo* (i. e. ex re gesta ansam ceperunt loquendi, interrogandi; ita saepe *respondere* dicitur; cf. עָנָה) *Iudaei* i. e. primores, magistratus; cf. 1,19; *et dixerunt ei : quod signum ostendis nobis, quia haec facis?* factum non audent reprehendere, quamvis non possent non sentire se quam maxime incusari templi turpiter contaminati. Quaerunt itaque indignati, ut miraculo probet se habere revera auctoritatem et ius talia peragendi; quod si non praestaret, se habituros esse sperabant, cur eum tamquam rebellem traducerent qui falso sibi auctoritatem arrogasset. Ita se posse simul evitare condemnationem populi optabant, cum profecto pii Dei cultores non possent non approbare purgationem templi et condemnare conniventiam magistratus templi. Rectene hanc ponunt quaestionem? affirmant aliqui; ita *Thom.* « de auctoritate eius qua eos de templo expulit signum ab eo quaeri poterat, cum hoc non cuilibet liceret facere, sed auctoritatem habenti » (sim. *Schg. Schz.*). Sed annon ipsa eiectio, ipse ille terror, quo tot viri lucro et pecuniis inhiantes uni viro cedebant signum erat? Notat *Chr. :* « o summam amentiam, quo signo opus erat, ut domum a tanta turpitudine liberarent; ille tantus pro domo Dei zelus, nonne maximum virtutis signum erat »? similiter signum prorsus convincens in ipsa expulsione tantae multitudinis consistere merito arbitrantur *Alb. Bon. Tol. Ians. Corl.* et stulte ab illis aliud postulari signum *Bon.* ait. Porro ex ipsa Iesu responsione aenigmatica quoque concludi oportet eos mala fide interrogare; insuper eo ipso quod non amplius insistunt neque quidquam contra Iesum agere audent, satis produnt se quamvis invitos sentire eius auctoritatem et male sibi esse conscios propter abusum illum et contaminationem templi.

Responsione Iesu statim panditur, ad quid tandem eorum contumacia sit perventura, quam ipsa quaestione manifestant. Postquam

enim testimonio baptistae cognoverunt quis venturus esset et testes fuerunt mirae eius potentiae, iam magnae obstinationis et incredulitatis erat non solum Iesum non venerari, sed etiam impudenter ab eo quaerere, ut signo probaret auctoritatem. Quare merito respondet Iesus iis modo obscuro ob eorum malitiam (*Chr. Thom.*) v. 19 *respondit Iesus et dixit eis : solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud;* hoc sermone Domini relato Ioannes simul narrationem synopticam supplet et illustrat; nunc enim intelligimus falsum illud testimonium Matth. 26,61 et unde occasionem ceperint illusionis illius Matth. 27,40; quare *Tol.* hanc narrationem vocat necessariam ad ea quae postmodum sequuntur intelligenda. Sed simul cernitur quam alte obduratis Iudaeorum animis haeserit haec prima Christi reprehensio incredulitatis et castigatio. Dicit *solvite* eo modo, uti alias : implete mensuram patrum vestrorum (Matth. 23,32); vel si malueris, explica : si solveritis etc. ; cf. Eph. 5,14. Iac. 4,7. Hoc itaque loco Iesus iam illud signum ob oculos habet, quod est auctoritatis suae ac divinitatis demonstratio firmissima et argumentum irrefragibile et quod alias quoque sollemni modo promittit (Matth. 16,4) et quod praedicationis evangelicae est fundamentum (1 Cor. 15,14). Usurpatur ἐγείρειν et de aedificiis erigendis (Eccli. 49,15. *Iosephus*, Antiq. 4,6. 5 etc.) et de mortuis in vitam revocandis (5,21, Act. 26,8 etc.).

Iudaei ex testimonio Ioannis non poterant ignorare, unde sibi attribueret auctoritatem et ipsa re cernebant eum esse fortiorem illum cum ventilabro quem baptista praedixerat. Unde etiam intellexerunt, quare nollet coram ipsis signo sibi fidem facere, et sermonem eius interpretati sunt ac si cum contemptu et irrisione promitteret se signum daturum, si ipsi antea fecissent quod nunquam facturi essent nec facere possent. Sed cum tamen promiserit se signum daturum, si ipsi conditionem positam impleverint, ipsa sua quaestione et postulatione insidiosa capti sunt neque habent quod sane volebant habere propter plebem, scil. ut ad tollendam Iesu auctoritatem dicere possent eum renuisse signo dato probare auctoritatem. Iesus ergo eos irretit ipsa eorum malitia eodem modo quo alias apud synopticos (cf. Matth. 21,25; 22,19). Quare nihil aliud eis relinquitur nisi ut opportuna ratione e laqueo elabantur; reponunt itaque id quod postulatione illa et conditione posita ex mente respondentium verbum est plane inane, quo tamen sperare possunt fore ut plebs ab ulteriore consideratione rei avertatur, v. 20 *dixerunt ergo Iudaei : quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* cum *Baronio*, *Lap. Calm.* haec intelligenda sunt de templi ab Herode instauratione (contra opinionem veterum plurimorum qui de tempore

Zorobabel loquuntur). Aedificium coeptum ab Herode fuerat anno regni 18 i. e. anno ab urbe 734 vel 735; ipse Herodes aedificavit novem annis et sex mensibus; opus tamen absolutum non est nisi cum Nero iam imperium tenebat, scil. ab Agrippa II anno 64 p. Ch. (cf. *Iosephus*, Antiq. 15,11,1-9). Proinde verba significant annum tunc fuisse sextum et quadragesimum, ex quo templum aedificabatur.

Herodem anno 734/735 u. c. templum instaurare coepisse certum est. Nam incepit postquam Caesar Augustus e Syria discesserat (cf. Antiq. 15, 10,3), quo appulerat quando Herodes decimum septimum annum impleverat l. c.; ex Dione autem comperimus Augustum in Asiam perrexisse M. Apuleio P. Silio consulibus i. e. anno 734 u. c. In alio quidem loco Iosephus scribit eum instaurationem incepisse anno regni decimo quinto (Bell. iud. 1,21,1); at ibi quoque id factum esse refert post Augusti discessum e Syria. Unde tempus certo constat. Nihilominus tempus istius paschatis primi in vita Iesu publica *accurate* nequit determinari. Computatio enim semper aliquatenus vaga est. Ita ab eodem termino progressi tamen ad alium annum alii pervenerunt; *Patr.* statuit pro primo paschate an. 779 u. c. i. e. 26 p. Ch. (cf. De evangeliis lib. 3 diss. 47,1,6); alii 781 u. c. alii 782 (cf. *Schz.*). Adde modo loquendi etiam posse indicari, aedificationem tum fuisse interruptam; quare ne necessarium quidem est annum 46 protendi usque ad annum illum primi paschatis. Ita quidem, si sola verba spectantur, dici posset. At si cum sententia valde communi affirmaveris Herodem anno 750 u. c. esse mortuum, non poteris annos illos 46 protendere usque ad 782 u. c. (ceterum vide quae dixi ad Luc. 3,1, Comment. p. 153).

Si Iesus de templo voluisset loqui, exspectaremus utique eum potius dicturum fuisse : excitabo aliud, novum. Unde fortasse in eius locutione adest aliquid quo si non fuissent indignati, ad ulteriorem explicationem postulandam induci poterant. Hanc petere debebant, dummodo revera voluissent sinceris animis edoceri; v. 21 *ille autem dicebat de templo corporis sui*, corpus suum in quo habitavit omnis plenitudo divinitatis (Col. 2,9) sensu sublimissimo templum dicit; est enim corpus eius in unionem hypostaticam assumptum ratione excellentissima habitatio et tabernaculum divinitatis; nam si apostolus de fidelibus scribit : nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis (1 Cor. 3,16), quam potiore iure corpus Christi appellatur templum? Utique ne discipuli quidem tum sensum hunc assecuti sunt; v. 22 *cum ergo surrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat et crediderunt scripturae et sermoni quem dixit Iesus;* habebant itaque etiam verba illa aenigmatica suam utilitatem; nam, ut *Rup.* advertit, obscurius saepius praesignavit, « ut hi qui iam erant vel

futuri erant digni revelatione mysteriorum regni Dei, in tempore suo recordarentur verborum eius et ad cognoscenda vel credenda facta sequentia dictis eius praecedentibus adiuvarentur ». Perspexerunt ergo postea, quomodo Iesus iam ab initio cuncta clare sciverit quae ventura essent super ipsum (18,4); qua cognitione fides eorum roborata, confirmata, aucta est. Ipsa resurrectione facta etiam intellexerunt in Scriptura eam de Messia praedici (cf. Ps. 15,10. Is. 53,10-12); unde evangelista idem hoc loco asserit, quod Luc. 24,45. 46 indicatur.

Prima itaque Iesu cum primoribus congressio triste praebet praesagium. Illi edocti a baptista et cernentes manifestationem illius fortioris quem annuntiavit adeo magnificam animos gerunt contumaces; reprehendere non audent rem ab eo gestam, quia sane habebat populi approbationem; nihilominus indignabundi ab eo postulant, ut signo edito sibi probet auctoritatem id peragendi quod propheta de Messia praedixit. Iam igitur clare profitentur, se nolle talem agnoscere Messiam. Iesus autem statim primo quem cum illis miscet sermone enuntiat ad quod scelus tandem ex tali initio perventuri sint. Iam impletur illud : positus est in signum cui contradicetur, in ruinam et resurrectionem multorum in Israel (Luc. 2,34). Dein effert evangelista quid manifestatio Iesu effecerit in populo v. 23 *cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo* τῇ ἑορτῇ i. e. in ipso sollemni die et per totam festivitatem, ita ut ἡ ἑορτή significet hebdomadam festi, per quam panes azymi erant comedendi (cf. Ex. 12,19. Lev. 23,6. Num. 28,17), *multi crediderunt in nomine eius* εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ i. e. in eum, crediderunt quod nomine eius, manifestatione, signis praeferebatur, *videntes signa eius quae faciebat;* ergo se probat talem qualem baptista annuntiavit fortiorem baptista. Sed cum generali exspectatione Messias desideraretur qui regnum restitueret davidicum expulsis alienigenis, fides eorum non erat talis qualem Iesus postulabat; unde v. 24 *ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis* i. e. non committebat semetipsum eis, ut cum eis sicut cum discipulis versaretur (*Tol. Bar. Schg. Corl. Schz.*), *eo quod ipse nosset omnes,* sciebat eos regnum appetere carnale (*Rup.*) et exspectare, ut talem se praebeat Messiam qualem sibi fingunt; quodsi non fiat, sciebat quoque eos a se recessuros. Illi itaque ab eo sperabant regnum temporale potius quam redemptionem a peccatis et veram illam iustitiam et salutem et scientiam Dei a prophetis annuntiatam pro tempore messiano. Intimam cognitionem animorum qua Iesus pollebat iterum affert evangelista et asserit, cur merito Iesus illos non ad familiarem sui consuetudinem potuerit admittere sciens eos esse instabiles v. 25 *et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid*

esset in homine; quod hic evangelista sententia generali enuntiat, apud synopticos etiam luculenter rebus gestis declaratur et apparet; vide Matth. 4,19-22; 9,4 vidit cogitationes scribarum; 9,9; 12,15. 25; 16,7. 8; 26,21. 31 seq. Marc. 2,8; 5,30; 8,17; 9,32; 11,2 seq. 12,15. Luc. 5,4. 22; 6,8; 7,39. 40; 9,47; 10,13; 11,17 etc. Frustra igitur aliqui iactant a quarto demum evangelista Iesum describi intima animorum cognitione praeditum et aliam speciem Iesu nobis exhiberi.

b) Colloquium cum Nicodemo 3,1-21.

3,1. Erat autem homo ex pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum. 2. Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Iesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, quum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et renasci?

5. Respondit Iesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixi tibi : Oportet vos nasci denuo. 8. Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis; sed nescis unde veniat, aut quo vadat : sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt haec fieri?

10. Respondit Iesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel, et haec ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur; et testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo, si dixero vobis coelestia credetis? 13. Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo.

14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium

3,1. Ἦν δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων. 2. οὗτος ἦλθεν πρὸς αὐτὸν νυκτὸς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ῥαββεί, οἴδαμεν ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας διδάσκαλος· οὐδεὶς γὰρ δύναται ταῦτα τὰ σημεῖα ποιεῖν ἃ σὺ ποιεῖς, ἐὰν μὴ ᾖ ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ. 3. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι, Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἄνωθεν, οὐ δύναται ἰδεῖν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. 4. λέγει πρὸς αὐτὸν Νικόδημος, Πῶς δύναται ἄνθρωπος γεννηθῆναι γέρων ὤν; μὴ δύναται εἰς τὴν κοιλίαν τῆς μητρὸς αὐτοῦ δεύτερον εἰσελθεῖν καὶ γεννηθῆναι;

5. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, οὐ δύναται εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. 6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς σάρξ ἐστιν, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ Πνεύματος πνεῦμά ἐστιν. 7. μὴ θαυμάσῃς ὅτι εἶπόν σοι, Δεῖ ὑμᾶς γεννηθῆναι ἄνωθεν. 8. τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται καὶ ποῦ ὑπάγει· οὕτως ἐστὶν πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ Πνεύματος. 9. Ἀπεκρίθη Νικόδημος καὶ εἶπεν αὐτῷ, Πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι;

10. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; 11. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, καὶ ὃ ἑωράκαμεν μαρτυροῦμεν· καὶ τὴν μαρτυρίαν ἡμῶν οὐ λαμβάνετε. 12. εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐ πιστεύετε, πῶς, ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύσετε; 13. καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου (ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ).

14. καὶ καθὼς Μωυσῆς ὕψωσεν τὸν ὄφιν

hominis; 15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

18. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est : quia non credit in nomine unigeniti filii Dei. 19. Hoc est autem iudicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· 15. ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν (μὴ ἀπόληται, ἀλλὰ) ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. 16. οὕτως γὰρ ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε τὸν υἱὸν τὸν μονογενῆ ἔδωκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν μὴ ἀπόληται, ἀλλὰ ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον. 17. οὐ γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸν υἱὸν εἰς τὸν κόσμον ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σωθῇ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ.

18. ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν οὐ κρίνεται· ὁ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται, ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. 19. αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς· ἦν γὰρ αὐτῶν πονηρὰ τὰ ἔργα. 20. πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. 21. ὁ δε ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, ὅτι ἐν Θεῷ ἐστὶν εἰργασμένα.

In v. 2 sin missus es nobis magister. In v. 3 *natus* fuerit am big cav dub dun ept fuld ger ing for car med mt ox ken tol st^{c} val wil corp lind hent c f l r; αναγεννηθη apud Ir et Iust. In v. 4 renasci big theod ox ken steph sixt; sin denuo (ab initio) nasci. In v. 5 ex aqua et spiritu; add sancto cav dub eg rush tol wil hent sixt a ff^2 m r. In v. 6 add in fine sin quia Deus spiritus vivus est; sim add quia Deus spiritus est corp e ff^2 m r Hil Amb Vigil taps; quia Deus spiritus est et ex Deo natus est Tert big ben theod ox ken. In v. 7 sin om denuo. In v. 8 sin qui nascuntur ex aqua et spiritu; sim ℵ a b e ff^2 m cg Hil (add sancto). In v. 11 sin amen (semel). In v. 13 ο ων εν τ. ου. om ℵ B L T 33 aeth Cyr Or Eus; sin qui est ex coelo; c qui erat. In v. 15 non habent ℵ B L T aliq minusc a f syr (cu, hr) cop Cyr Nonn Cyp Lcif : non pereat sed; sin habet; item Α Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it Chr Thdrt. In v. 18 sin om iam, et om (in fine) Dei. In v. 19 sin et mundus amavit, uti syr (cu).

Hac narratione palam fit quantae iam exstiterint inimicitiae primorum contra Iesum. Nicodemus enim solum noctu et clam Iesum adire audet. Praeclara autem continetur in eo colloquio manifestatio Christi. Docet enim de generatione nova, docet se esse Messiam, Filium Dei, qui solus ea quae testatur videat, cui itaque summa fides sit adhibenda, qui morte sua salutem omnibus afferat, ut omnes fide in ipsum vitam consequantur beatam; docet unum esse huius fidei salvificae impedimentum : mala hominum opera. — Hoc colloquio evangelista nobis demonstrat, quomodo Iesus cum magistro in Israel agere solitus sit. Ita quoque eius docendi ratio ex synopticis nota nobis modo quodam sublimiore patefit; v. 1 *erat autem homo* (ἄνθρωπος, saepe uti τις) *ex pha-*

risaeis, Nicodemus nomine, quod nomen, uti apud Graecos, ita apud talmudistas quoque reperitur (נקדם, נקדימון; cf. *Lightfoot*, Horae hebr. et *Wetstein* ad h. l.), *princeps Iudaeorum* i. e. synedrista, membrum synedrii (*Corl. Schg. Schz.*); v. 2. *hic venit ad Iesum nocte;* cf. 19,39; nocte venit, ergo clam, occulte, propter metum pharisaeorum, uti postmodum quoque legimus 12,42 : verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur, et uti Ioseph ab Arimathaea dicitur discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum 19,38. Quanto iam odio in Iesum pharisaei flagraverint, ita ut omne cum eo commercium interdictum voluerint, inde clare elucet. Erat quidem Nicodemus, ut *Chr.* ait, « bene affectus erga Christum, nec tamen quantum par erat neque eo quo oportebat animo, sed adhuc iudaica imbecillitate detinebatur; ideo noctu venit, quia interdiu id facere formidabat ».

Neque eam de Iesu concepit sententiam quam post baptistae praedicationem et testimonium potuit concipere; *et dixit ei : rabbi, scimus quia a Deo venisti magister;* proinde Iesus tempore festi etiam docuerat, quod utique facile per se patet, quamvis 1,23 de solis signis sit mentio facta; eum agnoscit prophetam, i. e. aliquem doctorem (διδάσκαλος sine articulo) a Deo missum; *nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis nisi fuerit Deus cum eo;* recte concludit ex signis, eum esse a Deo missum et Deum pro eo testimonium ferre. Cum dicat *scimus*, innuit alios quosdam esse inter pharisaeos eiusdem sententiae, qui tamen pariter metu aliorum retinebantur, neque audebant profiteri rem saltem esse investigatione dignam; ita factum est, ut postea dici potuerit : numquid ex principibus aliquis credidit in eum aut ex pharisaeis (7,48)? Sat humilem de Iesu opinionem habet; adhuc humi repit (*Chr.*); mirum id sane videri debet post baptistae praedicationem, quae ei ignota esse non poterat, praesertim legatione ad eum a synedristis missa. Nihilominus « benignus Deus eum neque repulit neque redarguit nec doctrina sua privavit; verum cum mansuetudine magna ipsum alloquitur sublimiaque ipsi dogmata aperit, aenigmatice quidem, aperitque tamen; multo magis enim venia dignus erat ille, quam ii qui maligne idipsum agebant » (*Chr. Theoph.*).

Quid a tali magistro discere voluerit, ex verbis Iesu colligunt; scil. vel Nicodemum interrogasse de ingressu in regnum Dei (*Mald.*) vel Iesum in eius animo legisse et paratam interrogationem praevenisse (*Schg. Schz.*); at ex assertione Iesu adeo gravi et nervosa v. 3 *respondit Iesus et dixit ei : amen, amen dico tibi,* non tam ad paratam quaestionem respondere videtur, quam praeiudicatam quandam opinionem ei firmiter inhaerentem velle ei eximere; neque obstat *respondit* (cf.

2,18); nam, ut *Rup.* apposite advertit, pharisaei hereditario iure propter patres se regno Dei idoneos putabant, contra quam praesumptionem iam egerat baptista (Matth. 3,9); eandem opinionem fatalem (patrem habemus Abraham, filii regni sumus, Matth. 8,12) Iesus nunc in pharisaeo vehementi hac asseveratione impugnat, aliam prorsus viam et conditionem assignans, ita ut « filius regni » qua talis ineptus per se appareat regno Dei : *nisi quis* (*re*) *natus fuerit denuo*, *non potest videre regnum Dei*, ἄνωθεν, duas habere posse significationes etiam *Chr.* notat, alios explicare ἐκ τοῦ οὐρανοῦ [1], alios ἐξ ἀρχῆς, desuper, a principio (uti in vers. syr.) de novo, denuo. Ei inesse quoque (licet rarius) notionem *denuo* certum est (cf. *Iosephus*, Antiq. 1,18,3; Artem. oneir. 1,13; Dio Chrys. 1,604; cf. *Grimm*, Lex. graeco-lat., *Pape* s. v.). Priorem notionem *desuper*, *coelitus* vix posse hic assumi satis ostenditur interrogatione Nicodemi. Si enim de superna vel coelesti nativitate verba intellexisset, non potuisset ei de iterato introitu in matris vulvam cogitatio incidere. Iesus probabilissime aramaice locutus est; coniectant eum usum esse voce תוב, שנית (*Tol.*) מן דריש, uti in ver. syr.

Nicodemus, sicuti pharisaei omnes, arbitrabatur, quia originem duceret ab Abraham se iam natum esse filium regni; unde audiens Iesu verba de necessitate novae nativitatis, ac si semel esse natum et descendere ab Abraham non sufficeret, v. 4 *dicit ad eum : quomodo potest homo nasci, cum sit senex,* senectutem commemorans eo magis efferre vult rem postulari quae plane fieri nequeat; *numquid potest in ventrem matris suae iterato introire et* (*re*)*nasci;* nativitatem ex progenie Abraham ius tribuere regni Dei existimat; quare alium sensum in Iesu verbis non deprehendit nisi quem exsistere et in opus deduci non posse intelligit; « audivit generationem nec intellexit eam spiritualem esse, sed in carnis vilitatem dictum pertraxit; ideo nugas et ridiculas quaestiones comminiscitur » (*Chr.*). Eum ardore discendi ita interrogasse *Rup.* censet, vel ut aliis placet, paradoxum proponit, ut explicationem provocet. Sed mihi videtur ex praeiudicata illa opinione pharisaeorum, contra quam baptista iam egerat, quam Christus alias quoque impugnat (8,33 seq.) et quam Paulus etiam convellit (Rom. 9, 7. Gal. 4,22 seq.) facillime explicari ut modum loquendi Iesu adeo emphaticum v. 3, ita responsionem Nicodemi.

Ad eandem opinionem stirpitus eximendam non minori emphasi v. 5 *respondit Iesus : amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu* (*sancto*), *non potest introire in regnum Dei;* baptista

1. Vide 3,31 et 19,11; notio *desuper* 19,23 habetur; 8,23 legitur ἐκ τῶν ἄνω.

praedicabat : ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto (Marc. 1,8); verba Iesu haec ex aliqua parte explicant; assumit enim Iesus baptismum aquae, quo praecursor adventum eius praeparaverat, sed addens baptismum Spiritus sancti simul significat ex hoc ritu ope Spiritus sancti gigni novam vitam cuius auctor et largitor sit Spiritus sanctus, quae sit vita spiritualis et vi notionis nativitatis participatio quaedam ipsius naturae Spiritus sancti. Fit enim generatio in similitudinem naturae. Unde declaratur eos tandem esse filios regni qui ex Deo nati sint; cf. 1,13. 1 Ioan. 3,9. 2 Petr. 1,4 divinae consortes naturae. Aqua assumitur, ut ritus congruat homini, corpore et anima constanti (*Cyr.*); dein ex ablutione exteriore intelligitur sanctificatio interior (*Cai.*); vel ex ipso ritu baptismi i. e. immersionis haec *Chr.* colligit : « in aqua tamquam in sepulcro caput immergentibus nobis vetus homo sepelitur et demergitur totus, deinde nobis emergentibus, novus exsurgit ». Necessitas baptismi hoc loco clarissime enuntiatur; agi de aqua vera naturali eaque baptismo necessaria definitum est in Tridentino sess. 7 can. 2.; et profecto Christus qui postea iussit apostolos: docete omnes gentes, baptizantes eos etc. (Matth. 28,19), hoc loco non potuit non hunc ipsum baptismum intelligere. Utique *Weiss* affirmat, historice cogitari plane non posse Christum de baptismo christiano cum Nicodemo locutum esse (es ist geschichtlich undenkbar); sed quibus historiae legibus Iesus prohibitus sit, non explicat; unum quod innuit Nicodemum scil. baptismum non potuisse intelligere, nihil refert. Iesus enim multa dicit quae magister in Israel nondum capit.

Particula ἐκ iuncta verbis generationem, natalia, ortum designantibus indicat originem, fontem, causam. Unde aqua et Spiritus causa totalis novae illius vitae exhibentur; inde facile consequitur aquam quasi instrumentum esse quo Spiritus sese animae iungat et infundat ad novam vitam procreandam. Cur autem eiusmodi nova nativitas requiratur, affertur ratio (cf. *Bar. Schz.*) v. 6 *quod natum est ex carne caro est, et quod natum est ex spiritu spiritus est;* introire in regnum Dei res itaque declaratur plane supernaturalis, ad quam homo suis viribus relictus non possit pertingere, sed ad quam evehi debeat superna Spiritus communicatione. Ita Iesus simul explicat, quid intellexerit nova nativitate, per quam scil. homo non iterum humanum esse accipiat, sed spiritale quoddam; tale est enim natum, quale est principium generationis effectivum : quod ex homine nascitur homo est, quod ex spiritu nascitur spiritus est (*Tol.*). Carnem itaque hoc loco appellat Iesus hominem ipsum secundum esse naturale et humanum (*Tol.*), non explicite naturam corruptam; distinguit enim esse naturale ab esse spirituali quod est per gratiam; et quia esse hominem non sufficit ad videndum re-

gnum Dei i. e. ad introeundum in regnum Dei, sed nativitas ex spiritu requiritur, eo ipso declaratur ordo supernaturalis.

Quoniam pharisaei se utpote filios Abraham etiam filios regni putabant, Iesus ad suam sententiam persuadendam pergit v. 7 *non mireris quia dixi tibi : oportet vos nasci denuo*, ἄνωθεν; cf. v. 3; « cum dicit *ne mireris*, eius animi perturbationem significat; a carnalibus quidem eum abduxerat his verbis : quod natum est ex spiritu spiritus est, quia vero non intelligebat ille quid hoc esset, rursus illum ad aliam transfert imaginem; medium quoddam corporeum inter et incorporeum invenit, venti impetum, τὴν τοῦ ἀνέμου φοράν, indeque illum instituit » (*Chr.*) v. 8 *spiritus ubi vult spirat et vocem eius audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex spiritu* i. e. eodem modo res est, si quis natus est ex spiritu. Comparatio inducitur; unde πνεῦμα in priore membro non de Spiritu sancto explicari potest, sed de vento, uti exponunt *Chr. Cyr. Theoph. Alb. Bar. Sa, Mariana, Menochius, Tirinus, Gordonus, Nat. Calm. Patr. Corl. Schg. Schz. Fil.* al.; ubi vult « non significat ventum arbitrio suo ferri, sed naturalem eius impetum et vim sine impedimento latam; significat non posse illum retineri et ubique diffundi nullo eius vim coercere valente » (*Chr.*), vox eius est stridor, sonitus; unde veniat i. e. originem eius, exitum nescimus; utique ex qua regione spiret scitur; uti notat *Thom.* : scitur a qua parte mundi veniat; nescitur in qua plaga determinate incipiat et ubi determinate cesset. Exempli vis in hoc est : « cum in ipsis rebus naturalibus sint de quibus nullo modo dubitamus, quamvis oculis haud queamus ea conspicere, veluti *spiritum* i. e. ventum, quem minime videmus et cuius originem et exitum ignoramus, tametsi vocem audimus, multo minus cum aliquid nobis credendum proponitur quod naturae ordinem excedat, licebit assensum detrectare propterea solum quia mente id non assequimur » (*Patr.*). Spiritus sanctus inspirationem, vim suam exserit, *ubi vult*, nullo impedimento coercetur; homo internam eius allocutionem percipit, gratiis scil. actualibus illustrationis et inspirationis vario modo tangitur; ipsa utique regeneratio interna, quae fit infusione gratiae habitualis et inhabitatione Spiritus sancti, non percipitur sensu aut mente; verum cum aliqua probabilitate ex effectibus concludi potest; vide v. g. Gal. 5,22 fructus autem Spiritus est : caritas, gaudium, pax etc.

Multi quidem veterum, immo maxima pars, ut *Mald.* dicit, explicant πνεῦμα de Spiritu sancto; Patres sat multos enumerat *Mald.*, ex interpretibus in ea sunt sententia *Bed. Rup. Tol. Cai. Est.*; alii, ut *Thom.*, utramque acceptionem afferunt. Monent illi, *ubi vult*, non congruere vento, et sciri,

unde ventus veniat i. e. a qua parte mundi (sciri v. g. austrum venire a meridie) et quo vadat v. g. ad aquilonem (*Aug.*). Verum hisce non evertitur prior explicatio, in qua, quia comparatio instituitur, operatio Spiritus sancti certe non cum seipsa comparatur, id quod ad rem elucidandam nihil conferret, ut alia incommoda omittam. Exemplum enim ab eo cuius causa affertur debet esse distinctum (*Mald.*). Dicitur *ubi vult*, ideo fortasse, quia Iesus in exemplo iam rem designatam aliquo modo respicit (id quod in parabolis delectu unius vel alterius verbi etiam quandoque cernitur), quare haec personificatio facillime fluit, cui vox πνεῦμα favet, quia sicuti רוּחַ (et spiritus, similiter) et spiritum et ventum dicit. Dein illud *unde veniat* explica non de parte terrae, sed de origine; ubi vero ortus sit ventus qui nunc regionem perflat, etiam hodie nescitur. Singularis est opinio *Mald.* qui v. 8 spiritum pro anima accipi posse censet, ita ut Christus a vita corporali sumat exemplum; spiritus animalis quae vult animat corpora et ex mortuis viva reddit etc.; quem sensum novum quidem vocat *Lap.*, at appositum et connexum. At quantum scio, nemo praeter *Lap.* hanc novam explicationem commendavit et merito quidem, quia singula certe solum valde improprie de anima accipi queunt.

At animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei (1 Cor. 2,14). Fiebat in Nicodemo quod Dominus innuerat : vocem Spiritus audiebat, et nesciebat unde venerat aut quo ibat (*Aug.*) v. 9 *respondit Nicodemus et dixit ei : quomodo possunt haec fieri?* ut scil. homo nascatur ex spiritu et evadat spiritualis modo quodam imperceptibili (v. 6-8). Aliquatenus profecit; nam prius responderat negando : quomodo fieri potest, ut nascatur homo, cum sit senex etc.; nunc ignorando interrogat quasi discere cupiens (*Tol.*). Studium inquirendi in eo laudant *Alb. Bon. Cai.;* eum tamen Iesus aliquo modo reprehendit et tarditatis arguit (*Chr. Euth. Aug. Thom. Tol. Schz.*) v. 10 *respondit Iesus et dixit ei : tu es magister in Israel et haec ignoras?* ὁ διδάσκαλος insignis scil. doctor ab omnibus habitus, celeber doctor τοῦ Ἰσραήλ, populi electi. Miratur Iesus eius ignorationem; nam sufficienter in s. litteris ea continentur, quibus notio illa adumbratur; iam veteres monent de locis Ez. 11,19; 36,25. 26; Zach. 13,1 (cf. *Rup. Thom. Ians. Tol. Mald. Bar. Lap.*); legitur de mutatione interiore per Spiritum; dicitur Saul mutatus in alterum virum, legitur unctio Spiritus (*Tol.*). Verum pharisaei iustitiam in externa legis observatione reponentes et regnum messianum exspectantes tamquam regnum potius temporale satis aberant a notione internae cuiusdam regenerationis et renovationis. Valebat iam quod apostolus dicit de velamine in lectione veteris testamenti non revelato (2 Cor. 3,14; *Schz.*).

Iesus autem ad quaestionem *quomodo* non respondet, verum gra-

vissima monitione ei inculcat necessitatem credendi sibi, quippe qui clarissima scientia earum rerum praeditus de iis testimonium perhibeat; oportere scil. ut verbis suis plenissima adhibeatur fides, etsi res asserta quomodo sit vel fiat non percipiatur. Nicodemus Iesum confessus est magistrum a Deo missum (v. 2); iam explicat Iesus qualis sit magister : v. 11 *amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur et quod vidimus testamur et testimonium nostrum non accipitis;* magno pondere certissimam scientiam declarat; « visus plus quam alii sensus nobis fidem facit, et cum persuadere volumus, ita loquimur : non audita percepimus, sed ipsis oculis vidimus; ideo Christus humano more ipsum alloquitur, hincque dictis fidem facit » (*Chr. Cyr.*) et quanta asseveratione certissimam suam scientiam ex visu haustam proponat, declarat voce *testamur*, sollemni modo testimonium reddit, non simpliciter narrat vel exponit; attende progressum et vim sermonis : scimus; plus est vidimus; loquimur, gravius est testamur. Is qui loquitur et testatur est Iesus homo; unde consequens esse videtur, ut etiam *scimus*, *vidimus* intelligatur de scientia ea quam habet in natura humana, de scientia et visione animae eius humanae. Est utique una persona Verbi. Quare absolute fieri posset, ut *scimus, vidimus* solum referretur ad Verbum qua Verbum, sicut Christus dicit : antequam Abraham fieret, ego sum (8,58). Attamen sensu obvio ea quoque de humana natura intelliguntur, qui sensus propius adiacet, quia demum humana natura loquitur et testatur et Nicodemus cernens hominem humanae eius menti clarissimam scientiam ac visionem esse praesentem non potuit non existimare. Illud *scimus* explicat magis ac determinat addens *vidimus* ἑωράκαμεν i. e. visione percepimus et nunc videmus, quae notio τοῦ ἑωρακ. (cf. 9,37. 1 Ioan. 4,20; *Winer* § 40, 4, b) etiam magis congruit animae Iesu humanae quae visione utique percepit et nunc videt; ceterum vide quae ad 1,18 dicta sunt. Quod itaque nullus propheta de omnibus quae docuit dicere potuit, *vidimus*, id Iesus de tota sua doctrina affirmat. Loquitur enim in universum neque est ratio eius testimonium solum restringendi ad rem Nicodemo expositam. Quare attentis omnibus quae testatur de Patre, de Paraclito etc. illud *vidimus* sensu explicato referendum erit ad visionem beatam et intuitivam quam eius anima habuit de divina essentia.

Uno hoc loco Iesus inducitur loquens in plurali : scimus etc. Quare veteres et recentiores quaerunt, cur ita loquatur. Ita eum loqui tamquam Verbum quod in se ipso habet Patrem et Spiritum φυσικῶς multi censent (*Cyr. Alb. Thom. Bon. Ians. Bar. Lap. Schz.*), vel loqui de se et Patre : quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater, et qui misit me mecum est

et non reliquit me solum (cf. 8,16. 29; 16,32; 1,18; ita *Chr. Euth. Rup. Patr.*); at, quamvis haec acceptio ad *scimus* accommodetur, tamen minus apte congruit ad *vidimus*, et neutiquam ad *loquimur*. Nullo quoque modo locutio explicatur ex scientia increata et creata (*Cai.*), neque ex eo quod discipulos ea secum scire ac testari indicare velit (*Bon. Alb. Fil.*), neque quia secum baptistam testem assumat (*Weiss*). Unde enim discipuli vel baptista censeri possent haec scire, vidisse, loqui? Et Christus effert, cur sibi fides sit adhibenda, etsi mysteria, homini impervia, proponat. Quare necessario sequitur Christum de se loqui sine consortio discipulorum. Explica itaque de plurali rhetorico auctoritatis et emphasis gratia (*Schz.*) vel dic numerum pluralem poni secundum modum dicendi evangelistae proprium (cf. 21,24). Alium explicandi modum *Mald.* excogitavit : « sic igitur interpretor, ut Christus nec de se nec de una aliqua re quam ipse sciat aut viderit, sed de omnibus bonis testibus et de omni similiter testimoniorum materia generaliter loquatur, id est : non solemus testari nisi quod scimus ac vidimus; quare eo ipso quod vides me hoc tam constanter affirmare atque testari, existimare debes me certo scire credereque te oportet. Hac ratione nihil in tota sententia difficultatis remanet ». At mihi persuadere non possum, Christum (ut alia mittam) sententiam quandam generalem de bonis testibus sollemni illa formula vestitam voluisse : amen, amen dico tibi. Potius concedam numerum pluralem nos debere evangelistae et Iesum de se solo in singulari locutum esse, uti ex sequentibus quoque patet.

Cum itaque Iesus talis sit rerum testis, simplice fide eius testimonium accipiendum est. Et cum haec respondeat ad quaestionem : quomodo haec fieri possunt? simul indicat, si qua intelligentia concedatur, illam datum iri atque acquiri posse simplice fide (*Chr.*); tarditatem redarguit : *et testimonium nostrum non accipitis;* videt enim in uno pharisaeo Nicodemo haesitante et simplicem fidem verbis suis non adhibente exprimi indolem pharisaicam et merito quidem ex ipso Nicodemi sermone; nam dixerat de se et sui similibus : *scimus* quia a Deo venisti magister (v. 2) et tamen homini magnae auctoritatis repugnat (*Thom.*); unde Iesus merito sermonem ad totum transfert ordinem. Quam incredulitatem quo magis efferat addit eos non credidisse sibi terrena dicenti; quid tandem facturi essent, si coelestia diceret (*Mald.*); v. 12 *si terrena dixi vobis et non creditis, quomodo si dixero vobis coelestia credetis?* τὰ ἐπίγεια ea quae in terra fiunt, in terra sunt (οἱ ἐπίγειοι terrae incolae, homines) merito intelliguntur de ipsa illa regeneratione, de qua Christus locutus est v. 3. 5-8; ita eam vocat quia in terris confertur, uti *Chr.* dicit aliique (*Theoph. Euth. Thom. Tol. Corl. Schz. Weiss;* similiter *Schg.* qui refert ad v. 6). Longius abest quod *Aug. Bed. Rup.* proponunt intelligi 2,19; vel quod *Ians. Bar.* habent, referri ad doctrinam de virtutibus vitiisque quam para-

bolis in templo exposuisset; neque *terrena*, terrestria, coelestia, non ad res ipsas, sed ad modum loquendi referri possunt, ut *Mald.* vult. Erunt itaque *coelestia* ea quae in coelis exsistunt : mysterium S. Trinitatis (aeterna Verbi generatio, consilia divina de hominum redemptione (cf. *Chr. Theoph. Euth. Tol. Schz. Fil.*). Ipsa hac reprehensione eos tacite allicit ad credendum iis quae dicta sunt exhibens spem fore ut multo maiora et sublimiora addiscant (cf. *Tol.*).

Atque se habere revera scientiam talem rerum coelestium, proinde sublimissima quaeque a se doceri posse eos qui credant, exponit ita ut simul suam naturam divinam clare exprimat v. 13 *et nemo ascendit in coelum;* utique, ut quis coelestia ex certa sua scientia et visione doceat et testetur, opus est, ut ascenderit in coelum ibique fuerit; id quod nemini contigit; unde patet quam longe absint homines, ut divina mysteria cognoscant, nisi ea illis ipse explicaret qui exsistens in coelo e coelo venerat, *nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo;* nemo ascendit, nisi... ita explica, ut ex *ascendit* ἀναβέβηκεν id suppleatur quod per ascensum comparatur et ex ascensu consequatur scil. exsistentia in coelo : nisi Filius hominis qui habet id quod per ascensum acquiritur (*Bar.*), ascendisse enim hoc loco nihil aliud significat nisi contemplatum esse coelestia (*Ians.*). Quare simul declarat sibi longe maiorem deberi fidem quam omnibus prophetis, quippe qui ipsa divina nunquam conspexerint. Et Nicodemo, qui eum confessus erat magistrum a Deo, clare insinuat se sensu longe sublimiore esse magistrum a Deo missum, se *descendisse* de coelo, scil. quatenus Verbum hic et nunc in terra humanam naturam assumpsit et ita visibili quadam ratione in terris commoratur. Notanda est hic communicatio idiomatum, ut theologi loquuntur, quae ex una persona exsistente in duabus naturis oritur. Filius hominis i. e. Messias dicitur descendisse de coelo, cum tamen id soli Verbo competat; duo itaque hic brevissime enuntiantur : divinitas et unica hypostasis; quare veteres ex hoc loco multum contra Nestorium arguunt. Descendit in terram *Filius hominis qui est in coelo;* vide ad 1,18.

Uti eousque ad fidem adhortabatur explicans summam suam auctoritatem, ita in sequentibus fidem summopere commendat eo quod fide summum acquiritur bonum, incredulitate summum incurritur malum. Proinde declarat quam necessarium sit et quam utile sibi credere unico salutis nostrae auctori et fidem plane requiri ad salutem (cf. *Tol. Ians. Bar.*); v. 14 *et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*, v. 15 *ut omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam aeternam;* cf. Num. 21,9 : fecit Moyses serpentem aeneum et posuit eum pro signo, quem cum percussi (ab igni-

tis serpentibus v. 6) aspicerent sanabantur. Hoc autem exemplum elegit quia optime declarat et unice ex variis figuris salutem ex ipsa morte Christi non obvenire posse nisi credentibus, iis scil. qui cum fide in Christum exaltatum aspiciunt (cf. Sap. 16,5). Proinde consequitur ipsum illud quod pretii est infiniti, mortem et satisfactionem Christi, nihil prodesse posse ei qui fide careat; e contra vero fide hauriri fructum mortis Christi, vitam aeternam. Exaltationem non intelligi exaltationem in gloria (ut *Ammonius* vult in Cat. Cr.) sed exaltationem in cruce, iam ipso exemplo serpentis innuitur et clare patet 8,28 et 12,32. 33; Christus itaque hic iam iterum (cf. 2,19) mortem suam praedicit, neque refert, si Nicodemus plenam significationem non assecutus est. Ex ipso exemplo id discere et intelligere potuit, ut olim qui a serpentibus morsi erant in deserto, salutem corporalem consequebantur intuentes serpentem a Moyse erectum, ita vitam aeternam eos solos adepturos esse qui Christo credant. Lectionem graecam explica : ut omnis qui credit, in ipso habeat vitam aeternam (cf. *Schg. Schz. Weiss*), in coniunctione cum ipso, in unione cum eo qui est caput Ecclesiae, ipsi scil. insitus et cum ipso complantatus (cf. Rom. 6,3. Col. 1,18; 2,19), quam intimam coniunctionem ipse Iesus varie declarat 14,20; 15,2. 4-7. Dicitur exaltari *oportet* δεῖ decreto scil. et consilio divino quod in vaticiniis typisque manifestatum est, ita est constitutum (cf. Matth. 17,10; 24,6; 26,54. Luc. 24,46. Act. 3,21; 4,12. 1 Cor. 15,53 etc.). In exemplo allato varia considerantur a veteribus; unum effert Iesus; « hoc enim interest inter figuratam imaginem et rem ipsam : figura praestabat vitam temporalem, res ipsa cuius illa figura erat, praestat vitam aeternam » (*Aug.*).

Quo consilio divino (δεῖ) nobis manifestatur quanta sit Dei in nos dilectio et simul ex magnitudine dilectionis concluditur magnitudo fructus et salutis (*Thom.*); v. 16 *sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam;* aliqui, uti iam *Tol.* monet, haec et sequentia iam non verba Iesu, sed evangelistae esse volunt; at verba adeo sunt sublimia neque ulla apparet ratio cur hic sermo Iesu abrumpatur; quare oratio Iesu continuatur (*Schg. Schz. Patr. Corl. Fil. Keil, Weiss* etc.). Singulis verbis praestantia dilectionis Dei commendatur : prior dilexit, homines dilexit, inter quos et Deum tanta dissimilitudo est, ut nulla conciliandi amoris causa esse videatur, eosque homines peccatores, a quibus offensus erat peccatis innumeris et Deus tantus ac talis, immensus, infinitus, nullius egens, nullius debitor, nihil pro se ab hominibus acquirens. Dein cum probatio dilectionis exhibitio sit operis, magnitudo doni testatur immensitatem amoris;

dedit filium, non quemvis, non unum ex multis, sed unigenitum, unicum, et dedit eum, ut morte sua acerbissima salutem conciliaret credentibus (cf. *Ians. Mald.*). Item effertur magnitudo dilectionis in ipso fructu, in vita aeterna, quae iam omnibus proponitur assequenda modo perquam facili, dummodo scil. Filio Dei unigenito, tali ac tanto doctori, integra fide se committant. Fidem vero non intelligi sterilem, sed qua tota regatur vita, qua instituta a Christo et praecepta serventur, iam satis elucet ex nova illa nativitate ex spiritu, qua homo evadat spiritualis v. 5. 6; unde novo vitae fonte ac principio percepto novam quoque vitam agere eum oportet. Fides autem effertur, quia est radix et fundamentum omnis verae coram Deo iustitiae. Quid incredulum maneat, subindicatur eo quod dicitur : ut qui credit non pereat; peribit igitur i. e. non habebit vitam illam aeternam beatam, sed interitui aeterno mancipabitur. — Ex hoc loco *Mald.* concludit « Christum in hunc mundum venturum non fuisse, si homines non peccassent; hanc enim solam causam adventus sui et Christus hoc loco et Scriptura universa et veteres auctores omnes reddunt, ut homines a peccato liberaret ». De qua re theologi in utramque partem disputant.

Iudaei exspectabant Messiam ut iudicem et vindicem per quem gentes puniantur, et in vaticiniis quoque saepe dicitur Deum venturum ad iudicium et Messiae quoque adscribitur iudicium (cf. Is. 11,4; 50, 11; 63,1. Mal. 3,2). Verum hisce non obstantibus venit Messias prius ad salvandum; insuper potest distingui cum *Thom.* iudicium discretionis et condemnationis; prius utique iam exercet Messias in priore adventu, « quia eo veniente homines discreti sunt quidam per caecitatem, quidam vero per lumen gratiae ». Potissimum igitur contra opinionem Iudaeorum de iudicio in gentes (*Rup.*) additur v. 17 *non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum;* cf. Matth. 20,28 venit dare animam suam redemptionem pro multis; « ergo quantum in medico est, sanare venit aegrotum; ipse se interimit qui praecepta medici observare non vult; venit salvator ad mundum; salvari non vis ab ipso? ex te iudicaberis » (*Aug.*). Modo loquendi indicatur mundum iuste damnari et sententiam condemnationis in eum ferri potuisse. Omnes enim peccaverunt (cf. 1 Ioan. 1,8-10. Rom. 3,23; 11,32). Hanc vero condemnationem peccatis pro Dei iustitia debitam solus evitare potest qui credit; sub ea constrictus manet et iacet qui non credit v. 18 *qui credit in eum non iudicatur,* ille enim habebit vitam aeternam v. 15. 16; in eo attingitur id quod Deus vult mittens Filium in mundum v. 17; *qui autem non credit iam iudicatus est, quia non credit in nomine* εἰς τὸ ὄνομα *unigeniti*

Filii Dei; cf. 2,23; similiter 5,24: qui credit... in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam. Omnes enim nascuntur peccatores, sunt natura filii irae, et peccatis commissis irae et damnationi se obnoxios reddunt. Qui itaque unicum salutis subsidium arripere non vult i. e. qui non credit in unicum mundi salvatorem, *iam iudicatus est,* quia manet sub sententia condemnationis in peccatores lata, neque opus est novo iudicio (cf. *Chr.*) vel discussione, sed proprio iudicio condemnatus est, uti apostolus quoque ait de haeretico obstinato (Tit. 3,11; *Ians.*).

Illud *iam iudicatus est* nunc explicatur et ad conditionem hominum applicatur v. 19 *hoc est autem iudicium,* in eo consistit iudicium, quo quis se ipsum iudicat et condemnat (cf. *Ians. Mald. Schz.*), *quia lux venit in mundum et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem;* cf. 1,10 et mundus eum non cognovit; haec ignorantia dicuntur hic tenebrae; cf. 1,5. Cur autem lucem divinitus oblatam, sive per illustrationem internam (1,9), sive per doctrinam traditam, reiecerint i. e. cur tenebras *potius* dilexerint quam lucem, ratio est: *erant enim eorum mala opera;* proinde corruptio cordis, mores peccaminosi maximum sunt impedimentum fidei; ita quoque 5,44 dicitur: quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? et *Chr.* adnotat, quia Christianismus cum recta doctrina probam vitam expetat, multos ad nos venire formidare, quia nolint vitam rectam exhibere. Et causa redditur v. 20 *omnis enim qui male agit odit lucem et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius;* locutio est metaphorica, desumpta ab his qui indecora agunt et tenebras quaerunt et lucem fugiunt; ita qui deditus est malis operibus, quamdiu talis est odit lucem veritatis, quatenus haec affectui eius contraria est et iniustitiam eius prodit, et ideo non accedit ad lucem, sed fugit eam et repudiat, ne reprobentur opera mala. Ita qui peccatis indulget, facile sibi fingit rationes futiles eisque adhaeret, quibus stimulos conscientiae sedet vel veritates fidei de poenis aeternis etc. in dubium vocet, ut non damnentur opera eius. Insuper affectus hominis vitiis inhaerens et ea relinquere recusans impedit ne intellectus fidei veritati assensum praebeat; mavult enim homo credere quod eius malefacta excuset quam quod condemnet (*Tol. Ians.*). Falso concludit ex hoc v. *Holtzmann* apud Ioannem pro iudicio universali poni hoc iudicium quo se quisque condemnet; vide 5,27-29.

E contra, qui honeste agit, amat solem; pergitur in locutione metaphorica v. 21 *qui autem facit veritatem*, qui opera veritatis diligit et facit (*Cyr.*) ea scil. quae normae ac regulae veritatis conformia sunt, proin recta, iusta, proba, *venit ad lucem, ut manifestentur opera*

eius; is scil. non habet cur caliginem quaerat; opera eius solem et notitiam publicam non formidant, e contra inde illis laus et approbatio contingit. Ita qui secundum legem cordi inscriptam et secundum illuminationem a Deo acceptam vitam suam componit, is ultro et gaudens venit ad amplectendam doctrinam veritatis quae ei proponitur; neque refugit opera sua hac luce doctrinae examinari et qualia sint manifestari, *quia in Deo sunt facta*, i. e. secundum Deum, divinae voluntati conformia. Is scil. habet bonam conscientiam; unde lucem veritatis nullatenus timet et quam maxime aptus est ad lucem oblatam recipiendam. Opera illa bona, opera veritatis, in Deo dicuntur facta, quia luci divinae qua homo illustratur (1,9) conformia sunt, ideoque lucem quasi natura sua appetunt. Alter enim sensus, qui verbo *in Deo* subesse posset, ea virtute Dei facta esse, hic ad argumentum non congruit (*Tol.*), quamvis omnino verum sit opera bona non fieri sine divino auxilio. Verba haec v. 19-21 aliqui ad solos referunt Iudaeos (*Patr. Weiss*); sed modus loquendi est plane generalis et quam maxime factus ad 1,9. 10; dein ipsa sententia etiam enuntiat id quod ad omnes homines pertinet; quare cum *Rup. Thom.* verba de omnibus erunt interpretanda.

Quandoque quaeritur, sintne v. 19-21 verba Christi, an explicatio ab evangelista addita. Cum fere sententia in prologo enuntiata referatur, videri possunt ea addita ab evangelista; et quod in v. 19-21 habetur, videtur appositum, ut illud *iam iudicatus est, quia...* explicetur. At ex altera parte Iesus ipse se vocat lucem mundi 8,12; si sententia cum prologo congruit, non sequitur eam esse ab evangelista profectam; nam veritates etiam ibi enuntiatas evangelista non ex se solo hausit; verum scribit se annuntiare *quae audivimus... audivimus ab eo* 1 Ioan. 1,1. 3,5. Et cum in v. 22 pergatur : post haec venit Iesus etc., potius indicatur totum quod antecedit pertinere ad colloquium cum Nicodemo, de quo narrare incepit v. 1. Ipsum Ioannem (et alios quoque discipulos) colloquio interfuisse, probabile est iam ex eo, quia Ioannes rem adeo accurate refert et postea quoque iterum scribit noctu Nicodemum venisse (19,39); ita de eventu cuius testes fuimus narrare solemus.

Doctrinarum quas hic Iesus tradit semina quaedam et vestigia etiam apud synopticos reperiuntur. Ita cum Christus apostolos iubeat baptizare (Matth. 28,19), profecto huius baptismi vim et efficaciam illis etiam explanavit; proin necessario iis dixit quae hic v. 3-8 legimus. Clarissimam rerum coelestium scientiam ex visione sibi vindicat hic v. 11 seq.; neque minorem sibi attribuit Matth. 11,27 : omnia mihi tradita sunt a Patre meo; et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare. En habes re idem quod dicit 1,18 Deum nemo vidit unquam et 3,13; et cum asserat se a solo Patre cognosci, sicut ipse

solus Patrem noscat, satis se aequalem Patri affirmat, quam aequalitatem etiam enuntiat in praecepto baptismi εἰς τὸ ὄνομα etc. Praeterea Christi divinitas etiam apud synopticos declaratur eo quod Iesus toties ratione adeo singulari Deum suum vocat Patrem, quod miracula omnis generis virtute propria patrat et ea patrandi vim aliis tribuit, quod salutatur Filius Dei vivi (Matth. 16,16) quam confessionem dicit Petro revelatam esse a Patre coelesti, quod a Deo appellatur Filius meus dilectus (unicus; cf. ad Matth. 3,17; 17,5). Porro quod hic 3,14. 15 dicit, etiam enuntiatur Matth. 20,28 : venit Filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis. Dein quod hic tam graviter monet fidem sibi esse adhibendam, id apud synopticos quoque cernitur, quia ubique fidem exigit, de modica fide increpat. Et qui discipulos suos vocat : vos estis lux mundi, et qui iubet : luceat lux vestra (Matth. 5,14. 16) et lucernam vetat abscondi, is sane et se ipsum vocat lucem et doctrinam lucem. Ipsum venisse, non ut iudicet, sed ut salvet homines, luculenter ostenditur etiam apud synopticos, dum peccata remittit, cum peccatoribus conversatur, parabolas de divina misericordia proponit, omnes ad se invitat laborantes et oneratos : ego reficiam vos. Deum misisse Filium suum et tradidisse eum enuntiatur in parabola : novissime misit ad eos filium suum etc. (Matth. 21,37.)

c) Iesus in terra Iudaea 3,22-36.

3,22. Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. 23. Erat autem et Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim, quia aquae multae erant illic; et veniebant, et baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.

25. Facta est autem quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis de purificatione. 26. Et venerunt ad Ioannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Ioannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim : Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 31.

3,22. Μετὰ ταῦτα ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. καὶ ἐκεῖ διέτριβεν μετ' αὐτῶν καὶ ἐβάπτιζεν. 23. ἦν δὲ καὶ ὁ Ἰωάνης βαπτίζων ἐν Αἰνὼν ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ, ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ· καὶ παρεγίνοντο καὶ ἐβαπτίζοντο, 24. οὔπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν Ἰωάνης.

25. Ἐγένετο οὖν ζήτησις ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάνου μετὰ Ἰουδαίου περὶ καθαρισμοῦ· 26. καὶ ἦλθον πρὸς τὸν Ἰωάνην καὶ εἶπαν αὐτῷ, Ῥαββεί, ὃς ἦν μετὰ σοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, ἴδε οὗτος βαπτίζει, καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. 27. Ἀπεκρίθη Ἰωάνης καὶ εἶπεν, Οὐ δύναται ἄνθρωπος λαμβάνειν οὐδὲν, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. 28. αὐτοὶ ὑμεῖς μοι μαρτυρεῖτε ὅτι εἶπον ἐγώ, Οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ὅτι ἀπεσταλμένος εἰμὶ ἔμπροσθεν ἐκείνου. 29. ὁ ἔχων τὴν νύμφην νυμφίος ἐστίν· ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου, ὁ ἑστηκὼς καὶ ἀκούων αὐτοῦ, χαρᾷ χαίρει διὰ τὴν φωνὴν τοῦ νυμφίου. αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται. 30. ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι. 31. ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστίν. ὁ ὢν ἐκ

Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est et de terra loquitur. Qui de coelo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit et audivit, hoc testatur; et testimonium eius nemo accipit. 33. Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur; non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius. 36. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

τῆς γῆς ἐκ τῆς γῆς ἐστὶ, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ· ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος ἐπάνω πάντων ἐστὶν, 32. ὃ ἑώρακεν καὶ ἤκουσεν, τοῦτο μαρτυρεῖ· καὶ τὴν μαρτυρίαν αὐτοῦ οὐδεὶς λαμβάνει. 33. ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν. 34. ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ· οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν τὸ Πνεῦμα. 35. ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. 36. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν.

In v. 22 l et baptizabantur ab eo. In v. 23 eg salim trans Iordanen; e in eremo; f in deserto. In v. 25 Ιουδαιου ℵ^c A B L Γ Δ unc 8 al syr (sch, sin) Chr Cyr Nonn; sin praebet unum ex discipulis cum Iudaeo disceptasse. In v. 26 sin et multi veniunt ad eum. In v. 27 e facere quicquam a se; L Λ aliq minusc syr (sch, hr) arm aeth Eus Chr λαμβανειν αφ εαυτου. In v. 29 sin quoniam is qui habet sponsam... gaudet gaudio magno. In v. 31 longe pler habent επανω παντων εστιν; om ℵ* D aliq minusc syr (cu, sed sin habet) a b e f ff^2 l, Or Eus Nonn; sin *in* terra est. In v. 32 dub eg hub accepit. In v. 34 διδωσιν το πνευμα sine addit ℵ B C* L T b e f l Cyr; sin non ad mensuram suam dat Deus Pater (om spiritum, uti B*). In v. 35 in manus eius dub eg for mt b r; in sinu c.

Rerum gestarum seriem secutus evangelista narrat Iesum per aliquod tempus in regione iudaica esse commoratum cum discipulis qui etiam baptismo populum ad doctrinam Christi suscipiendam praeparabant; dein adiungit ultimum ac praeclarissimum baptistae de Iesu testimonium quod suis discipulis exhibuit antequam in carcerem coniiceretur. Cur hoc testimonium quoque explicite referatur, collige ex iis quae ad 1,8 dicta sunt.

Commoratione longiore in Iudaea indicata evangelista iam explicite statuit quod apud synopticos solum innuitur, scil. Iesum etiam Iudaeam diligenter doctrina excoluisse (cf. Matth. 23,37. Luc. 13,34) v. 22 *post haec* i. e. post colloquium cum Nicodemo habitum vel potius post omnia in urbe diebus festis gesta (ita *Chr. Schz.*); indicatur enim profectio ab urbe, *venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam* εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν in iudaicam regionem, ita ut terra iudaica opponatur urbi, *et illic demorabatur cum eis,* quod postea Pilato dixit: ego palam locutus sum mundo etc., hoc nunc fecit; illa enim quae magis frequentabantur loca semper petebat, ut pluribus prodesset (*Chr.*) *et baptizabat,* non quidem ipse (cf. 4,2) sed discipuli eius; ipse itaque dicitur baptizasse, quia eius mandato discipuli baptizabant. Ita

plerumque explicant; alii tamen duos locos (hunc et 4,2) ita exponunt, ut Christus ipse quosdam paucos baptizasse, sed generatim non baptizasse dicatur (cf. *Mald. Menochius*). Iste baptismus per discipulos Iesu datus ad id inserviebat, ut populus ad Iesum adduceretur, eius doctrinam audiret et ad fidem in eum praepararetur (cf. 4,1). Ritus enim ille a baptista inceptus et ad poenitentiam excitandam administratus augurium quoddam erat appropinquantis regni Dei (cf. Matth. 3,2 seq.). Unde sicut Iesus ipse iisdem verbis incepit praedicare, quibus praedicabat Ioannes (Matth. 4,17. Marc. 1,15) ita plane congruebat, ut discipuli eius eodem modo quo Ioannes populum Domino pararent.

Quaeritur, habuitne iste baptismus discipulorum Iesu vim sacramenti novae legis? Sat multi id affirmant; eo peccata esse purgata (*Aug. Bed. Thom.*), regenerasse istum baptismum (*Bon.*), gratiam contulisse (*Alb.*), spiritum, spiritum et gratiam dedisse (*Ians. Bar.*) et ita *Tol. Mald. Lap. Calm.*, probabilius fuisse sacramentum *Corl.* Cur censendus sit sacramentum, has rationes affert *Tol.* : « si enim esset baptismus Ioannis non erat cur fieret contentio inter Iudaeos et Ioannis discipulos de baptismo, nec erat cur discipuli eum apud Ioannem detulissent quod baptizaret, nec Ioannes respondisset : nemo potest accipere quidquam nisi quod datum est desuper ei, quasi baptismum Christi suo praeferens. Et ita conveniens fuit ut proprium tunc Christus haberet baptismum et sic a Ioannis distingueretur ». Quas rationes parum efficaces esse facile perspexeris. Nam aemulatio illa orta est quia discipuli videbantur usurpasse id quod Ioanni proprium erat et quia plures iam ad Iesum quam ad Ioannem veniebant (v. 26) et hoc idem quod plures ad Iesum veniunt, ipsi Iesu datum esse desuper baptista declarat.

Verum alii vim sacramenti novae legis ei baptismo infuisse negant. Ita *Tertullianus,* de baptismo 11 (*M.* 1,1212), *Chr.* nihil plus habuisse discipulorum baptisma quam Ioannis; et *S. Leo* dicit Christum demum post resurrectionem tradidisse discipulis formam et potestatem baptizandi, « de quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere, nisi proprie voluisset intelligi regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse » (epist. 16,3; *M.* 54, 699) atque eo fere modo etiam arguit *Rup.* (*M.* 169,332-333) et *Estius* scribit : « nota quod discipuli Christi baptizantes non praemittebant alium catechismum quam agendae poenitentiae et appropinquantis regni coelorum, sicut alibi satis indicatur; non enim praedicabant mysterium Trinitatis, nec Iesum esse Christum; id enim vetabantur tunc adhuc propalare; an igitur verum Christi baptisma tunc conferebatur absque invocatione Trinitatis, expendat lector »; pariter negant fuisse sacramentum *Schz. Schg. Fil.* Scribit quidem *Mald.* : hic hodie error est. At unde id probetur non affert. Neque id ullo pacto sequitur ex Tridentino, sess. 7 can. 1 de baptismo : si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi, a. s. Nam qualis baptismus Christi ibi intelligatur, evidens

est ex errore contra quem ille canon est editus. Error autem est hic, quem Melanchthon proposuit in locis communibus : « nempe esse eandem vim baptismi Ioannis et apostolorum, Ioannes de passuro Christo, apostoli de passo et resuscitato praedicant; tamen ministerium fuit idem et effectum eundem habuit in credentibus » (cf. *Theiner,* Acta Conc. trid. I p. 384, error IX).

Hoc solum loco mentio fit discipulos Iesu baptizasse; unde solum eo tempore commorationis in regione iudaica, dum baptista erat superstes, baptizasse dicendi sunt. Nam apud synopticos talis baptismus non commemoratur neque in ulla narratione de commoratione in Galilaea vestigium baptismi cernitur. Id iam mihi videtur sufficiens indicium, ut censeam eo baptismo non esse collatam remissionem peccatorum. Si enim tale beneficium tum Iesus voluisset conferre, cur id ad breve tempus in regione iudaica restrinxisset? Uti igitur illa unctio aegrotorum, de qua Marc. 6,13, non erat sacramentum unctionis, sed praefiguratio quaedam ac prolusio, ita baptismus ille pariter censendus erit a ratione sacramenti novae legis alienus.

Baptistam non solum in regione Iordanis praedicasse — id quod ex synopticis videri posset — discimus ex v. 23 *erat autem et Ioannes baptizans in Aennon iuxta Salim, quia aquae multae erant illic, et veniebant et baptizabantur;* sed cur continuat baptista suo fungi munere, quamvis Iesus iam incepisset vitam publicam? Missus erat ut baptizaret in aqua (1,33) et ut Christo populum pararet; unde sicut iussus erat a Deo egredi e solitudine et officium suum suscipere, ita ab eo merito non desistit, donec novo Dei mandato vel aliquo Iesu nutu ei significetur suas partes iam esse actas. Merito itaque pergit donec divina dispositio alia ei innotescat; nam quod suo arbitrio non suscepit, suo arbitrio non poterat derelinquere. Miles quippe non potest discedere a statione, donec avocetur. Mox ei indicabitur iste a statione discessus, cum Deo permittente carcere ab Herode includetur. Interea baptizat in Aennon, Αἰνών עַיִן fons; עֵינָן (cf. Num. 1,15; 2,29; 7,78 etc.); plurali aram. עֵינָוָן fontes, iuxta Salim « oppidum iuxta Scythopolim, quod usque hodie vocatur Salem » (*Hier*. ep. ad Evang. 73; *M*. 22,680, a quo Salem regem Melchisedec fuisse dicit, uti etiam *Thom*.). Quod Eusebius et Hieronymus in Onom. dicunt, etiam repetit *Beda :* ostenditur nunc usque locus in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem; similiter *Mald. Schg. Schz.* (in regione inter Iezreel et Scythopolin; cf. Iudith 4,4 graece; *de Lagarde*, Onom. 99,22 et 229,87). Appropinquavit itaque baptista ditioni Herodis, qui mox molestum censorem in carcerem coniiciet. Alii Salim et Aennon quaerunt in meridionali parte regionis iudaicae, ubi Ios. 15,32 Selim et Aen nominantur; id quod

fortasse propter disceptationem de baptismo probabile nonnullis videri potest, quia ita Iesus et Ioannes in eadem regione commorantur; alii locum inveniunt in hodierno *Salim* quod distat a Sichem orientem versus una hora et dimidia. At perfacile intelligitur, invidiam discipulorum Ioannis etiam excitari potuisse, etsi uterque in locis dissitis versabantur, neque cum discipulis Iesu disceptabant. Addit autem evangelista v. 24 *nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem,* « quod ideo dicit, ut det intelligere quod ipse incepit narrationem de factis Christi ante alios evangelistas; alii namque inceperunt narrare opera Christi solum a tempore incarcerationis Ioannis; unde dicitur Matth. 4,12 cum audisset Iesus quia Ioannes traditus est secessit in Galilaeam » (*Thom.*). Ex synopticis enim videri posset Iesum non incepisse praedicationem nisi Ioanne in carcerem misso. Prodit igitur evangelista sibi bene innotuisse quae synoptici narrant, et se velle cavere inter alia, ne perperam intelligantur.

Cum uterque baptizaret, Ioannes autem maius fore praedicaret baptisma eius qui post se venturus esset, v. 25 *facta est autem quaestio ex discipulis Ioannis cum Iudaeis* μετὰ Ἰουδαίου *de purificatione* i. e. de baptismo; initium disceptationis factum esse a discipulis, modo narrationis indicatur (*Chr. Thom. Bon. Alb. Cai. Mald.* recentiores); eos movit invidia; videtur Iudaeus quidam baptisma discipulorum Iesu laudasse et praetulisse baptismo Ioannis; « intelligas dixisse Iudaeos maiorem esse Christum et ad eius baptismum debere concurri » (*Aug.*). Indignantur quod Iesus quasi partes Ioannis sibi arroget; tam parum scil. ipsa Ioannis doctrina profecerunt; male aemulantur, male inflantur pro suo magistro (cf. 1 Cor. 4,6); v. 26 *et venerunt ad Ioannem et dixerunt ei : rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat et omnes veniunt ad eum;* sermone ex invidia et aemulatione concinnato apte quaedam efferunt, alia tacent, alia exaggerant; « summa eorum quae dicta sunt ita breviter expressa est, ut in singulis pene dictiunculis vis insita lateat, quae permovere potuisset, nisi solidum, prudentem et in veritate fundatum animum offendisset » (*Rup.*). Iesum exhibent quasi eum qui ab Ioanne quaesierit edoceri, qui solo testimonio Ioannis factus sit notus aliis, *ecce* qui satis mire nunc sibi munus soli Ioanni commissum arroget, Ioanni igitur detrahat, et cui adeo res illa vel potius fraus succedat, ut *omnes* ad eum concurrant; ira et invidia rem in immensum augent; supprimunt quae Iesum esse maiorem iam ostenderant, v. g. vocem coelitus in eius baptismo auditam (cf. *Chr. Rup.*) ; « proponunt quattuor quae commotionem in animo Ioannis causarent : primum enim commemorant humilitatem status Christi praeteriti, secundo

beneficium a Ioanne impensum, tertio officium assumptum a Christo, quarto detrimentum quod provenit Ioanni ex Christi officio » (*Thom.*).

Dignum Ioanne responsum audimus. Non solum non tangitur ulla invidiae umbra, sed dedocet discipulos, repetit testimonium de Iesu, gaudet de eius profectu, effert eius sublimitatem super omnes, asserit per eum solum haberi vitam aeternam. Et primo quidem sententia generali quam cum quadam lenitate et modestia proponit excitatos eorum animos sedare studet. Indignantur de successu Iesu; aptissime eos monet v. 27 *respondit Ioannes et dixit : non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de coelo;* significat, ut *Chr.* ait, eos aggredi impossibilia; ostendit non ab homine sed a Deo rem dirigi; unde si omnes eum adirent, non esse mirandum, Deum esse qui ista ei daret; alias fieri non potuisse ut adeo invalesceret. Sententia haec generalis, qua successus ille donum Dei declaratur et simul indicatur neminem sibi eiusmodi prosperum rerum cursum efficere posse, certe valet ad animorum invidiam et indignationem compescendam; facile applicatur ex ipsa querela antecedente ad Iesum (cf. *Chr. Calm. Gord. Nat. Schg. Schz.*); at multis placet eam applicare baptistae (*Cyr. Aug. Bed. Thom. Bon. Alb. Tol. Ians. Mald. Lap. Patr. Corl.*) vel utrique (*Bar.*); « ne angitor itaque, inquit, meus discipulus, si meam sortem non excedo » (*Cyr.*); non possum mihi plus attribuere quam quod a Deo tributum fuerit (*Patr.*); hinc non licet mihi impedire Iesum in opere suo (*Corl.*, sim. *Cai.*). Sed haec ad querelam discipulorum non videntur congruere. Neque enim querebantur quod Ioannes non se opponeret, sed indignabantur de Iesu munere suscepto et successu. Proinde ad haec debet responsio dirigi primo et per se.

Humana utique cito diffluunt et pereunt; sed quae de Iesu aguntur, non item. Dein id quod illi dixerant de testimonio Iesu dato et quod putabant ad Iesum deiiciendum conducere in eos ipsos convertit (*Chr.*) v. 28 *ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim : non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum ;* cf. 1,20-23; Luc. 3,15; unde iterum Iesum clare designat Messiam, qui venit, ut tamquam angelus testamenti i. e. nuntius et conciliator foederis (Mal. 3,1) quem Deus in foedus populi se daturum promisit (Is. 42,6), populum sacro foedere sibi iungat; unde v. 29 *qui habet sponsam, sponsus est* plebs electa sponsa Domini dicitur in vetere foedere (cf. Is. 50,1. Ier. 2,2. Ez. 16,8. Os. 2,16) et ipsum foedus quod post abiectionem populi iterum ineundum esse praedicitur eodem nomine declaratur : sponsabo te mihi in sempiternum, sponsabo te mihi in fide (Os. 2,19.20) et Messias tamquam sponsus iam celebratur Ps. 44. Cernit itaque Ioannes in nuntio illo : omnes veniunt ad eum, impleri coeptum esse quod prophetae de foedere

et desponsatione annuntiabant, et animo exsultat quod populus suum agnoscere incipiat Messiam eique se adiungat et quale sit suum gaudium, exemplo declarat : *amicus autem sponsi qui stat* ad omne scil. obsequium sponsi et ad quodvis eius mandatum promptus ac paratus, *et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi;* amico se comparat, qui antea se ne servum quidem nominare ausus est (1,27), quia *amici* demum gaudent de bonis amici, ut igitur ostendat id se maxime curare, neque se invito illa fieri, verum admodum cupiente et promovente et hac de causa se omnia fecisse (*Chr.*). Confert se τῷ νυμφαγωγῷ (*Cyr. Theoph. Euth. Mald.*), qui laetitia sponsi ipse quoque gaudet et qui laetatur, si sponsus sponsam per νυμφαγωγόν adductam magno amore et gaudio salutet et alloquatur. Sponsi praesentia omnes gaudio afficiuntur; vide Marc. 2,9, Matth. 9,15, Luc. 5,35, ubi pariter Messias vocatur sponsus. Gaudet Ioannes audiens *vocem* Christi i. e. nuntium illum de eius successu, audiens quantum iam valeat eius manifestatio et praedicatio, saltem quatenus discipuli referunt *omnes* ad eum venire. Quod utique ut fiat exoptat. Et cum is iam in publico adsit, cui viam praeparare debuit, ait: *hoc ergo gaudium meum impletum est;* videt enim initium regni messiani, videt impleri suam praedicationem : appropinquavit regnum coelorum (Matth. 3,2). Perfectum ergo ait opus suum esse; iam non relinqui quid ultra desideret (cf. *Chr.*).

Antequam sol apparet, lucifer, ἑωσφόρος, quasi praenuntius eius toto maxime coelo splendet; quo magis sol appropinquat, eo magis obscuratur eiusque splendor imminuitur (*Theop. Èuth. Mald.*); ita quoque de se pronuntiat Ioannes docens suos quam congruum et necessarium sit, ut omnes ad Iesum veniant, v. 30 *illum oportet crescere,* « non in se, sed quantum ad alios, in quantum eius virtus magis ac magis innotescit » (*Thom.*), crescere auctoritate, fama, gloria, discipulis etc. (*Cai.*), *me autem minui;* divinitus est constitutum, ut veniente Christo principe cesset officium eius praecursoris. Iam merito praesagit se avocandum esse a statione, et discipulos monet prae maiore Christi dignitate necessario imminui debere reverentiam sibi exhibitam. « Vides, quam placide, quam sapienter illorum ulcus emollierit, livorem exstinxerit, ipsosque impossibilia aggredi demonstraverit? qua re maxime solet nequitia sedari » (*Chr.*).

Quo magis illis persuadeat quod modo dixit in v. 30, iam explicat quis ille sit ex sese et quis ipse sit suis solum viribus et indoli relictus; v. 31 *qui desursum venit, super omnes est;* coelestem habet originem, e coelo ad nos venit; proin omnes longissime dignitate superat; *qui est de terra, de terra est*, qui ortum habet e terra, qui humanam habet originem, is de terra est i. e. indolem quoque suae originis prae se fert;

ἐκ itaque explica prius de origine, dein de eo a quo quid pendeat, quocum connexum sit et cuius indolem referat. Ita ex vario usu τοῦ ἐκ et notione, facile tautologia evitatur. Unde dixit: qualis origo, talis est natura, indoles per se. Eam autem sequitur operatio, cognitio: *et de terra loquitur;* de se non habet alium fontem ex quo suam depromat scientiam et doctrinam, nisi *terram,* res creatas, ex quibus utique cognitio Dei et summa hominis officia hauriri possunt (cf. Sap. 13,1. Rom. 1,19 seq. 2,14). At quid sunt haec, si conferantur cum iis quae docere potest ille; *qui de coelo venit, super omnes est* v. 32 *et quod vidit et audivit, hoc testatur;* certissima et clarissima cognitione ea asserimus quae videmus et audimus; unde ista dictione exprimitur certa et clara scientia; « duo nobis sunt sensus, quibus potissimum solemus de rerum veritate fieri certiores, visus et auditus; quae enim audivimus ipsi et vidimus, de iis certo et indubitate loquimur » (*Cyr. Chr. Euth.*). Nihil enim aliud est vidisse et audisse quam res divinas tamquam sibi domesticas quasque saepe tractaverit cognitas habere (*Mald. Ians.*). Sunt tamen qui *audire* explicent ac si diceretur, Iesum accepisse a Patre scientiam et omnia prorsus una cum natura divina (cf. *Bon. Thom. Tol. Ians. Cai. Mald.*).

Cum talis sit qui testatur, baptista non potest non dolere et mirari: *et testimonium eius nemo accipit;* id dicit ad discipulos conquerentes de Iesu, quos ita perstringit; ex iis utique *nemo* testimonium Iesu eousque fide amplexus est. Unde si verba ad eos referuntur, nulla est in eis difficultas. Tamen sententia generali quoque modo fortasse intelligi potest, vel quia nemo perfecte testimonium eius accipiebat nullo credente eum esse Messiam et Deum, vel quia hyperbolice solum significare vult paucos ei cum fide adhaerere (cf. *Cai.*). Sed statim subdit, quanta sit necessitas testimonium eius amplectendi. Quam necessitatem ex duplice capite potissimum ostendit, scil. ratione habita Dei et salutis propriae seu vitae aeternae. Necessitas incumbit propter Deum qui talem legatum misit: v. 33 *qui accepit eius testimonium, signavit, quia Deus verax est;* proin qui non accipit, Deo maximam infert iniuriam; « eos exterret ostendens eum qui Christo non credit, ne Patri quidem credere » (*Chr.*); propterea addit v. 34 *quem enim misit Deus, verba Dei loquitur;* proin qui ei credit, eo ipso demonstrat sollemni modo et quasi sigillo apposito confirmat (ἔδειξεν, ἐβεβαίωσεν, *Theoph. Euth.* ita explicant ἐσφράγισεν), Deum esse veracem. Et cur verba Dei loquatur et novas revelationes et doctrinas docere possit ultra illa verba Dei quae alii prophetae et ipse baptista, etiam missi a Deo, locuti sunt, ratio redditur sententia generali: *non enim ad mensuram dat Deus spiritum* ἐκ μέτρου i. e. « non solet certa aliqua et definita mensura Deus spiritum largiri,

ut si cui multum de illo sit largitus, non possit alteri largiri amplius, aut ut omnibus aequaliter dispenset, sed pro arbitrio suo unicuique eum tribuit nec ulli tantum contulit quin multo plus queat impendere aliis; infinita est enim haec spiritus opulentia. Nolite igitur existimare Deum propterea quod mihi plurimum sui spiritus impertiverit, non posse huic longe plus donare » (*Ians. Bar.* sim. *Schz.*). Plerique in explicatione supplent *ei* et sententiam statim accipiunt de plenitudine donorum Spiritus sancti in Christo et Christum non habuisse gratiam ad mensuram, quia non fuerit in eo arctata ad aliquam operationem (*Bon.*). Sed iam *Ians. Bar.* notant sententiam melius priore modo accipi generatim, quia non sit adiectum pronomen et quia non dicatur *dedit*, sed *dat*.

Qua autem mensura spiritum ei dederit, indicat v. 35 et ita simul sententiam generalem quo sensu ad Christum sit applicanda exponit v. 35 *Pater diligit Filium et omnia dedit in manu eius*, ergo etiam plenitudinem spiritus; proin summopere oportet ei fidem adhibere et qui negaverit ei fidem, is quam maxime offendit Patrem, qui diligens Filium summa dilectione non poterit non vehementissime abominari eum qui sua incredulitate Filium spernit. Et omnia in potestate Filii esse posita, ita ad salutem consequendam applicat et refert, ut simul ostendat necessitatem absolutam fidei ratione habita vitae aeternae v. 36 *qui credit in Filium habet vitam aeternam;* nam iis qui in ipsum credunt dat potestatem filios Dei fieri (1,12); filii autem Dei etiam regni Dei et vitae cum Deo beatae erunt participes et iam nunc habent vitam aeternam in semine i. e. in gratia (*Cai.*), quia de Christi plenitudine abundanter recipiunt (1,16). Quae fidei necessitas maxime elucet a contrario : *qui autem incredulus est Filio*, eius testimonium non accipit, *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*, en supplicium infidelitatis (*Thom.*), poena damni : vita beata privatur, poena supplicii : ira Dei *manet;* nam propter peccatum Adae et propter peccata a singulis commissa unusquisque obnoxius est vindictae divinae iustitiae, a qua eximi non poterit, nisi fide in Filium; nam non est aliud nomen datum, in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4,12); sunt enim omnes filii irae; unde dicitur : ira Dei *manet*, non : descendit (cf. *Rup. Thom.*; vide Eph. 2,3).

Censet *Patr.* a v. 32-36 non haberi verba baptistae, verum evangelistae; eas enim enuntiationes iam non pertinere ad eam rem de qua baptista cum discipulis agat. Sed id perperam dici, explicatione verborum ostensum est. Quae baptista dicit in v. 34. 35, omnino consequuntur ex iis quae in baptismo Iesu vidit et audivit et cum sciret Iesum esse Messiam, etiam scivit ex vaticiniis messianis ei omnia tradi (cf. Ps. 2,8; 71,8 seq. Is. 42,6; 49,6; 53,12) et fide in ipsum salutem acquiri (cf. Is. 42,1-4; 49,6 seq. 50,10;

52,15). In qua fide solum salutem constitui etiam apud synopticos declaratur; cf. Matth. 10,32. 33. 37-39. Marc. 8,38. Luc. 9,26; 12,8; pariter ei omnia esse tradita; vide Matth. 11,27; 28,18; item Messiam esse sponsum, uti supra iam dictum est. Nota itaque doctrinam hanc congruere synopticis.

Act. 18,24-19,7 narratur Apollon et quosdam discipulos qui solum baptisma Ioannis noverant Ephesi esse edoctos viam Domini et baptizatos in nomine Domini Iesu. Inde concludit *H.* (Handcom. p. 75) : talis effectus (scil. ut discipuli Ioannis in Iesum crederent) igitur solum ex praedicatione Pauli exoriri poterat; unde iterum apparet, baptistam secundum fidem historiae aliter iudicasse de Iesu Messia quam ab evangelista iudicasse perhibetur (— daraus dass ein solcher Erfolg erst unter dem Einfluss der paul. Predigt moeglich war, geht freilich nochmals hervor, dass der wirkliche Täufer sich anders zur Frage nach der Messianität Jesu gestellt hat, als Joh ihn thun laesst). En, qualis argumentatio? ergo quia in Asia minore sunt « quidam discipuli », qui olim baptismo Ioannis baptizati erant et ad quos praedicatio evangelii nondum pervenerat, sequi asseritur : baptistam non edidisse testimonium de Iesu Messia! Sed praedicatio evangelii et baptismus Christi non incipiebat nisi post pentecosten. A praedicatione Ioannis usque ad pentecosten et adventum spiritus s. fluxerunt tres anni et aliquot menses (saltem); ergo qui baptismum Ioannis acceperant, interea Palaestinam poterant relinquere; uti sane reliquerunt illi « quidam discipuli » qui Ephesi inveniuntur. Unde non mirum est quod c. annum 55 illi nondum audierant praedicationem evangelii. Potius ita concludere oportet : illis discipulis Paulus verba Ioannis solum in memoriam revocat et statim suscipiunt baptisma Iesu; ergo iam a Ioanne didicerant in Iesum esse credendum.

d) Iesus loquitur cum Samaritana 4,1-15.

4,1. Ut ergo cognovit Iesus, quia audierunt pharisaei quod Iesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Ioannes, 2. (Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) : 3. Reliquit Iudaeam, et abiit iterum in Galilaeam.

4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in civitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo.

6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus : Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim eius abierant in civitatem ut

4,1. Ὡς οὖν ἔγνω ὁ Κύριος, ὅτι ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι, ὅτι Ἰησοῦς πλείονας μαθητὰς ποιεῖ καὶ βαπτίζει ἢ Ἰωάνης, 2. (καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, ἀλλ' οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ·) 3. ἀφῆκεν τὴν Ἰουδαίαν, καὶ ἀπῆλθεν πάλιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

4. ἔδει δὲ αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. 5. ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας λεγομένην Συχάρ, πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ.

6. ἦν δὲ ἐκεῖ πηγὴ τοῦ Ἰακώβ. ὁ οὖν Ἰησοῦς κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ. ὥρα ἦν ὡς ἕκτη. 7. Ἔρχεται γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας ἀντλῆσαι ὕδωρ. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Δός μοι πεῖν. 8. οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπεληλύθεισαν εἰς τὴν πόλιν, ἵνα τροφὰς ἀγοράσωσιν.

cibos emerent). 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Iudaeus quum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudaei Samaritanis. 10. Respondit Iesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est, unde ergo habes aquam vivam? 12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius?

13. Respondit Iesus, et dixit ei : Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum. 14. Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam aeternam.

15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.

9. λέγει οὖν αὐτῷ ἡ γυνὴ ἡ Σαμαρεῖτις, Πῶς σὺ Ἰουδαῖος ὢν παρ' ἐμοῦ πεῖν αἰτεῖς, γυναικὸς Σαμαρείτιδος οὔσης; οὐ γὰρ συνχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. 10. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῇ, Εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ, καὶ τίς ἐστιν ὁ λέγων σοι, Δός μοι πεῖν, σὺ ἂν ᾔτησας αὐτὸν, καὶ ἔδωκεν ἄν σοι ὕδωρ ζῶν. 11. λέγει αὐτῷ (ἡ γυνὴ), Κύριε, οὔτε ἄντλημα ἔχεις, καὶ τὸ φρέαρ ἐστὶν βαθύ· πόθεν οὖν ἔχεις τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν, 12. μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἰακὼβ, ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ, καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἔπιεν καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ;

13. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῇ, Πᾶς ὁ πίνων ἐκ τοῦ ὕδατος τούτου διψήσει πάλιν· ὃς δ' ἂν πίῃ ἐκ τοῦ ὕδατος οὗ ἐγὼ δώσω αὐτῷ, οὐ μὴ διψήσει εἰς τὸν αἰῶνα· 14. ἀλλὰ τὸ ὕδωρ ὃ δώσω αὐτῷ γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἁλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον.

15. λέγει πρὸς αὐτὸν ἡ γυνὴ, Κύριε, δός μοι τοῦτο τὸ ὕδωρ, ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ διέρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν.

In v. 1 ο κυριος A B C L T al pler f q aeth Nonn Cyr W H; η in alq om. In v. 2 ipse Iesus dub (marg) eg rush; Iesus ipse a b e f q r, αυτος A D L Π al 10 Chr, Cyr. In v. 5 sin Sichem, quod legendum quoque esse Hier contendit; at concedit : ut Sichar legeretur, usus obtinuit; ℵ B τω ιωσηφ. In v. 6 sin : et Dominus noster venit et sedit super fontem... ut quiesceret a labore itineris (et statim sequitur v. 8) et dum Dominus noster sedebat, erat hora sexta. In v. 7. sin : da mihi aquas (ut) bibam. In v. 9 non enim coutuntur etc. om ℵ*D Ti a b d e. In v. 11 sin om domine; b d e l q r neque hauritorium habes.

Uti ex 3,30 elucet, baptista iam praesagit mox sibi esse e statione discedendum; idem videtur evangelista 3,24 innuere. Baptistam a pharisaeis esse odio habitum, satis patet eo quod ipsum daemonium habere dicebant (Matth. 11,18). Eorundem machinationibus et insidiis eum fuisse vexatum pariter asseritur a Christo Matth. 17,12; ita quidem, ut non sit improbabile eos quoque suas egisse partes, ut tandem ab Herode in carcerem truderetur. Habebant enim cur suae apud plebem auctoritati timerent. Baptista in eorum scelera invehebatur et magno concursu homines ad eum veniebant. Quare illis pergratum erat quod Herodes eum amovebat. Verum eius loco is in dies magis innotescebat, cui baptista testimonium perhibuerat. Unde ab uno timore liberati in aliam eamque maiorem incidebant molestiam et invi-

diam. Hanc eorum animis insedisse declaratur v. 1 *ut ergo* (cf. 3,25. 26, ex quo ea de re multa esse sermonibus iactata facile consequitur) *cognovit Iesus quia audierunt pharisaei quod Iesus plures discipulos facit* i. e. multos non solum ad eum venire, sed etiam ei adhaerere, eum tamquam magistrum colere, *et baptizat quam Ioannes* v. 2 *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius;* cf. 3,22; quaerunt, cur non baptizaverit; respondent eum potissimum praedicasse et docuisse hominesque praeparasse, ut cum fructu illum susciperent ritum, fere ut apostolus de suo agendi modo dicit 1 Cor. 1,17 vel similiter ut Act. 10,48 Petrus praedicatione facta iussit eos baptizari. Alii censent, quia baptista dixisset eum baptizaturum in spiritu, Christum noluisse in aqua baptizare, quasi esset similis baptistae. Ratio praecipua mihi videtur esse, quia ille baptismus non erat baptismus gratiae novi foederis.

Christus itaque v. 3 *reliquit Iudaeam,* « non quod timeret, sed ut invidiae causam praescinderet et livorem mitigaret » (*Chr.*), ut subtraheret se invidiae pharisaeorum qui ex his quae audierant turbabantur et persecutionem parabant, ut ostenderet non esse peccatum persecutores fugere, et quia nondum venerat tempus passionis (*Thom. Theoph.*) *et abiit iterum*, scil. 1,43, *in Galilaeam;* eum hic indicari reditum, de quo synoptici referunt Matth. 4,12 et Marc. 1,14 et Luc. 4,14 Ioanne in carcerem misso, veteres iam adnotant (*Rup. Thom. Salm. Cai. Mald. Bar. Lap.* etc.); rediit autem, uti ex v. 35 consequitur, mense novembri vel decembri (*Patr. Corl. Schz.*); unde a diebus paschalibus usque ad hiemem in Iudaea commoratus docuit. Quo successu docuerit, discimus ex v. 1; ex populo non deerant qui eum sequerentur; duces populi, pharisaei, qui multum auctoritate valebant et apud plebem et apud synedristas, ei infensi erant. In Galilaeam se recipit tamquam in locum tutiorem (cf. ἀνεχώρησεν Matth. 4,12) ut populo, qui nondum a pharisaeis erat seductus, praedicaret et suos sibi educaret et efformaret discipulos a fermento pharisaico remotos.

Nisi longo circuitu per Peraeam voluit tendere in Galilaeam, via per regionem Samaritanorum erat eligenda; hunc morem per Samariam iter faciendi observasse Galilaeos in diebus festis in urbem euntes *Iosephus* refert (Antiq. 20, 6,1); v. 4 *oportebat autem eum transire per Samariam,* censet *Mald.* necessitate viae excusari iter, ne Christus et Iudaeorum consuetudinem et suum praeceptum (quod postea traditurus erat, Matth. 10,5) videretur violare; dici *oportet,* ut non de industria, sed ex necessitate eum ad Samaritanos declinasse intelligamus, *Cai.* opinatur. At minime inscius quid futurum sit eam viam quam utique oportebat eligere recta in Galilaeam proficiscentem ta-

men consulto elegisse dicendus erit, ut scil. se manifestaret Samaritanis et ab initio iam discipulis ostenderet nuntium messianum minime ad unum restringi populum. Uti providentia divina in rebus plerisque agere solet, Christus ad id consilii efficiendum modo simplici utitur et plane ordinario, scil. iter instituens via ordinaria, breviore, disponens omnia suaviter, id quod in tota hac narratione cernitur, in qua singula nativa quadam simplicitate et facilitate evenire videntur; v. 5 *venit ergo in civitatem Samariae quae dicitur Sichar, iuxta praedium quod dedit Iacob Ioseph filio suo;* cf. Gen. 33,19; 48,22 (de cuius loci lectione probabilissime emendanda vide *de Hummelauer,* Comment. Genes. p. 584) Ios. 24,32, ibi quoque ossa Ioseph sepulta fuerunt. Sychar situm erat orientem versus a Sichem, haud longe distans a Sichem (fere mille passuum ac dimidium aliqui censent); et prope fontem Iacob.

Contendit S. Hieronymus : corrupte pro Sichem, ut Sichar legeretur, usus obtinuit (cf. *de Lagarde,* Onom. 66,20), quem haud pauci secuti sunt (cf. *Patr. Corl. Schg.*); nomen esse ad contemptum mutatum saepe asserunt, ita ut incolae Sichem vel tamquam ebriosi et bibuli (שׁכר) vel tamquam mendaces (שׁקר) traducerentur; cf. Eccl. 50,28. Verum alii distinguunt Sychar a Sichem; ita iam Eusebius (l. c. 297, 26) πρὸ τῆς Νέας πόλεως... καὶ ἔτι εἰς νῦν δείκνυται; pariter in Itinerario a Bordigala Hierosolymam (an. 333) legitur : inde (a Sichem) passus mille locus est cui nomen Sichar, unde descendit mulier Samaritana ad eundem locum ubi Iacob puteum fodit (cf. *Tobler, Molinier,* Itinera hierosolymitana I, p. 16, Genevae 1879). In mischna mentio fit planitiei עין סוכר, quem locum eundem esse atque Ain-Asgar putant *Schwarz, Neubauer* (La géographie du Talmud p. 170). Praeterea vide quae de Sychar scripsit *Zenner* (Zeitschrift für katholische Theologie 1889 p. 397 seq.), qui nomen derivat a סחר commercium, forum (rerum venalium) et explicat quomodo Sychar nomine Sichem quoque comprehendi ac designari potuerit; urbs quippe Sichem antiquo tempore multo magis quam hodie extendebatur orientem versus, vallis Sichem est minime lata ($\frac{1}{4}$-$\frac{1}{2}$ milliar. anglic.); unde pro nundinis planities Machna inserviebat et Sychar additis aedificiis quasi pars urbis considerari et eodem nomine vocari potuit.

Sichem, Neapolis, Nabulus fontibus minime caret; unde mirum esset si mulier ex Sichem veniret ad hauriendam aquam; nam quod *Schg.* opinatur, eam ad fontem Iacob pietatis causa ad aquam sanctam eluendae conscientiae gratia perrexisse, eius rei ne vestigium quidem in textu reperitur; v. 6 *erat autem ibi fons Iacob,* scil. orientem versus a Sichem distans mille passus, ubi vallis arcta inter Ebal et Garizim in planitiem Machna excurrit; dicitur fons, πηγή, de puteo fosso (v. 12) qui scil. fonte in terra recondito impletur (cf. Gen. 16,7. 14; 24,11. 13. 16, ubi puteus et fons eadem notione legitur); narrat Hieronymus circa puteum Iacob exstructam esse ecclesiam (Peregrin. S. Paulae,

16; *Tobler*, l. c. p. 38); *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem*, οὕτως « quid est illud οὕτως? non in solio, non in pulvinari, sed simpliciter καὶ ὡς ἔτυχεν ἐπ' ἐδάφους » (*Chr. Theoph. Euth.*); alii referunt *sic* ad *fatigatus* (iam *Bar.*); sed ubicumque οὕτως ad participium antecedens refertur, collocatur ante verbum finitum (cf. *Schz.*); sedebat sic ut erat (cf. *Winer* § 65,9), germanice : ohne weiteres; alii : sedebat propterea (quia scil. fatigatus erat, *Tol. Mald. Lap.;* also *Weizsaecker*); *supra* fontem ἐπί vel prope, iuxta, vel super, quia margo eminet super puteo; *hora erat quasi sexta* i. e. meridies, hora sexta ab ortu solis; nam duodecim sunt horae diei (11,9); de horarum computatione vide ad 1,39 et quae notavi in Comment. Marc. p. 414. Via ab Ierusalem ad puteum Iacob per Bethel est 14 horarum; si Iesus noctem transegit in Lebona (al-Leban), meridie potuit pervenire ad fontem Iacob et cum ea via sit aspera, montosa, debuit fatigari (cf. *Schg.*). Iesus fatigatur; formam servi accepit; molestias quoque servi, fatigationem, esuriem, sitim in se experiri voluit assimilatus nobis in omnibus excepto peccato (cf. Matth. 21,18. Phil. 2,7. Hebr. 4,15). Unde in liturgia : « quaerens me sedisti lassus »; sedet lassus quaerens et exspectans peccatricem quam salvet, quam pluribus edocet licet fatigatus! Notat *Cyr.* dici *quasi* sextam horam, « ut et nos discamus ne res minimas quidem nullo discrimine habere, sed in quibusvis veritatem colere ».

« In tota hac narratione, potissimum in sermonibus Christi et mulieris, vides ut sese vivida illa ac nativa simplicitas prodat aeque ac in ceteris huiusmodi longioribus narrationibus in hoc evangelio descriptis, quam qui haec reputare norunt, probe sentiunt individuam veritatis comitem esse » (*Patr.*) v. 7 *venit mulier de Samaria* i. e. mulier samaritana cf. v. 9; venit non ex Samaria, sed ex Sychar; cf. v. 28. 39; *haurire aquam; dicit ei Iesus : da mihi bibere;* hoc Iesus dicit, ut habeatur locus instructorii sermonis (*Alb.*); neque tamen propterea dicendum est cum *Cyr. Euth.* Iesum sitim simulasse, vel cum aliis eum solum suam sitim significasse qua salutem mulieris aliorumque desideraret, sed uti vere ex itinere erat fatigatus, ita vere etiam sitim corporalem expertus est. Monet *Tol.* quomodo Dominus opportunitatem captet; mulier necessitate coacta venit; temporales necessitates et indigentia saepe solent salutis consequendae dare occasionem; videtur casu venisse, sed qui omnia disponit, ita eam ducebat, ut tunc veniret quando fons vitae Christus ibi esset praesens. « Opportunitatem autem quaerendi a muliere habuit Christus, quia non erant ibi discipuli a quibus quaereret aquam, et ideo dicit evangelista » (*Thom.*) v. 8 *discipuli enim eius abierant in civitatem*, Sy-

char, de qua civitate solum v. 5 sermo est, *ut cibos emerent;* « verba haec itaque causam exprimunt, cur mulieri dixerit: da mihi bibere; humana causa est quae exterius apparebat; tamen divina et altior latebat ratio; nam et Dominus ipsos voluit abfuisse discipulos, ut colloquii occasionem acciperet et per id mulierem traheret ad fidem » (*Tol.*).

Ex habitu et sermone (*Chr.*) agnoscit mulier Iudaeum; Iesus morem Iudaeorum secutus phylacteria certe gerebat; uti Petrus sua loquela agnitus est Galilaeus, ita Iesus agnosci poterat Iudaeus; quare mulier non sine admiratione quadam, cui complacentia admiscebatur, quia Iudaeus a se peteret, respondet v. 9 *dicit ergo ei mulier illa samaritana: quomodo tu, Iudaeus cum sis, bibere a me poscis, quae sum mulier samaritana?* Cuius quaestionis rationem subiungit evangelista quippe qui iis scribit qui longe a Palaestina degentes eius regionis mores et consuetudines ignorant: *non enim coutuntur,* συνχρῶνται *Iudaei Samaritanis,* non est iis commercium seu consuetudo cum Samaritanis; verba esse mulieris olim aliqui existimabant (*Tol. Mald. Bar.* esse opinionem communem dicit); at iam *Rup. Cai.* esse evangelistae statuunt idque recentiores quoque. Plebs samaritana coaluerat ex reliquiis Israelitarum qui regno israelitico destructo non erant abducti in Assyriam et ex illis gentibus, quae ab Assyriis in regione samaritana collocatae sunt (4 Reg. 17,24. Esdr. 4,9. 10); istae gentes et deos suos et Dominum colebant (4 Reg. 17,28. 29 seq.); verum decursu temporis cultus Domini praevaluit (cf. 4 Reg. 23,15. 2 Par. 34,9. Ier. 41,5); quare simul cum Iudaeis ex exsilio reducibus templum Domini aedificare volebant (Esdr. 4,2). Postea sibi aedificarunt templum in monte Garizim (*Iosephus,* Antiq. 11,8,2), quo simultates inter Iudaeos et Samaritanos auctae sunt. De inimicitiis Samaritanorum vide 1 Mach. 3,10; Antiq. 12,4,1; 18,2,2; 20,6,1; Bell. iud. 2,12,3. A talmudistis vocantur Cuthaei et accusantur idololatriae; talmudistae odium in eos fovent docentes v. g. cum quis Cuthaeum susceperit domi suae hospitem, sibi ipsi debere attribuere, si posteri eius captivi abducantur (cf. *Wünsche,* Beitraege p. 511 seq.).

Christus statim transfert sermonem ad argumentum sublimius suam iam dignitatem mulieri insinuans v. 10 *respondit Iesus et dixit ei: si scires donum Dei et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo,* σὺ ἂν ᾔτησας, proin *forsitan* est omittendum (uti omittunt a d e, b l q r eius loco habent *magis*) *et dedisset tibi aquam vivam;* donum Dei videtur obvio sensu intelligendum esse de commoda occasione mulieri oblata ad salutem, quia Christum ad fontem invenisset; quod donum Dei statim per epexegesin declaratur: quis est

qui dicit tibi etc. (*Mald.*). Sunt qui Spiritum sanctum, qui donum dicatur, intelligant; quae acceptio hoc loco sane non congruit. Dicitur aqua viva, quae perennis est et semper scaturit (*Chr.*), illa quae de fonte exit, quae manans excipitur; illa enim quae colligitur de pluvia in lacunas aut cisternas, aqua viva non dicitur; et si de fonte manaverit et in loco aliquo collecta steterit et interrupto meatu tamquam a fontis tramite separata fuerit, non dicitur aqua viva (*Aug.*). Christus sensu translato intelligit aquam vivam, prout in s. litteris doctrina et gratia Dei aquae comparatur, qua fertilitas operum bonorum efficitur (cf. Ps. 1,3. Is. 44,3. Ier. 17,8. Ez. 47,8-12). Hac enim gratia, ut *Cyr.* ait, humanitas arefacta et diaboli fraude omnis fructus expers reddita revocatur ad pristinam naturae pulchritudinem et vivificam gratiam ebibens variis bonorum generibus ornatur et ad virtutis studium repullulans uberrimos dilectionis Dei ramos edit. Quae cum aqua comparatio varia considerationi suggerit : aqua lavat sordes, inducit munditiem, fertilitatem confert, exstinguit sitim et ardorem ignis (cf. *Euth. Tol. Mald. Lap.*). Et qua ratione Christus aquam vivam concipi velit et ipse mox indicabit et evangelista nos docet 7,38. 39 : hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum.

Mulierem talem sensum non esse assecutam, mirabitur nemo; v. 11 *dicit ei mulier : Domine*, iam eum cum reverentia alloquitur; nam in vultu Christi et in toto eius habitu resplendebat dignitas quaedam ac benigna maiestas; quare mulier minime respondet cum ironia quadam (*Corl.*) aut quasi irridens, sed cum verecundia exponit cur sermo sibi sit aenigma; bene ait *Chr.* eam mulierem loqui αἰδεσιμώτερον verecundius quam Nicodemus locutus sit (*Theoph.*, sim. *Alb. Tol.*), *neque in quo hauries habes et puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?* ἄντλημα haustrum, situla cum fune quae in puteum demittitur qui hodie adhuc habet profunditatem metr. 23. Aquam in puteo collectam dedit Iacob; fontem iugiter manantem promittere videbatur Christus; quare dubitando et ignorando mulier opponit : v. 12 *numquid tu* μὴ σὺ tu tamen non *maior es patre nostro Iacob* Samaritanos si utilitati esset etiam negasse originem israeliticam exemplum refert *Iosephus* (Antiq. 12,5,5), alias iudaicam iactare prosapiam genusque suum a filiis Ioseph, Ephraim et Manasse ducere solere (Antiq. 9,14,3; 11,8,6), *qui dedit nobis puteum* Iacob fodisse puteum, sicut de Abraham et Isaac narratur (Gen. 21,30; 26,15. 18. 22. 25 etc.), non quidem legitur, at facile intelligitur eum voluisse habere proprium puteum in parte agri quam acquisierat, praesertim cum accidere posset, ut vicini essent generi Iacob infensi. Dein mulier aquam bonam esse et abundantem declarat (*Theoph. Thom. Cai. Mald.*) *et ipse ex eo bibit et filii eius*

et pecora eius, θρέμματα ea quae aluntur; oves intellige et capras.

Quaestioni ita respondet Iesus, ut « a natura doni personarum differentiam per munerum discrimen declaret et suam supra patriarcham excellentiam » (*Chr.*) v. 13 *respondit Iesus et dixit ei : omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum;* cf. 6,35; « aqua materialis non est perpetua nec causam habet perpetuam, sed deficientem; aqua vero spiritualis causam perpetuam habet, scil. Spiritum sanctum, qui est fons vitae nunquam deficiens, et ideo qui ex ea bibit non sitiet in aeternum, sicut qui haberet in ventre fontem aquae vivae non sitiret unquam » (*Thom.*); v. 14 *sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam,* en ratio, cur non sitiat unquam, quia habet in se fontem aquae tam alte salientem; « metaphora est a fontibus sumpta alte aquam eiaculantibus; sic enim qui Spiritum sanctum in se habet, fontem habet usque ad coelum salientem » (*Mald.*). Describitur itaque gratia Spiritus sancti, quae in se est incorruptibilis, inexhausta, perpetuo sitim sedans et ad vitam aeternam sufficiens. Similiter si Christus dicit : ego sum vitis, vos palmites (15,5), ostendit perpetuo palmitibus quamdiu sunt in vite affluere et adesse ex vite sucum et vigorem neque eos alia re indigere; proinde palmitem non habere quod ultra desideret. Quare eodem modo hic dicit : non sitiet in aeternum. Neque obstat quod dicitur Eccli. 24,29 : qui edunt me adhuc esurient; et qui bibunt me adhuc sitient; nam ibi sermo est de desiderio sapientiae et cognitionis divinae, quam si quis gustaverit in ea maiora ac plura summa voluptate percipere et intelligere gestit; est scil. esuries et sitis, non molestiam, sed delectationem afferens.

Mulier, sicut iam in v. 11. 12 eximiam de Iesu opinionem se concepisse ostendit (*Ians.*), ita sermoni huic simplicem adhibet fidem et recordata verbi eius : tu petisses etc. v. 10 summa quoque simplicitate petit v. 15 *dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire;* a duplici molestia vult liberari et quale beneficium sibi futurum sit agnoscit. Neque mirum est eam solum de aqua corporali cogitare; nam illud *in aeternum, in vitam aeternam* intellexit de spatio vitae indefinito : non sitiet unquam; cf. hebr. עוֹלָם et : rex in aeternum vive (Neh. 2,3).

e) **Iesus sese manifestat Samaritanae 4,16-26.**

4,16. Dicit ei Iesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. 17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum. Dicit

4,16. Λέγει αὐτῇ (ὁ Ἰησοῦς), Ὕπαγε, φώνησόν σου τὸν ἄνδρα, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε. 17. ἀπεκρίθη ἡ γυνὴ καὶ εἶπεν αὐτῷ, Οὐκ

ei Iesus : Bene dixisti, quia non habeo virum.

18. Quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier : Domine, video quia propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Iesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est. 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate, oportet adorare. 25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus). Quum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Dicit ei Iesus : Ego sum, qui loquor tecum.

ἔχω ἄνδρα. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Καλῶς εἶπες, ὅτι ἄνδρα οὐκ ἔχω.

18. πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες· καὶ νῦν ὃν ἔχεις, οὐκ ἔστιν σου ἀνήρ· τοῦτο ἀληθὲς εἴρηκας. 19. λέγει αὐτῷ ἡ γυνή, Κύριε, θεωρῶ ὅτι προφήτης εἶ σύ. 20. οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν τῷ ὄρει τούτῳ προσεκύνησαν· καὶ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἐν Ἱεροσολύμοις ἐστὶν ὁ τόπος, ὅπου προσκυνεῖν δεῖ. 21. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Πίστευέ μοι, γύναι, ὅτι ἔρχεται ὥρα ὅτε οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρί. 22. ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὃ οὐκ οἴδατε· ἡμεῖς προσκυνοῦμεν ὃ οἴδαμεν· ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. 23. ἀλλὰ ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστίν, ὅτε οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταὶ προσκυνήσουσιν τῷ πατρὶ ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ· καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτόν. 24. πνεῦμα ὁ Θεός· καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. 25. λέγει αὐτῷ ἡ γυνή, Οἶδα ὅτι Μεσσίας ἔρχεται (ὁ λεγόμενος Χριστός)· ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. 26. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι.

In v. 16 sin voca mihi. In v. 17 quia non *habes* virum dub eg ox ken rush b c d e ff[2] l r, uti εχεις ℵ D Heracl apud Or. In v. 18 a d e ff[2] l verum. In v. 23 sin quaerit tales adoratores qui in spiritu et veritate adorant eum, et om v. 24, uti g et alq minusc. In v. 25 codd vulg longe pler distinguunt : cum ergo venerit, ille nobis.

Iesus sermonem iam alio vertit et reverentiam et simplicem mulieris fidem pro sua clementia ita remuneratur, ut eam ad poenitentiam adducat eique tandem se Messiam revelet v. 16 *dicit ei Iesus : vade, voca virum tuum et veni huc,* « haec dixit ut occasionem ex mulieris responsione caperet sese huic prodendi » (*Patr.*). Videbatur mulieri Iesum velle beneficium illud sibi et viro communicare; verum « prudentissimus ac sapientissimus medicus Dominus eam statuens sanare causam infirmitatis considerat et ut peccatum suum agnoscat et confiteatur, ipsam mulierem illuminandam inducit » (*Tol.*); v. 17 *respondit mulier et dixit : non habeo virum;* verum dicit neque tamen totum; « accipiendi cupida suam celat turpitudinem seque hominem alloqui putat » (*Chr.*). « Sufficit ista confessionis inchoatio vocanti misericordiae; non exspectavit aut exegit, ut totum diceret, sed clementiae manum porrigens pepercit pudori, subvenit conscientiae fluctuanti » (*Rup.*). Contemplare Iesu benignitatem, qua cum peccatrice

agit; neque enim in eam invehitur, neque eam adulteram, meretricem appellat neque durius eam reprehendit.

Suaviter eam simul cum aliqua laude admixta alloquens et ita animum addens *dicit ei Iesus : bene* καλῶς, recte, vere, *dixisti*, *quia non habeo virum* (quia est recitativum illud ante orationem directam, quare non opus est emendatione : quia non *habes*); v. 18 *quinque enim viros habuisti et nunc quem habes non est tuus vir; hoc vere* ἀληθές verum *dixisti;* ex ipsa oppositione patet mulierem quinquies legitime inisse matrimonium priore marito vel mortuo vel matrimonio libello repudii soluto; nunc vero mulierem illegitime cohabitare. Frustra contendit *Mald.* ex verbis Christi non satis constare an quinque illi viri legitimi fuerint an concubini potius et vult persuadere fuisse omnes concubinos; at verba omnem excludunt dubitationem. Vulnere incontinentiae graviter aegrota iacet mulier, cui Dominus adeo benigne occurrit; eo laborat morbo quo tanta et tam luctuosa clades humano generi ubique terrarum infertur. Misericordis Domini est qui venit salvare quod perierat etiam adeo foede ulcerosos non abiicere, sed ad meliorem perducere frugem, id quod in hac muliere praeclare cernitur. Fatetur culpam, Iesu tribuit honorem v. 19 *dicit ei mulier : Domine, video quia propheta es tu;* « duplex confessio, et proprii peccati et virtutis et excellentiae Christi » (*Mald.*). Multum praecellit prae pharisaeis, qui Iesum tot signis ac documentis illustrem prophetam non agnoscebant, immo ne virum quidem probum, sed foedus cum daemone inisse eum calumniabantur.

Quandoque putant mulierem molestum de sua incontinentia colloquium voluisse abrumpere ideoque statim arte quadam muliebri sermonem ad aliud argumentum transtulisse (*Schg.* et aliqui acatholici; aliquatenus ea ratione illam duci *Tol. Schz.* concedunt). At si cum astutia vel falso pudore voluisset declinare ab argumento quod ipse Christus inducendum esse iudicavit, non puto futurum fuisse ut Christus id permittens ei tanta cum cura responderet ad quaestionem evadendi causa positam. Quare dicendum erit, quia agnovit Iesum prophetam eam nihil antiquius habuisse, quam ut proponeret quaestionem inter Iudaeos et Samaritanos acriter agitatam; voluisse uti hac opportunitate qua invenerit virum spiritu Dei afflatum, ut edoceretur; nam probe eam intellexisse a vera adoratione salutem dependere. Vivebat quidem in peccatis ex aliquo tempore; sed inde non continuo sequitur sensum pietatis ac religionis exstingui; immo fieri potest, ut quis conscius suae fragilitatis, quamvis vincula peccatorum frangere non valeat, intensiore desiderio opis religiosae stimuletur. Atque ita sine ulla tergiversatione mulierem quaestionem in medium adduxisse plerique

innuunt; « quia hoc suspicata erat (eum esse prophetam), nihil terrenum interrogat, non de valetudine corporis rogat, non de opibus, sed de dogmatis statim » (*Chr.* sim. *Cyr. Thom. Ians. Mald. Fil.* etc.) v. 20 *patres nostri in monte hoc adoraverunt,* scil. in Garizim, quem montem in conspectu positum digito demonstrasse videtur; montem Garizim, ut montem benedictionis elegerunt; cf. Deut. 11,29;27,12 (etiam 27,4 Samaritani legunt Garizim), Ios. 8,33; templi eius mentio fit 2 Mach. 6,2; de occasione qua aedificabatur refert *Iosephus* (Antiq. 11,8,4;13,3,4) et montem Garizim etiam destructo templo (ab Ioanne Hyrcano, anno 129 a. Ch.) sacrum esse habitum (Antiq. 18,4,1; Bell. iud. 3,7,32) *et vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, ubi adorare oportet;* cf. Deut. 12,5.6 praecipitur, ut in loco quem elegerit Dominus offerant holocausta et victimas; Dominus autem elegit Sion (cf. 2 Reg. 6,15.3 Reg. 9,3. Ps. 67,16;131,13). Ita loquitur, ut suam causam augeat et firmet, Iudaeorum debilitet : *patres nostri*, ergo magnam habemus causam; *vos dicitis,* sola vestra opinione, patrum auctoritate non fulti (*Tol.*).

Iesus autem mentem et cogitationem omissa illa controversia ad sublimiora elevat, limites illos veteris foederis esse plane abolendos v. 21 *dicit ei Iesus : Mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc neque in Ierosolymis adorabitis Patrem* quasi in loco, in quo solo legitime sacrificia offerantur; cultum Dei fore universalem adeoque legem veterem cessare clare enuntiatur; proinde illam de loco disceptationem iam nullius esse momenti. Etsi itaque haec Iudaeorum contentio sit negligenda, tamen ex altera parte suam Iudaeis prae Samaritanis dignitatem auctoritatemque constare et manere inconcussam; nam v. 22 *vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudaeis est;* vera Dei cognitio non potuit apud Iudaeos exstingui, quia divino consilio constitutum erat, ut salus messiana a Iudaeis in orbem terrarum diffunderetur (cf. Is. 2,3 de Sion exibit lex et verbum Domini de Ierusalem). Dicit itaque Christus Iudaeos veram Dei cognitionem habentes etiam scire a se Deum coli eo modo quo a piis in vetere foedere coli voluit, Samaritanos autem recta Dei cognitione destitutos esse ideoque eos adorare id quod ignorant, nescire id quod adorant.

Quamvis apud Iudaeos sit Dei cognitio et adoratio, tamen iam instat tempus quando cultum perfectiorem Deus a suis postulat; ita quod in v. 21 inceptum est, clarius determinatur et absolvitur v. 23 *sed venit hora et nunc est,* tempus scil. messianum iam adest ipso scil. Messia iam praesente; pro eo autem tempore messiano praedictum est : repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes Is. 11,9; cf. Ier. 31,34; Ez. 11,19; 36,26; Soph. 3,9 etc.; *quando veri adora-*

tores adorabunt Patrem in spiritu et veritate, in spiritu, quem scil. Deus mittit in corda fidelium clamantem : Abba, Pater (Gal. 4,6), in spiritu, qui adiuvat infirmitatem nostram et qui ipse pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus (Rom. 8,26); nam de tempore messiano dictum est : spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et spiritum meum ponam in medio vestri (Ez. 11,19; 36,27). Adorabunt in veritate quae per Messiam facta est (1,17); hac veritate, hac pleniore et sublimiore cognitione Dei et consiliorum eius et miserationum imbuti praeclariores Deo laudes, gratiarum actiones, obsecrationes offerent. Sicut itaque gratia et veritas nobis obtingit per Messiam (1,19), ita pari ratione perfectus ille cultus Dei per eundem constituitur. Deus enim pro summa sua perfectione necessario gloriam suam expetit : *nam et Pater tales quaerit qui adorent eum;* manifestat enim Deus in opere creationis, in gubernatione mundi, in opere redemptionis divinas suas perfectiones, quas ab hominibus agnosci, laudari, adorari, celebrari necessario vult.

Sed quis tandem Deo dignum rependere cultum poterit, nisi is qui ab ipso Deo edoctus et ope divina elevatus et instructus eum adorat? v. 24 *spiritus est Deus* et qua talis omnes res corporeas et visibiles longissimo, immo infinito superans intervallo; ut itaque ei cultus reddatur naturae eius et perfectioni congruus, Deus ipsam creaturam superna ope et illustratione quodammodo ad se elevare debet : *et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare;* cf. v. 23. Quanti hoc momenti sit, conclude ex repetita ac sollemni Christi asseveratione. Promulgat quippe legem qua deinceps Deus cultum ab hominibus expetit. Oportet homines constitui *in spiritu,* in gratia Spiritus sancti actuali et habituali quacum ipse Spiritus sanctus in iustis inhabitat (Rom. 5,5; 8,11. 2 Cor. 1,22 etc. cf. Ioan. 14,23), et *in veritate* illa quam Christus e coelo nobis attulit de Dei natura, mysteriis, amore etc.; ea ratione edocti et instructi colere debent Deum qui alium cultum iam non admittet. Quia Christus veritatem nobis affert (1,19) et in veritate nos Deus colere iubemur, simul clare indicatur a Christo quoque cultum Deo unice dignum doctum et institutum iri. Hunc docuit Christus iis quae de oratione proposuit, de fiducia in Deum habenda (Matth. 6,5 seq. 7,7 seq. Marc. 11,24 seq. Luc. 11, 2 seq. 18,1-14), hunc instituit mandans apostolis : hoc facite in meam commemorationem (Luc. 22,19. 1 Cor. 11,25), qua voce iubet offerri oblationem illam mundam nomini Dei, per quam magnum erit nomen Dei in gentibus ab ortu solis usque ad occasum (Mal. 1,11).

Variae quidem feruntur expositiones *in spiritu et veritate,* quae tamen ex

parte ad eam accedunt quam secundum alios locos et certam doctrinam s. litterarum supra dedi vel ex ea facile deducuntur. Nam intelligunt *in spiritu*, Deum esse colendum non cultu qui loco circumscribatur, sed mente et animi puritate, non carnalibus caerimoniis, victimis spiritualibus (cf. *Chr. Theoph. Euth. Alb. Bon. Thom. Mald. Bar. Ians. Lap. Fil.*) vel, ut *Tol.*, volunt haec opponi illis : in monte hoc, in Ierusalem; adorationem quippe Samaritanorum esse in falsitate, unde requiri adorationem in veritate; adorationem autem Iudaeorum esse quidem in veritate, at in umbris et figuris; unde requiri adorationem in spiritu; vel in spiritu adorare esse : adorare spirituali adoptione accepta (*Rup.*), motum a spiritu (*Salm.*). Porro *in veritate* exponunt : adorare recta de Deo opinione (*Theoph.*), recte et pure (*Alb.*), manendo in Filio qui est veritas (*Rup.*), non in umbra et figuris veteris foederis (*Chr. Bon. Thom. Salm. Mald. Bar. Fil.*), vero, recto, sincero cultu (*Lap. Calm.*), mente a peccatis, concupiscentia mala, pondere rerum terrestrium libera, quae sit veritate divina affecta et mutata (*Schz.*). — In ordine hoc supernaturali homo suis viribus non potest Deum colere, uti coli vult. Itaque datur ei πνεῦμα; in spiritu, in animo altiore Dei virtute praedito et imbuto Deum adorat quae adoratio igitur non ad certum locum restringitur, non in carnalibus rebus vel caerimoniis consistit, sed cum a gratia divina procedat et spiritu Dei inhabitante quasi adiuvetur, Deo est congrua, accepta, grata. Fit eadem in veritate scil. secundum doctrinam modumque a Christo traditam; unde fit mente vera Dei cognitione praedita, fit magna pietate, fiducia, fit relictis figuris, eo scil. sacrificio, in quo omnium figurarum ac typorum habetur impletio, quare revera umbram fugat veritas. Amplam itaque applicationem variamque colligere licet ex verbis Christi adorare oportere *in spiritu et veritate*.

De quinque illis viris quos mulier samaritana habuit et veteres quidam et recentiores nonnulli explicationem symbolicam tentarunt. Ita quinque viros explicant de quinque libris Moysis quos Samaritani solos agnoscebant *Ambrosius* (Comment. Luc. lib. 7 n. 199; lib. 8 n. 37; *M.* 15,1752. 1803), *Beda* : primo quinque libris Moysi quinque viris servisti, nunc autem quem habes i. e. quem audis, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. Aliam *Aug.* et ipse quoque *Beda* proponunt explicationem de quinque corporis sensibus; vir non legitimus dicitur error; vir qui vocandus sit est intellectus (sim. *Alb. Thom. Bon.*); varia quoque apud *Orig. Rup.* habentur. Hi tamen veram narrationem esse retinent. At recentiores totum nil aliud esse quandoque contendunt quam symbolicam expositionem historiae Samaritanorum (cf. 4 Reg. 17,24; *Iosephus* : quinque gentes, singulae suum quaeque deum attulerunt Samariam, Antiq. 9,14,3), vel typum, vel mythum, vel rem plane confictam, ita ut omnem rei veritatem narrationi esse denegandam velint (ita fere *Keim, B. Bauer, Strauss*, contra quos agunt *Keil, Weiss*). Quod explicationis portentum refutatione non indiget.

Mulier parum intellexit quae Christus de adoratione docuerat (*Chr.*

Ians.); cum tamen ex communi exspectatione sciat tempus Messiae in propinquo esse, respondet eo modo quo respondere solemus, si de re obscura mox pleniorem institutionem nos assecuturos speramus v. 25 *dicit ei mulier : Scio quia Messias venit* (*qui dicitur Christus*), ἔρχεται, uti ex v. 23 constat, intelligi potest de adventu mox futuro vel iam instante (uti veteres saepius accipiunt, *Ians. Tol. Mald. Lap. Sa, Estius, Nat. Calm.*); tempus incertum (*Cai.*), futurum designari alii dicunt (*Bar. Schz.*); *cum ergo venerit, ille nobis annuntiabit omnia;* nos docebit clare et distincte. Verba haec non ita intelligi possunt, ac si mulier de responsione Iesu parum grata minime contenta diceret contentionem de adoratione tandem a Messia esse dirimendam (*Mald.* et fere *Tol. Ians.*); *Schg.* autem censet mulierem de Messia sermonem intulisse quia iam suspicata esset Iesum esse Messiam. Mulier ultimis verbis profitetur Messiae plenam fidem et obedientiam esse exhibendam. Hanc animi docilitatem et promptitudinem Iesus pro sua clementia non permittit carere mercede. Unde se ei manifestat v. 26 *dicit ei Iesus : ego sum qui loquor tecum;* en mulieri aperte dicit, quod Iudaeis negavit instantibus : si tu es Christus, dic nobis palam (10,24). Sed attende, quam diversa fuerit animorum dispositio. Iudaeis enim iuste opponit : loquor vobis et non creditis etc.; et illi quaerunt non voluntate credendi, sed persequendi (*Tol.*).

Veteres iam monent Samaritanos exspectationem Messiae haurire potuisse ex Gen. 49,10 et Deut. 18,15 (*Chr. Theoph. Euth. Rup. Thom. Ians. Mald.*). Nomen eius apud illos esse dicitur הַתָּהֵב (cf. שׁוּב) vel is qui redibit, vel qui restituet (cf. *Schg. Schz. Fil.*).

f) Veniunt discipuli et Samaritani 4,27-42.

4,27. Et continuo venerunt discipuli eius; et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quaeris, aut quid loqueris cum ea?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : 29. Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci : numquid ipse est Christus? 30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem :

4,27. Καὶ ἐπὶ τούτῳ ἦλθαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ἐθαύμαζον ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει· οὐδεὶς μέντοι εἶπε, Τί ζητεῖς; ἤ, Τί λαλεῖς μετ' αὐτῆς;

28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν αὐτῆς ἡ γυνὴ, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, καὶ λέγει τοῖς ἀνθρώποις, 29. Δεῦτε, ἴδετε ἄνθρωπον, ὃς εἶπέ μοι πάντα ἃ ἐποίησα· μήτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός; 30. ἐξῆλθον ἐκ τῆς πόλεως, καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτόν. 31. Ἐν τῷ μεταξὺ ἠρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ, λέγοντες, Ῥαββεί, φάγε.

32. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν ἣν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. 33. ἔλεγον οὖν οἱ μαθηταὶ πρὸς ἀλλήλους, Μήτις ἤνεγκεν

Numquid aliquis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Iesus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius.

35. Nonne vos dicitis; quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam, ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum : quia alius est qui seminat, et alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis; alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis.

39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quaecumque feci.

40. Quum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius.

42. Et mulieri dicebant : Quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi.

αὐτῷ φαγεῖν; 34. λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἐμὸν βρῶμά ἐστιν, ἵνα ποιήσω τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, καὶ τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον.

35. οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνός ἐστιν καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται; ἰδού, λέγω ὑμῖν, ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, καὶ θεάσασθε τὰς χώρας, ὅτι λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη. 36. ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, καὶ συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον· ἵνα ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ καὶ ὁ θερίζων. 37. ἐν γὰρ τούτῳ ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινὸς, ὅτι ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων.

38. ἐγὼ ἀπέστειλα ὑμᾶς θερίζειν ὃ οὐχ ὑμεῖς κεκοπιάκατε· ἄλλοι κεκοπιάκασιν, καὶ ὑμεῖς εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε.

39. Ἐκ δὲ τῆς πόλεως ἐκείνης πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν τῶν Σαμαρειτῶν, διὰ τὸν λόγον τῆς γυναικὸς μαρτυρούσης, ὅτι εἶπεν μοι πάντα ἃ ἐποίησα.

40. ὡς οὖν ἦλθον πρὸς αὐτὸν οἱ Σαμαρεῖται, ἠρώτων αὐτὸν μεῖναι παρ' αὐτοῖς· καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας. 41. καὶ πολλῷ πλείους ἐπίστευσαν διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ, 42. τῇ τε γυναικὶ ἔλεγον, Οὐκέτι διὰ τὴν λαλιάν σου πιστεύομεν· αὐτοὶ γὰρ ἀκηκόαμεν, καὶ οἴδαμεν ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου.

In v. 27 sin et dum loquerentur, venerunt. In v. 31 sin ut manducaret cum iis panem, sim. syr (cu). In v. 32 am ben dun fuld hub theod med ox st lind ff^2 Aug m non scitis. In v. 35 sin quattuor menses alii et venit messis; e q quadrimestre est; l inter quattuor menses. Ad v. 36 trahitur ηδη Ti W H cum ℵ^c A C* D E L; iam qui metit b d e l q r; sin et iam (continuo) messor accipit. In v. 37 verbum veritatis mt a d f ff^2 l m q. In v. 38 codd vulg sat multi b d l laborem (ita scil. am dub ept fuld ger med ox ken rush st corp lind). In v. 42 ℵ* D σην μαρτυριαν, b d l r testimonium; ger e q sermonem; addunt in fine ο χριστος A C^3 D L Γ Δ Λ Π unc 9 al pler c f q syr (sch) Chr Cyr.

Sed iam discipuli cibis emptis revertuntur (cf. v. 8); v. 27 *et continuo*, ἐπὶ τούτῳ interea, dum haec agebantur; sed dictioni quoque subest notio quam versio vulg. exprimit, *venerunt discipuli eius et mirabantur quia cum muliere loquebatur;* miramur insolita (*Cai. Tol. Calm.*); proin nondum adverterant Iesum recedere a more doctorum, qui cum muliere in via publica loqui ita nefas putabant, ut ne pro-

priam quidem uxorem alloquendam esse dicerent (varia ea de re afferunt *Wetst. Wünsche*). Cum dicatur μετὰ γυναικὸς ratio admirationis non est reponenda quod cum muliere vili, paupere, samaritana loquebatur (*Chr. cat. Cr. Theoph. Euth. Thom. Bar. Ians. Nat. Schg.*); verum tum dicendum erat, ut *Lap.* monet, cum muliere *illa* vel *tali;* quare sola ratio admirationis redditur, quia insolitum erat Iesum loqui cum mulieribus (*Cai. Tol.*), quippe quod in vita publica maxima quaedam separatio sexuum in usu erat (*Schz.*). Nolim tamen dicere cum *Mald.* eos esse miratos quod non satis honestum esse videretur, ut solus cum sola muliercula loqueretur; eiusmodi enim cogitationem puto longissime abfuisse ab eorum mentibus quia Iesum id agere videbant, cuius maxima reverentia tenebantur. Verum potius eius animi humilitatem mirabantur (*Chr. Cyr. Euth. Thom.*), quia non, uti rabbini, muliebrem sexum aspernabatur; « rursum discipuli salvatoris benignitatem et demissionem illam attoniti mirantur; non enim ut nonnulli immodice religione efferati colloquium cum muliere aversatur, sed in omnes expandit suam mansuetudinem » (*Cyr.*).

Proprium quidem est admirantium aliquem effectum scire velle causam; at discipuli prae Domini reverentia non interrogant (*Chr. Thom. Tol. Calm.*), *nemo tamen dixit : quid quaeris? aut quid loqueris cum illa?* quid requiris? aut si nihil requiris, cur cum ea loqueris? a qua curiositate discipuli se continuerunt; nihil enim horum scire ad ipsos attinebat (*Tol.*). Verbis Iesu : ego sum Messias v. 26, ita percellitur mulier, ut velut rerum omnium oblita et aquae cuius hauriendae causa venerat et hydriae quam secum attulerat, nihil aliud iam cogitet quam de Christo deque communicando cum omnibus invento a se thesauro (*Mald.*); qui mulieris fervor describitur v. 28 *reliquit ergo hydriam suam mulier et abiit in civitatem et dicit illis hominibus;* v. 29 *venite et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci; numquid ipse est Christus?* vide quam prudenter loquatur (*Chr.*) : venite, experimini, explorate, iudicate, num ille Messias sit; μήτι « neque penitus affirmat, neque reticet; volebat enim non ex opinione sua illos inducere, sed illo audito ipsos suae sententiae consortes habere, unde res magis probabilis evasura erat » (*Chr.*); et ut illos magis attrahat, offert eis veluti escam quandam suorum peccatorum detectionem (*Euth.*). Ipsa quidem iam credidit; at loquitur dubitans, ne de re gravissima a se ipsa iudicare et decernere videatur; certe enim, ut *Cyr.* notat, despecta fuisset nec immerito ut quae longe ultra suam conditionem saperet nec morum suorum ignaros auditores haberet. Neque frustra eos invitaverat; v. 30 *exierunt ergo de civitate et veniebant ad eum,* « Iudaeorum duritiem Samaritanorum facilitas arguit » (*Cyr.*).

Interea discipuli cibum emptum Christo apposuerunt. Christus autem haeret meditabundus et quasi aliam in rem quae magis sibi quam cibus esset animo defixus (*Mald.*); totus enim in salutem electorum incumbens nutriendi corporis curam nullam habet (*Cyr.*). Cum itaque cibum appositum non tangeret, v. 31 *interea rogabant eum discipuli*, ἠρώτων ἐνταῦθα παρεκάλουν ἐστὶ, τῇ ἐγχωρίῳ αὐτῶν φωνῇ (*Ch. Theoph. Euth.*), *dicentes : rabbi, manduca!* v. 32 *ille autem dicit eis : ego cibum habeo manducare quem vos nescitis*, qualis sit cibus, declaratur v. 34; cum animus vehementiore quodam affectu moveatur, iam nihil de cibo cogitat corporali. Ita Iesus quoque operi messiano intendens et fidem Samaritanorum cum gaudio exspectans ita animo occupatur, et oblectatur, ut alimentum corporis renuat; ciborum loco ei est perditorum ad salutem reversio et discipulis significat, si scirent iam agi de Samaritanorum conversione, fore, ut de illo cibo magis cogitarent quam de corporali consulerent (*Cyr.*); simul innuit corporalem cibum Dei voluntati et hominum saluti esse postponendum et ad id discipulos suaviter adducit (*Ammonius*, cat. Cr.).

Quid mirum, si mulier illa non intelligebat aquam? ecce discipuli nondum intelligebant escam (*Aug. Bed. Rup.*); v. 33 *dicebant ergo discipuli ad invicem: numquid aliquis attulit ei manducare?* dubitant, dum doctori reverentiam et honorem pro more exhibent ac mutuo colloquuntur neque audent ab illo sciscitari (*Chr.*). Proditur in his nativa veritatis simplicitas et scriptor facile agnoscitur ea narrans quibus praesens adfuerat (*Patr.*). Attentione discipulorum excitata etiam ad eorum doctrinam et institutionem qui futuri erant orbis terrarum magistri declarat Christus v. 34 *dicit eis Iesus : meus cibus est*, quo suum explicat desiderium, oblectamentum, *ut faciam voluntatem eius qui misit me, ut* (καὶ) *perficiam opus eius*, ἵνα, qua particula desiderium connotatur, quamvis etiam, uti in graecitate posteriore, pro infinitivo adhibeatur; utraque explicatio hoc loco suos habet patronos (cf. *Schz.*); ποιῶ scil. ut continuo ac constanter faciam; τελειώσω ut denique tempore futuro opus Dei ad perfectionem adducam et absolvam; opus scil. quod Deus a me peragi vult, opus messianum, redemptionem generis humani et constitutionem regni Dei. Hisce se pasci, sustentari, haec appetere indicat; haec iam enuntiavit puer duodennis : in his quae Patris mei sunt oportet me esse (Luc. 2,49); haec a se impleta esse edixit 17,4.

Iam ad eandem secum animi affectionem discipulos adducere studet. Occasionem capit, uti modo ex cibo praesenti, ita nunc ex anni tempore de quo illi mentionem fecisse videntur v. 35 *nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit?* i. e. messis agrorum

post quatuor menses est colligenda. Ita longe plerique et veterum et recentiorum intelligunt verba. Messis autem peragebatur inter pascha et pentecosten; tempus itaque tunc erat intra menses novembrem et decembrem (ita iam Card. *Hugo, Patr.*); decembrem assignant *Ians. Bar. Schg. Schz. Fil. Corl. Weiss, Keil;* alii tempus hiemis (*Thom. Cai.*), alii ianuarium (*Tol. Lap. Calm.*). Inde itaque colligitur quando Iesus ex Iudaea in Galilaeam post pascha reversus sit; proin satis longo tempore, a paschate usque ad mensem decembrem in Iudaea versatus est (cf. 3,22). « Vos quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo » (*Aug. Bed.*); *ecce dico vobis, levate oculos vestros et videte regiones quia albae sunt iam ad messem* i. e. videte regiones iam albas esse ad messem (ita explica τὰς χώρας ὅτι etc. ex nota illa attractione). Quemadmodum spicae, cum albae sunt, iam ad messem sunt paratae, sic Samaritani voce mulieris invitati ad fidem iam sunt parati et idonei. Iam appropinquant ad Iesum; quare apte dicitur : levate oculos, videte illos advenire et inde perspicite hanc regionem esse paratam ad regnum Dei suscipiendum. Unde haud immerito *Chr.* dicit oculos hic mentis et corporis intelligi; « nam videbant Samaritanorum turbam venientem; illorum vero promptam voluntatem regiones albas appellat » (sim. *Thom.*).

Pauci sunt qui verba illa : adhuc quatuor menses... proverbium esse velint, quo solum enuntietur a semente ad messem usque esse menses quatuor i. e. satis esse temporis ut de aliqua re cogitetur facienda, eo plane modo quo latine dicitur : adhuc seges in herba est (*Mald.* sim. *Wetst.* aliique). Verum enuntiandi modus proverbio aptus non est. Nam *adhuc* ἔτι solum tempus illud indicat quo haec verba dicuntur; ergo ab eo tempore quo loquuntur usque ad messem sunt quatuor menses; neque *adhuc* tempus sementis potest indicare, et praeterea a semente ad messem usque sunt potius sex menses. Quare proverbium in illis agnosci nequit. Ergo solum relinquitur, ut tempus anni exprimatur.

Plane novam explicationem proposuit *Power* in periodico Dublin Review 1890 mense aprili (vol. 23 p. 351-367); τετράμηνος ait intelligendum esse de frumento quod iam per 4 menses creverit, ita ut messis iam prope adsit : say ye not the crop is already four months old and the harvest is coming? vocem itaque accipiendam esse sicut « trimense triticum, vel tetransiton »; negat versionem usitatam sustineri posse. At graeci interpretes nullam in ea voce difficultatem experti sunt; ita *Cyr.* καιροῦ δὲ τεσσάρων μηνῶν διϊππεύσαντος; *Theoph.* ὁ θερισμὸς ἐν τῇ τετραμήνῳ ταύτῃ ἔρχεται. Recte quidem dicit *Power,* vocem τετράμηνος non esse substantivum, sed adiectivum; verum inde nondum sequitur solum σῖτος posse ac debere suppleri; sufficit χρόνος supplere (cf. Lobeck ad Phryn. p. 549, *Weiss*). Novam hanc explicandi rationem excogitavit, quia fieri non posse sibi persuasit, ut metaphorice

intelligantur verba : levate oculos et videte regiones albas iam ad messem. Ea de Samaritanis accipere, ei videtur plane absurdum. At nonne statim in v. 36 metaphora est agnoscenda? nam sane qui congregat fructum in vitam aeternam, non est is qui triticum in agro metit! Ergo iam in v. 35 debet adesse metaphora. Et ea clare quoque indicatur, dum Christus dicit : ecce ego dico vobis; qui modus emphaticus loquendi plane esset ridiculus, si frumentum iam messi proximum est; tunc enim Christus tanta epitasi nil aliud diceret nisi quod iam a discipulis est dictum, cum tamen ipsis verbis : ecce ego dico vobis, ad aliud quidquam mentes eorum avocare vult. Uti itaque in v. 32 a cibo corporali transitus fit ad cibum spiritualem, ita hoc loco *a messe* de qua discipuli loquuntur, ansam capit *de altera messe* inferendi sermonem qui in v. 35 inchoatur et in sequentibus continuatur. *Power* vero serio putat Christum non potuisse loqui de regione alba ad messem, nisi conspexisset spicas iam albescentes; verum oportuit legere quoque v. 36.

A regionibus vel campis iam ad messem albis transit ad emolumenta messorum v. 36 *et qui metit mercedem accipit* pro se, pro suo labore, et insuper ex tali messe effectus exsurgit quam maxime praeclarus *et congregat fructum in vitam aeternam*, tales scil. ea in messe segetes et manipulos colligit quae non in horreis terrenis reconduntur, verum in vita aeterna, in coelesti beatitudine reponuntur. Eiusmodi enim fructus sunt homines conversi et salvi opere et labore praedicantium (*Tol. Ians. Bar.*). Quae explicatio quam maxime imagini apta est : segetes in horreis collocantur in emolumentum domini messis; homines itaque in coelo ad Dei gloriam celebrandam sua beatitate. Alii, uti *Rup. Schg.*, mercedem intelligunt temporalem illam de qua Christus loquitur (Matth. 10,10. Luc. 10,7), fructum autem praemium in coelo; alii demum mercedem et fructum non distinguunt et καὶ explicative accipiunt (cf. *Bon. Cai. Mald. Schz.*). Ex effectu autem hoc duplici, ex mercede et fructu collecto, exsurgit tertius : *ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit;* quis est ὁ σπείρων? veteres plerumque prophetas intelligunt, *Patr.* prophetas, Ioannem baptistam, potissimum autem ipsum Christum; solum Christum alii (*Schg. Schz.*), quae explicatio commendatur eo quod proxime de Samaritanis est sermo — ab iis enim exordium sermonis desumptum est — et quod numerus adhibetur singularis. Christus semen spargit, discipuli metunt i. e. homines revera doctrina a Christo sparsa imbuunt, eos baptismo in regnum messianum colligunt. De eorum salute et Christus et discipuli in aeternum laetantur. De conversione Samariae vide Act. 8,5 seq.

Statuitur itaque ea in re discrimen inter seminantem et metentem; unde v. 37 *in hoc enim*, in hoc casu de quo sermo fit, *est verbum ve-*

rum, ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινός, effatum, proverbium est genuinum, rei plane respondet, *quia* (ὅτι recitativum) *alius est qui seminat et alius est qui metit;* proverbium hoc alibi non reperitur; aliqui allegant Lev. 26,16 (*Thom. Calm.*); cf. Iob 31,8. Is. 65,22. Mich. 6,15 (*Schz.*). In colendis agris si contingat, ut alias serat, alius metat, non una gaudent, sed dolet qui seminavit, utpote qui alteri laboraverit; hic autem non ita; uterque gaudet (*Chr.*). Etiam clarius differentia personarum effertur adiecta ad v. 37 declaratione v. 38 *ego misi vos metere quod vos non laborastis; alii laboraverunt et vos in labores eorum introistis;* sunt qui *misi* interpretentur prophetice (*Mald. Schz. Fil. Weiss*) vel dici, quia iam eos elegerit et destinarit, ut suo tempore mitterentur. Neque tamen necesse est ita explicare. Nam uti in v. 35 et 37 loquitur de Samaritanis, proin de conditione praesenti argumentum desumit, ita in hoc versu pariter ex re antea gesta sententiam illustrat. Verba enim haec omnino referri possunt ad commorationem illam in Iudaea, in qua discipuli baptizabant et eo quidem successu, ut omnes venirent ad Iesum et Iesus plures faceret discipulos (3,26;4,1.2). Ibi metebant quod baptista et Iesus seminarant; ibi in eorum labores introibant. Ita *Patr.* : « ex his efficitur per illos menses, qui fuerunt a paschate ad Christi profectionem ex Iudaea, discipulos ab eo missos fuisse ad populos illius regionis docendos ». Veteres tamen communiter explicant discipulos in labores prophetarum introisse. Verum id de Samaritanorum conversione dici nequit, neque proxime de Iudaeis.

Quam prompto ad credendum animo Samaritani fuerint, refertur v. 39 *ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis : quia dixit mihi omnia quaecumque feci;* vigebat enim inter eos exspectatio Messiae (v. 25); quare narratione mulieris et eius de Messia quaestione (v. 29) facile in eam sententiam inducebantur; v. 40 *cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret;* mulieris testimonio fidem habent nulloque viso signo rogant, ut secum maneat; Iudaei visis miraculis non modo eum non retinuerunt, sed expulerunt (*Chr.*); *et mansit ibi duos dies;* profecto perbreve tempus, si spectas tempus trium annorum et aliquot mensium Iudaeis datum; sed hic quoque illud valere ostenditur : non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel (Matth. 15,24; cf. 10,6). Verum brevi hac commoratione fructus exstitit praeclarus v. 41 *et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius;* ipsa Christi praesentia et doctrina et numerus augebatur credentium et modus credendi evadebat perfectior (cf. *Thom.*); fides quam concipere testimonio mulieris coeperunt efficiebatur perfecta v. 42 *et mulieri dicebant quia iam non propter tuam lo-*

quelam (λαλιάν, narrationem; quae vox hic in bonam partem accipitur; alias utique loquacitatem quoque dicit) *credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi;* firmissimam enuntiant persuasionem; *vere* dicunt, uti loqui solemus, si alterius sermonem vel testimonium nostra persuasione verum reperientes confirmamus. Eum esse Salvatorem *mundi*, non Iudaeorum solum, sed et gentium, discere poterant ex commercio Christi secum et ex eius verbis; cf. v. 21-24. Nam si solos Iudaeos salvare vellet, nec mulierem samaritanam nec eos docuisset[1].

g) Iesus se manifestat in Galilaea 4,43-54.

4,43. Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilaeam. 44. Ipse enim Iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. 45. Quum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, quum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo; et ipsi enim venerant ad diem festum.

46. Venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic quum audisset quia Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium eius; incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Iesus ad eum : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus : Domine, descende priusquam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Iesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus, et ibat. 51. Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nun-

4,43. Μετὰ δὲ τὰς δύο ἡμέρας ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. 44. αὐτὸς γὰρ Ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν, ὅτι προφήτης ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι τιμὴν οὐκ ἔχει. 45. Ὅτε οὖν ἦλθεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἐδέξαντο αὐτὸν οἱ Γαλιλαῖοι, πάντα ἑωρακότες ὅσα ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις ἐν τῇ ἑορτῇ· καὶ αὐτοὶ γὰρ ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν.

46. Ἦλθεν οὖν πάλιν εἰς τὴν Κανὰ τῆς Γαλιλαίας, ὅπου ἐποίησεν τὸ ὕδωρ οἶνον. καὶ ἦν τις βασιλικὸς, οὗ ὁ υἱὸς ἠσθένει ἐν Καφαρναούμ. 47. οὗτος ἀκούσας ὅτι Ἰησοῦς ἥκει ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν, ἀπῆλθεν πρὸς αὐτὸν, καὶ ἠρώτα ἵνα καταβῇ καὶ ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν· ἤμελλεν γὰρ ἀποθνήσκειν. 48. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς αὐτὸν, Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε. 49. λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ βασιλικὸς, Κύριε, κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν τὸ παιδίον μου. 50. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Πορεύου· ὁ υἱός σου ζῇ. ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ ὃν εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐπορεύετο. 51. ἤδη δὲ αὐτοῦ καταβαίνοντος οἱ δοῦλοι αὐτοῦ ὑπήντησαν αὐτῷ λέγοντες,

1. Quam arbitrarie, imo frivole tractent narrationes, exemplum habes in Handcom. p. 83 : illud οὐκ ἐδέξαντο αὐτὸν Luc. 9,53 convertitur in precationem : rogaverunt eum, ut ibi maneret. Rem non esse vere gestam vario modo ostendere conantur. Cum in Sichem et in Ascar fontes sint, non intelligi cur mulier illis relictis ad cisternam Iacob veniat. Sed statim cernitur in v. 12 cur veniat, etsi fortasse etiam fontem alium habuerit vicinum, quamvis id asserere nemo possit, quia nemo scit, ubi habitaverit. Praeterea monent nullum adfuisse testem colloquii; quomodo ergo referri posset? Iesum qui Matth. 10,5 dixerit, non posse loqui sicut in v. 23. 24; neque discipulos ita posse alienos esse a praeiudiciis Iudaeorum, uti in v. 8.31 appareat. Proin esse historiam arte confectam et respici Act. 8,5-24 et depingi in muliere et illis quinque viris historiam populi etc.; in v. 18 : nunc quem habes non est tuus vir, posse cerni Simonem magum.

tiaverunt dicentes, quia filius eius viveret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus : Filius tuus vivit, et credidit ipse et domus eius tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset a Iudaea in Galilaeam.

ὅτι ὁ παῖς αὐτοῦ ζῇ. 52. ἐπύθετο οὖν (παρ' αὐτῶν) τὴν ὥραν ἐκείνην ἐν ᾗ κομψότερον ἔσχεν, εἶπον οὖν αὐτῷ, ὅτι ἐχθὲς ὥραν ἑβδόμην ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός· 53. ἔγνω οὖν ὁ πατήρ, ὅτι ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, ἐν ᾗ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὁ υἱός σου ζῇ, καὶ ἐπίστευσεν αὐτὸς καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. 54. Τοῦτο δὲ πάλιν δεύτερον σημεῖον ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν.

In v. 43 add και απηλθεν Α Γ Δ Λ Π unc 9 al pler vg syr arm aeth; dub et fugit; cav for tol et fuit. In v. 45 a ff[2] galilaei universi, e omnes; codd mu vg *in* diem festum. In v. 47 a erat enim moriturus. In v. 51 ο παις σου D L Γ Δ Λ Π unc 9 al pler, (filius tuus a b e q) syr (cu, utr, hr) cop basm aeth Or Chr Cyr. In v. 52 syr (cu) hora nona, c tertia. In v. 54 e om secundum.

Inceperat evangelista narrationem, quomodo Iesus relicta Iudaea in Galilaeam abiisset; eam interrupit narranda Samaritanorum historia; hac finita redit ad priorem v. 43 *post duos autem dies* (cf. v. 40) *exiit inde et abiit in Galilaeam*, verba repetit ex v. 3 narrationem ibi inceptam continuans; ibi dixerat : reliquit Iudaeam; hic rationem quoque affert, cur relicta Iudaea abierit in Galilaeam v. 44 *ipse enim Iesus testimonium perhibuit*, *quia propheta in sua patria honorem non habet;* Iesus natus in Bethlehem revera Iudaeam habuit patriam, quamvis in Nazareth adolevisset; atque Iudaeam hoc loco ab evangelista designari, ex contexta narratione collatis inter se v. 43. 44 et 3 efficitur, et Iudaeam eius patriam interpretantur *Or. Mald. Ians. Nat. Patr. Schz. Keil.* Verbis enuntiari videtur Christum ea occasione id ipsum dixisse et de incredulitate Iudaeorum, praesertim nobilium et pharisaeorum conquestum esse. Certe eadem aliis occasionibus dicta sunt (cf. Matth. 13, 57. Marc. 6,4. Luc. 4,24) et ibi quidem de Nazareth; quare alii malunt explicare Christum non verbis, sed re ipsa et factis testimonium perhibuisse et eo sensu rem ab evangelista referri vel evangelistam id quod Iesus alia in causa dixit ad causam similem accommodasse (cf. *Mald.*).

Multiplicem hic locus expertus est explicationem. Et plerique quidem patriam accipiunt de Nazareth, uti verba certe intelliguntur Matth. 13,57. Marc. 6,4. Luc. 4,24. Unde inter v. 43 et 44 supplendum esse censent : abiit in Galilaeam *et praeteriit Nazareth*, ipse enim etc., quam suppletionem ex synopticis fieri posse existimant (cf. *Cyr. Tol. Cai. Ians. Bar. Sa, Lap. Tir. Mar. Men. Calm. Corl. Schg.;* plures in medium profert *Schz.*). At haec suppletio dura est et modus loquendi evaderet plane obscurus. Evangelista aperte rationem afferre vult, cur Iesus abierit *in Galilaeam,* ergo de Nazareth quod est oppidum Galilaeae in v. 44 nequit cogitari. Abit

autem in Galilaeam relicta Iudaea; ergo ratio affertur, cur relicta Iudaea abeat in Galilaeam. Neque obstat quod Iesus populari opinione Galilaeus, Nazarenus vocetur (cf. 7,41. Luc. 23,6). Nam ipsi Iudaei sciebant Christum venturum de Bethlehem castello (7,42); quare a fortiore evangelista Iudaeam vere esse patriam eius affirmare potuit. Eadem ratione qua opinio de Nazareth refutatur, reiicitur sententia de Capharnaum (apud *Chr. Euth.*). Alii ipsam Galilaeam patriam dici volunt; varie tamen connectunt sententias; addi v. 44, ut explicetur, quare non semper maneat in Galilaea (*Theoph.*); at cur relinquat Galilaeam, nihil in verbis reperiri potest; vel iterum eum reverti quia antea non honorem et fidem invenerit, ut nunc signis patratis fidem sibi conciliet (*glossa, Bon. Alb.*); vel eum redire in Galilaeam *quia* ibi *nondum* habeat honorem, redire scil. ut honorem sibi comparet (*Weiss*); vel quia propheta in patria non habeat honorem, opus fuisse ut hunc sibi apud extraneos acquireret; nunc itaque hoc honore acquisito (v. 45), posse Iesum redire in Galilaeam patriam (*Meyer, Fil.*); at Iesum secum afferre honorem ideoque redire, gratis in textum infertur; vel γάρ, *enim* esse idem quod *nempe;* prophetam nempe in patria quidem non habere honorem, at Galilaeos tum bene excepisse Iesum, quia vidissent quae in Ierusalem fecisset; vel ideo rediisse, quia propheta non habeat honorem inter suos; sperasse scil. Iesum fore, ut ibi quiete et tranquille vitam degere posset (*Luthardt*); verum quam insignis cum vita Iesu in Galilaea contradictio! Patriam Iesu assignat *Rup.* Iudaeam et Galilaeam, *Theoph.* inter alia Iudaeorum synagogam.

Hunc esse reditum illum in Galilaeam, a quo synoptici narrationem de praedicatione in Galilaea incipiunt, veteres iam adnotant (cf. *Rup.*); v. 45 *cum ergo venisset in Galilaeam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo,* festo scil. paschali; *et ipsi enim venerant ad diem festum;* fecerat signa 2, 23; 3,2; *ideo* eum excipiunt. Unde apparet eos esse in ea animorum dispositione quam statim v. 48 reprehendit, neque doctrina eius et testimonio quod baptista de eo dederat nec testimonio quod ipse de se exhibuit (cf. 3,11. 12) eos ad fidem in eum esse adductos. Galilaei eum suscipiunt post signa Ierosolymis edita, Samaritani vero ex doctrina tantum (*Chr.*). Opponuntur Galilaei Iudaeis; illi visis signis eum libenter suscipiunt ut virum sanctum, a Deo approbatum; hi visis signis ei obsistunt (2,18; 4,1; cf. *Mald.*). Quare Galilaei multo melius dispositi nobis exhibentur quam Iudaei et explicatio quae de v. 44 data est hic quoque confirmatur. Quo autem tenderit rediens in Galilaeam exponitur v. 46 *venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum,* scil. ut fidei semina quae eo miraculo ibi iecerat augeret (*Tol.;* cf. *Chr. Cyr. Mald.*); « fecit idem Paulus Syriam et Ciliciam peragrans ut ecclesias quas plantaverat confirmaret, Act. 15,41 » (*Mald.*).

Quae autem fuerit animorum dispositio et qua ratione fidem in Galilaea excitare et augere studuerit, uno in exemplo depingitur, quo praedicationem ea in regione auspicatus est : *et erat quidam regulus* βασιλικός, minister principis, aulicus — « quem nos *de aula regia* rectius interpretari possumus *palatinum* » (*Hier.* in Is. 65,1); vox *regulus* potius refertur ad βασιλίσκος, uti quandoque legitur (a d basiliscus); regius minister i. e. apud tetrarcham Herodem Antipam qui voce populari rex appellabatur (cf. Matth. 14,1. Marc. 6,14. Luc. 3,1; 9,7) munus aliquod gessit vel in re militari (qua notione vox apud Iosephum saepius reperitur; Nonnus quoque ἰθύνων στρατιήν) vel in aliis; opinatur *Schg.* eum fuisse Chusam procuratorem Herodis (Luc. 8,3) quem eundem quoque existimat cum Manahen (Act. 13,1), quae duplex coniectura satis debilis est; vix enim puto Ioannem qui novit synopticos de Chusa marito Ioannae, unius ex Iesu comitibus (Luc. 8,3; 24,10), scripsisse hoc modo καὶ ἦν τις βασιλικός, *cuius filius* ὁ υἱός, ex articulo unicum fuisse concluditur, *infirmabatur Capharnaum* ἐν Καφ. refer ad priorem sententiam : erat quidam minister regis in Capharnaum, uti statim consequitur ex v. 47 (*Mald. Tol.*) v. 47 *hic cum audisset quia Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam abiit ad eum,* in Cana scil. cf. v. 46; fama itaque de signis a Christo patratis iam in Galilaea sparsa erat (v. 45. Luc. 4,14) *et rogabat eum ut descenderet* scil. ex regione superiore ad lacum *et sanaret filium eius; incipiebat enim mori* ἤμελλεν in eo erat ut moreretur (cf. Luc. 7,2 erat moriturus). Putat quippe Iesum non posse sanare nisi ipse aegrotum adeat et manuum impositione quasi virtute quadam magica sanitatem largiatur. « Medicus autem salutis ita rogantem patrem pro filio exaudit, ut ad patris infirmitatem quae maior erat neque tamen ab ea liberari rogabat se misericorditer converteret; ad has enim infirmitates sanandas potius venerat et ob eas miracula erant facienda » (*Tol. Ians.*).

Unde v. 48 *dixit ergo Iesus ad eum : nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* ipso loquendi modo indicatur reprehendi in uno illo animorum dispositionem Galilaeorum (cf. v. 45), eos scil. nec testimonio baptistae nec ipsius Iesu testimonio veram adhibere fidem; ideoque esse reprehensione dignos. Simulatque enim certam notitiam habuerunt testimonii baptistae de Christo, tenebantur credere (cf. 1,6. 15); insuper sola Christi praedicatio quoque eos obligabat ad fidem; nam, ut *Tol.* notat, quando praedicabat, non solum exterius aures et sensus movebat, sed divino motu interius quoque corda excitabat, ita ut qui vellent possent credere. Idque innuitur illa Christi querela 3,11 et 15,22; cf. 3,32. 33. Ad emphasin iunguntur *signa et prodigia* (cf. Deut. 28,46; 34,11. Neh. 9,10. Is. 8,18; 20,3. Ier. 32,

20 etc. Matth. 24,24. Marc. 13,22. Act. 2,19 etc.); τέρας esse id quod fiat παρὰ φύσιν, v. g. aperire oculos caeci nati, σημεῖον autem esse τὸ οὐκ ἔξω τῆς φύσεως, v. g. sanare infirmum, explicat *Theoph.;* signum notio est maxime generalis, prodigium rem stupendam denotat. Utrumque iungit Iesus indicans, multis ac miris signis opus esse ut tandem eorum tarditas vincatur; simul ea loquendi copia animum ostendit de eorum contumacia male contentum. Sed pater pro suo in filium amore unice intentus et occupatus desiderio videndi filium salvum, verba Christi ne percipere quidem videtur, verum morae impatiens porro urget v. 49 *dicit ad eum regulus : domine*, maiore reverentia exhibita ardens quoque desiderium manifestat vimque addit petitione, *descende priusquam moriatur filius meus;* saltem post reprehensam animi sententiam debuit magnum quidpiam de Iesu cogitare; sed adhuc humi serpit (*Chr.*) neque a pristina de Iesu potestate opinione dimovetur; praesentiam postulat, morte interveniente eum esse impotem declarat.

Iesus sanat, ne pater initium illud fidei amittat; neque tamen descendit, ut fides eius perficiatur v. 50 *dicit ei Iesus : vade, filius tuus vivit*, sanus est, a mortis periculo liberatus. Dixit et eodem momento vis morbi evanuit (cf. v. 53); vivus est enim sermo Dei et efficax (*Mald.*); observa, quanta cum maiestate edat miraculum, non precatur, sed solo voluntatis nutu absentem sanat (*Bar.*); *credidit homo sermoni quem dixit ei Iesus et ibat*, credit Iesum dicere verum, utpote quem habet virum sanctum et a Deo singulari potentia praeditum. Ipso Iesu verbo sanationem esse effectam denique discit et tali Iesu potentiae exhibitione ad fidem in eum adducitur; v. 51 *iam eo descendente servi occurrerunt ei et nuntiaverunt dicentes, quia filius eius viveret;* ei obviam mittuntur filio sanitati reddito, ut eum a sollicitudine liberarent et ne amplius Iesum secum descendere cogeret; v. 52 *interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit,* κομψότερον i. e. βέλτιον καὶ εὐρωστότερον *Theoph.*, ῥᾳότερον, κουφότερον, ἐλευθεριώτερον *Euth.;* recordatus quippe verbi Iesu necdum plane intelligens, qua ratione filius vivere diceretur, an quod futurus esset incolumis, an quod ipse tunc sanitatem effecisset, quaerit horam (*Tol.*); *et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris;* hora septima ab ortu solis i. e. hora prima pomeridiana (*Tol. Mald.* et plerique; cf. 4,6). Cana distat a Capharnaum itinere sex vel septem horarum (22-29 kilom., *Schz. Fil.*); unde fieri poterat, ut eodem die iam non domum reverteretur. Alii malunt *heri* explicare ex more Iudaeorum, quibus dies finitur occasu solis, ita ut colloquium habitum sit eodem die post solis occasum; nostrates dicturi essent : hodie hora prima : v. 53 *co-*

gnovit ergo pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus : filius tuus vivit, et credidit ipse et domus eius tota, tandem intelligit verbo et voluntate Iesu filium esse sanatum; inde veram in eum fidem concipit et simul cum ipso tota eius familia in Iesum credit.

Uno hoc exemplo docet evangelista, qua via et ratione Iesus se Galilaeis manifestet, quomodo beneficiis corporalibus praestitis ad fidem eos adducere studeat, tarditatem eorum reprehendat et sanare velit. Cum synoptici multa de commoratione in Galilaea retulerint, ipse hoc unum sufficere existimat, ex quo eorum quoque narrationi aliquid luminis affunditur. Ad rei gestae notitiam accuratam, qua simul res cum synopticis suo ordine componatur, addit v. 54 *hoc iterum secundum signum fecit Iesus* i. e. iterum fecit signum, quod quidem signum est ordine et tempore secundum in Galilaea, *cum venisset a Iudaea in Galilaeam;* « et dixit evangelista, ut intelligeremus etiam hoc miraculum factum ante ea quae scribuntur facta in Galilaea ab aliis evangelistis, et sic significat hic finiri suppletionem gestorum Christi quae gessit ante gesta narrata ab aliis evangelistis » (*Ians. Tol.* sim.): cf. 2,11.

Notat *Chr.* quosdam hanc narrationem putare esse eandem quae habeatur Matth. 8,5 et Luc. 7,2; fortasse in eadem opinione fuit S. Irenaeus, nisi dicere malueris eum solum errore memoriae scripsisse de filio centurionis, qui sanatus sit verbo Christi : vade, filius tuus vivit (2,22. 3; *M.* 7,783). Etiam recentiores quidam, uti *Weizsaecker, Hase, Weiss*, contendunt esse eandem et quae differant apud nostrum evangelistam explicari ex obscura recordatione vel etiam ex eo quod duos eventus (Matth. 17,17) fallente memoria coniunxerit. Sed modus narrandi eam prae se fert nativam veritatis simplicitatem et ita in rebus singulis, in conditionibus loci temporisque est determinatus, ut obscura recordatio gratis et frivole fingatur. Discrimina reperiuntur evidentia ab illa synopticorum narratione. Apud synopticos res agitur in Capharnaum, hic in Cana; ibi est servus (δοῦλος Luc. 7,2), hic filius; centurio summam exhibet fidem, neque ipse primo adit Iesum; hic vero plurimum a fide deficit; centurio est gentilis (Luc. 7,5. 9), hic vero Iudaeus, uti ex v. 48 consequitur; servus centurionis erat paralyticus, filius hic laborat febri; ille solum multos dolores sustinet, hic iam est moriturus. Verba Christi alia sunt, quibus fidei defectum arguit : non inveni tantam fidem in Israel, et : nisi signa et prodigia videritis. Apud synopticos nihil de servis occurrentibus, nihil de fide totius domus etc.

8. *Manifestatio Iesu altera in Iudaea* 5,1-47.

Christus sanat infirmum iacentem ad piscinam Bethesda eumque iubet grabatum tollere et ambulare. Quod cum die sabbati fecisset et

iussisset fieri, Iudaei Iesum persequuntur. Iesus sibi hoc ius vindicat ex aequalitate cum Patre, quam aequalitatem operationis, potentiae, honoris pluribus asserit; unde ostendit se dare vitam aeternam, sibi omne iudicium competere, se omnes demum mortuos resuscitaturum esse aut ad vitam aut ad damnationem ratione habita operum. Haec in priore orationis parte exponuntur v. 17-30. In altera affert sibi praesto esse testimonium irrefragabile, maius testimonio baptistae (quod pro Iudaeis unum iam sufficiat), testimonium scil. Patris quod habetur in operibus Christi et quod expressum habetur in sacris litteris. Hisce Iudaei iam non credunt ambitione sua obcaecati et impediti; quare etiam Iesu denegant fidem v. 31-47. — Haec cum Iudaeis disceptatio summi est momenti, quia Iesus naturam suam divinam, aequalitatem cum Patre, a quo omnia habet communicatione accepta, adeo clare affirmat. Item docet sacris litteris sibi exhiberi testimonium ita ut qui iis credat sibi quoque credere debeat. Demum indicat Iudaeos sibi interitum adsciscere.

a) Iesus sanat infirmum 5,1-16.

5,1. Post haec erat dies festus Iudaeorum : et ascendit Iesus Ierosolymam. 2. Est autem Ieresolymis probatica piscina, quae cognominatur hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum, expectantium aquae motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam; et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam, post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.

5. Erat autem quidam homo ibi, triginta et octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc quum vidisset Iesus iacentem, et cognovisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo ut, quum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Iesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille; et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

5,1. Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα. 2. Ἔστιν δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα, ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδὰ, πέντε στοὰς ἔχουσα. 3. ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος τῶν ἀσθενούντων, τυφλῶν, χωλῶν, ξηρῶν (ἐκδεχομένων τὴν τοῦ ὕδατος κίνησιν). 4. ἄγγελος γὰρ κατὰ καιρὸν κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, καὶ ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ. ὁ οὖν πρῶτος ἐμβὰς μετὰ τὴν ταραχὴν τοῦ ὕδατος ὑγιὴς ἐγίνετο, ᾧ δήποτε κατείχετο νοσήματι.

5. Ἦν δέ τις ἄνθρωπος ἐκεῖ τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ αὐτοῦ. 6. τοῦτον ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς κατακείμενον, καὶ γνοὺς ὅτι πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, λέγει αὐτῷ, Θέλεις ὑγιὴς γενέσθαι; 7. ἀπεκρίθη αὐτῷ ὁ ἀσθενῶν, Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, ἵνα, ὅταν ταραχθῇ τὸ ὕδωρ, βάλλῃ με εἰς τὴν κολυμβήθραν· ἐν ᾧ δὲ ἔρχομαι ἐγὼ, ἄλλος πρὸ ἐμοῦ καταβαίνει. 8. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἔγειρε ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει. 9. καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἦρε τὸν κράββατον αὐτοῦ, καὶ περιεπάτει. ἦν δὲ σάββατον ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρα.

10. Dicebant ergo Iudaei illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum, et ambula? 13. Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinavit a turba constituta in loco. 14. Postea invenit eum Iesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, et nuntiavit Iudaeis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

16. Propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato.

10. Ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι τῷ τεθεραπευμένῳ, Σάββατόν ἐστιν· οὐκ ἔξεστίν σοι ἆραι τὸν κράββατον. 11. ὃς δὲ ἀπεκρίθη αὐτοῖς, Ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, Ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει. 12. ἠρώτησαν αὐτὸν, Τίς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ εἰπών σοι, Ἆρον καὶ περιπάτει; 13. ὁ δὲ ἰαθεὶς οὐκ ᾔδει τίς ἐστιν· ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν, ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. 14. Μετὰ ταῦτα εὑρίσκει αὐτὸν (ὁ) Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἴδε, ὑγιὴς γέγονας· μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν σοί τι γένηται.

15. Ἀπῆλθεν ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἀνήγγειλεν τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ.

16. Καὶ διὰ τοῦτο ἐδίωκον τὸν Ἰησοῦν οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν σαββάτῳ.

In v. 1 η εορτη ℵ C E F H L M Δ Π al 50 fere sah cop Cyr Ti. In v. 2 βηθζαδα ℵ L 33 e l Eus (onom); βηθσαιδα B c vg sah cop aeth Tert; pler codd vg super probatica, r in piscina natatoria, a in inferiorem partem natatoria piscina. In v. 3 add παραλυτικων D a b l ken; εκδεχομενων etc. A^{2} C^{3} D I Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it vg syr arm aeth Chr Cyr. Habetur v. 4 in A C^{2} E F G H I K L M U V Γ Δ al pler it vg syr (sch, hr) Chr Cyr Tert Ambr Did Cyr; movebat aquam it am dun fuld mt st corp lind; angelus... lavabatur in natatoria et movebatur aqua for med rush. In v. 9 add et surrexit sin syr a b e, ℵ και ηγερθη, D alq min εγερθεις. In v. 10 sin e cum vidissent eum Iudaei, dicebant ei; sin om sabbatum est. In v. 11 sin et dixit eis qui sanus factus erat. In sin om v. 12; item in Γ al 6 b; αρον sine addit ℵ B L sah Ti W H. In v. 13 sin vir ille; D ασθενων, b infirmus, l is qui languidus fuit. In v. 16 add και εζητουν αυτον αποκτειναι A Γ Δ Λ Π unc 9 al pler e f q r syr aeth Hil.

Iam *Cyr.* notat evangelistam consulto velle efferre fide Samaritanorum et Galilaeorum exposita, quae fuerit Iudaeorum ingenii ac morum differentia. Hi quippe cum Iesum patrato miraculo admirari deberent eique credere, illico ad caedem deposcunt et benefactorem suum impie persequuntur. Oppositionem et odium nobilium quod iam cernitur 2,18 et 4,1 in dies magis auctum esse hic clare apparet; v. 1 *post haec* μετὰ ταῦτα qua dictione (ut distinguitur ab altera μετὰ τοῦτο) longius temporis intervallum indicari aliqui censent, *erat dies festus Iudaeorum et ascendit Iesus Ierosolymam;* ἡ ἑορτή vide lect. var.; « magna nos Ioannes molestia contentioneque liberasset, si vel unum adiecisset verbum, quo quis ille Iudaeorum dies fuisset festus declarasset » (*Mald.*). Ea de re disceptatum est, disceptatur, disceptabitur. Ut statim dicam quod sentio, mihi cum multis probabilius videtur intelligi secundum pascha in vita Iesu publica. Pascha quippe vocat diem festum 4,45, diem festum Iudaeorum 6,4 et 11,56 et 12,12; ad hunc festum diem

ascendit in urbem 2,13 et hoc loco quoque iter in urbem propter festum fieri indicatur; et cum ad tertium pascha in vita publica non ascendat, ratio ab evangelista sedulo notatur 7,1. Uti itaque in primo paschate se manifestavit Iudaeis 2,13 seq., ita in secundo quoque modo etiam insigniore. Atque pascha hoc loco intelligunt *Irenaeus* (2, 22,3; *M.* 7,783) et uti videtur, *Eusebius,* quia in Chron. dicit ex Ioanne colligi Iesum per tres annos praedicasse; in Demonst. ev. assignat tres annos et semis (*M.* 19,536; 22,625) *Rup. Ians. Tol. Salmeron* (t. 6 tract. 18), *Lap. Tir. I. Grimm;* eam sententiam probabiliorem habent *Bar. Sa, Gordonus, Calm. Corl. Fil.* Adde 6,4 commemorari tertium pascha in vita publica Christi, 2,13 fieri mentionem primi; proin si inter haec de festo I[illegible]orum die sermo fit ad quem ascenditur in urbem, quasi per se memoriae offertur alterum pascha. In 6,4 autem non secundum, sed tertium pascha indicari, colligitur ex evangelio Lucae. Nam multiplicatio panis, de qua 6,5 seq. narratur ea est quae Luc. 9,11 seq. refertur. Sed quia Lucas καθεξῆς, ex ordine, scribit, facile fit computatio : Luc. 4,11 Iesus revertitur post primum pascha mense decembri in Galilaeam (cf. Ioan. 4,35), Luc. 6,1 ex narratione colligitur tempus *post pascha* stantibus segetibus, proin indicatur alterum pascha in vita publica; Luc. 9,11 tempus est ex Ioan. 6,4 ante pascha; ergo hoc loco habetur tertium pascha. Unde simul apparet falsum esse quod saepe iactatur, ab explicatione Ioan. 5,1 colligi per quot annos Christus docuerit.

Quod si attenderis ratio quoque concidit potissima, quam pro festo Purim in medium afferre solent; Christum scil. rediisse in Galilaeam mense decembri, 6,4 autem proximum tempus ante pascha indicari; iam a mense decembri usque ad pascha non occurrere festum nisi Purim quod die 14.15 mensis Adar i. e. mense martio celebretur. Verum oportuit attendere ex Luca omnino sequi 6,4 esse tertium pascha. Quare Purim, profanam illam festivitatem, ad quam in urbem ascendere non erat moris, plane negligere possumus, quamvis sat multi Purim 5,1 intelligant (*Schz.* qui 18 patronos eius sententiae enumerat). Aliis placuit festum tabernaculorum assignare (*Patr.*); complures Pentecosten commemorari volunt (*Chr. Cyr. Theoph. Euth. Thom. Bon. Mald.*) quae sententia eo modo quo *Stawars* eam proponit (Theologische Quartalschrift 1871 p. 610-625) etiam cum narratione Lucae componi potest; intelligit enim Pentecosten alterius anni vitae publicae Christi post pascha secundum et iter Ioan. 5,1 collocat post narrationem Luc. 7,11-50; cum enim Christus 5,21 dicat : sic et Filius quos vult vivificat, existimat resuscitationem iuvenis in Naim (Luc. 7,12) debuisse factam esse ante illud iter. Aliorum coniecturas de die expiationis, de die dedicationis templi, de festo tubarum (Lev. 23,24) silentio premere liceb (cf. *Fil.*).

Si evangelista scribit v. 2 *est autem* etc. non sequitur piscinam eo modo quo describitur exstitisse tempore illo; adhibetur praesens in narratione, ut res quasi praesens sistatur ob oculos (cf. 1,29 βλέπει, λέγει; 1,43 εὑρίσκει etc.); v. 2 *est autem Ierosolymis probatica piscina,* secundum hanc lectionem ipsa piscina vocabatur προβατική, « a nobis interpretari potest pecualis » (*Hier.* Onom.), idem nomen ei attribuit *Eusebius* (cf. de Lagarde, Onom. s. 240,15), pariter *Chr. Cyr. Ammonius, Theod. M.;* quam appellationem ex eo explicant, quod oves, πρόβατα, hostiae ibi a sacerdotibus lavabantur. Verum lectio plurimorum testium auctoritate commendata est ἐπὶ (ἐν) τῇ προβατικῇ, unde piscina illa erat ad portam gregis (cf. Neh. 3,1. 31; 12,38, ἡ πύλη ἡ προβατική LXX), *quae cognominabatur hebraice Bethsaida,* vide lect. var.; lectio communior est βηθεσδα, quae vox explicanda erit בית חסד domus misericordiae, benignitatis, quia ibi aegroti divinam benignitatem experiuntur (*Ians. Mald.* aliique). Ex antiqua traditione piscina haec erat septemtrionem versus a templo prope portam quae orientem versus ad vallem Iosaphat spectat, haud longe ab arce Antonia et ad radices collis Bezetha (cf. *Heidet* in Dictionnaire de la Bible, ed. Vigouroux I p. 1729). De hoc colle cf. *Iosephus,* Bell. iud. 5,4,2; ex eius nomine fortasse explicatur lectio βηθζαθα, Euseb. βηζαθα; *quinque porticus habens* in circuitu, in quibus aegroti demorarentur, uti ex sequentibus apparet.

Propter illas porticus στοάς aliqui vocem explicarunt בית סמוין, vel אסמוין domus porticuum (cf. *Schg. Schz. Fil.*). Aliae quoque explicationes tentatae sunt; ita veteres quidam proponunt אשדא domus effusionis, locus effusionis, quod in eum locum multis aquaeductibus aquae undique funderentur (*Mald. Ians.*); alii זיתא locus olearum. Sed prior interpretatio « domus misericordiae » praeferenda erit, quae lectioni communiori congruit, de se apta est, et eo modo quoque in Diatessaron declaratur (betharrahmat) et in versione syriaca. Ubi autem quaerenda sit illa piscina, cuius mentio apud Iosephum non fit, in varias abeunt sententias, cum modo Birket Israil, modo Hamman es Schifa, immo Siloe quoque designetur. *Euseb.* et *Hier.* geminos esse lacus dicunt; sed ubi sint, non determinant. Ceterum vide *Heidet* l. c.

Itaque piscina aedificio cingebatur in quinque porticus distincto (*Calm.*) v. 3 *in his iacebat multitudo magna languentium* et qui fuerint isti ἀσθενοῦντες, additur, *caecorum, claudorum, aridorum,* ξηρῶν tabidorum, qui aliquam partem corporis habebant aridam, membrum aliquod succo vitali destitutum, manum v. g. vel pedem, *exspectantium aquae motum*, necessario id debet addi, quia alias non intelligi-

tur, cur dictum sit: in his *iacebat;* cum enim sermo factus sit de piscina et de aegrotis, potius exspectares ibi designari fontem medicae salubritatis et proinde aegros non in aedificio iacere, sed in aquis salubribus lavari. Pari necessitate debet addi v. 4, quo ratio redditur, cur exspectaverint aquae motum et quo tandem responsio paralytici v. 7 intelligitur, quae sine hoc v. 4 verum esset aenigma; v. 4 *angelus autem,* melius profecto graece γάρ, enim (rush), *Domini descendebat secundum tempus* κατὰ καιρόν, certis et opportunis temporis momentis, incertum quibus (*Mald. Lap.*) *in piscinam et movebatur aqua* (et movebat aquam, vide lect. var.); *et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate.* Cum sat multi hunc versum interpolationis loco habeant (etiam *Schz. Schg.* qui putat a Papia esse additum), monendum est, eum plane necessarium esse, ne responsio aegroti v. 7 plane sit obscura. Nam ibi sermo fit de aquae motione, de descensu in aquam turbatam, de eo quod alius ante eum descendit et quod ipse non habeat quemquam a quo mittatur in piscinam. Iam haec omnia plane nequeunt intelligi et proferuntur ad admirationem legentium, nisi ea praemittuntur quae revera hic leguntur in v. 4. Evangelista enim ita facit aegrotum illum loquentem, ut aperte supponat eos qui legunt iam scire qua ratione ibi sanitas acquiratur. Insuper attende quomodo alias evangelista ea explicet quae Iudaeis quidem nota sunt, alienigenis non item (cf. 1,38.41; 2,6 etc.) et quanta accuratione singula quaeque describere soleat in rebus enarrandis (cf. 2,1-10. 15. 16; 3,2. 23; 4,5. 46. 52 etc.). Quare incredibile est talem scriptorem nunc subito omni declaratione omissa ea ponere in ore loquentis quae nequeant intelligi. Accedunt testimonia sat gravia et multa (vide lect. var.).

Quaerunt, descenderitque vere angelus, sitne sanatio illa effecta vi naturali aquis salubribus et medicatis insita, an vero miraculo. Non desunt, qui evangelistam solum ex populari opinione loqui asserant; plebem scil. ex eo quod aqua quandoque subito ebulliret, cuius rei causa tum ignorabatur, angeli opera id effici falso conclusisse; aquas illas fuisse salubres; vaporibus autem erumpentibus, quibus aqua movebatur, vim salutiferam esse auctam, ita ut qui primi in illam motionem se coniicerent sanarentur (ita fere *Schg. Schz.* et plerumque acatholici). Verum ita a verborum proprietate et veritate mirum quantum receditur et hyperbolae statuuntur nimiae. Ubi enim est fons medicatus qui sufficiat curandis caecis (vel plane, vel maximam partem lumine privatis), claudis, aridis et demum quibuslibet infirmitatibus? et si illa vis est naturalis, cur unus solum sanatur? Opinatur *Schg.* nunquam alterum quendam tentamen fecisse; id quod sane omnem

excedit fidem; uti enim hominum natura est, profecto quam primum animadvertunt aliquem modo quodam sanari, alii quoque eundem modum adoptant. Quare incredibile est nunquam plures insiluisse in aquam motam vel primo sanato non alium et alium tentasse, perduraretne vis salubris. Unde nisi tria haec: primus, sanus fiebat, a quacumque infirmitate, negare volueris vel contra omnem verborum proprietatem tamquam exaggerationem nimiam explicare, miraculum agnoscas necesse est. Sin autem aliquam verborum proprietatem retinere vis miraculo negato, rem asseris inauditam, nullo simili exemplo unquam probatam. At descenditne angelus, utique a nullo visus, quia tum tandem cum turbata fuit aqua, aegroti descendere incipiebant (v. 7)? neque enim angelum, sed aquae motum dicuntur exspectasse v. 3, ergo non in angelum, sed in aquae motum erant intenti (*Mald.*). Quo ergo modo sciri potuit esse angelum qui movebat aquam? Respondet *Mald.*: « ex communi traditione qua quidquid praeter naturam fiebat per angelum fieri credebatur, nisi quis malit a Deo id fuisse per revelationem declaratum ». Quodsi miraculum agnoscas, id divina virtute sed ministerio angelico esse patratum, haud difficile tibi persuadebis. At cur solum unus sanabatur? respondeo: cur ad unum filium viduae suscitandum Elias mittitur? cur unus Naaman a lepra sanatur (cf. 3 Reg. 17,19. 4 Reg. 5,9. Luc. 4,25-27)? cur unum hoc loco Christus sanat? Praeterea planum est sanatione unius declarari miraculum modo apertiore. Si enim vis illis aquis inesset, non uni, sed pluribus saltem quandoque auxilium praestaretur, cum vires naturales necessario agant et constanter.

Adnotat *Estius* hunc locum obiiciendum iis, qui Deum omni loco aequaliter preces exaudire contendentes visitationem certorum locorum reprehendant; ostendi enim hoc exemplo Deum non tantum certo loco, sed etiam certo tempore miraculum concessisse, ita ut qui locum et tempus illud non observaret sanitatem non consequeretur; v. 5 *erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua;* non quod per tot annos ibi fuerit, sed evangelista solum dicit eum per tot annos aegrotasse, ut *Mald.* notat contra *Chr. Theoph. Tol.* qui putant per tot annos ibi iacuisse; hominem fuisse paralyticum censent (cf. *Chr. Cyr. Euth. Ammonius, Aug. Bon. Mald. Bar.*) idque ex v. 7 dum venio ego etc. comprobatur; v. 6 *hunc cum vidisset Iesus iacentem et cognovisset quia iam multum tempus haberet,* quomodo cognoverit, evangelista iam 2,24.25 satis definit, *dicit ei: vis sanus fieri?* « solemus ex animi quibusdam affectibus interrogationes aliquas formare, quae non eo fiunt, ut interrogantes sciamus, cum ea quae interrogamus sint manifesta, sed potius ut animi affectus exprimamus; ita interrogat

Deus Adam : ubi es? et Cain : ubi est Abel frater tuus, ut indignationem contra eos manifestaret, et Deut. 32 : ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam, est interrogatio exprobrationis cuiusdam; Ioan. 8 : ubi sunt qui te accusabant, est animi benevoli et liberare volentis; insuper interrogationes aliqua alia denotant, sicut in eisdem patet exemplis positis » (*Tol.*). Immerito censet *Schg.* interrogationem debuisse videri duram, quasi accusaretur ibi iacere non ob morbum, sed ut morbum praetendens mendicaret.

Interrogatione illa Iesus animi commiserationem pandit et ita homo eam intellexit, uti ex eius responsione patet v. 7 *respondit ei languidus : domine*, Iesus enim eum prae se ferebat habitum, eam vultus dignitatem, ut reverentiam inspiraret; insuper sicut benigne eum alloquitur, ita iam incipit occulta gratia eius animum imbuere; *hominem non habeo*, non habeo quemquam, *ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam*, βάλῃ me iaciat, celerrime mittat; *dum venio enim ego, alius ante me descendit;* utpote paralysi constrictus aegre et lente se movet; exponit miseriam; quem allocutus est dominum, non audet rogare, ut se mittat in piscinam ad aquae motionem neque ut maneat donec iterum aqua moveatur. Recole singula responsionis verba non posse intelligi nisi praecedat explicatio in v. 4 data. Sed ipsa miseriae declaratione implicite petit, ut sibi provideatur (*Cai.*).

Neque frustra; v. 8 *dicit ei Iesus : surge, tolle grabatum tuum et ambula;* qui dicit, ei quoque fidem inspirat, ut verbis tanta auctoritate prolatis credat v. 9 *et statim sanus factus est homo ille,* sensit scil. se sanum, robustum, omni membrorum paralysi subito amota, *et sustulit grabatum suum et ambulabat,* quae duo argumento sunt virium receptarum. Iesus autem consulto statim declinat a turba (v. 13).

Veteres re vere gesta supposita in piscina illa typum quendam cernunt baptismi; ita *Chr. Amm. Theoph. Euth. Rup. Thom.;* uti ibi aqua sanavit ex occulta virtute, scil. ex angelo, ita aqua baptismi purgat animum ex occulta virtute spiritus sancti; Deus autem eam vim aquae piscinae contulit, ut homines per salutem corporalem assuescerent quaerere spiritualem (*Thom.*). In annis triginta octo adumbrari cernunt annos illos populi in deserto et aegrotum illum figuram gerere populi ope destituti, nisi per Christum salvaretur (cf. cat. Cr.). Et *Aug.* : « piscina illa et aqua illa populum mihi videtur significasse Iudaeorum...; aqua ergo illa, id est populus ille, quinque libris Moysi tamquam quinque porticibus claudebatur; sed illi libri prodebant languidos, non sanabant; venit unus Christus » etc. similiter *Beda, Rup.* aliique. Pariter ex opinione quam *Euseb.* et *Hier.* enuntiant, in piscina hostias esse lotas, varia proponunt consectaria. Haec prosequi non opus est. Recentiores quidam acatholici eandem symbolicam

explicationem adoptant, ut rem vere gestam negent. Ita aegrotum 38 annorum esse populum iudaicum *Holtzmann* ex Deut. 2,14 colligit; quinque libros Moysi designari quinque porticibus, in quibus iaceat aeger impotens ut veniat ad aquam vitae, *Hoenig* quoque docet (cf. *Schz.*). Verum Ioannem referre velle rem vere gestam evidens est.

Putarunt quidam, ut *Chr.* notat, sanationem esse eandem de qua narrant Matth. 9,1 et Marc. 2,3. Sed solum in eo conveniunt quod utrobique paralyticus iubetur surgere et ferre grabatum; reliqua omnia maxime sunt diversa. Verum illud unum recentioribus quibusdam sufficiebat, ut dicerent hanc nostram narrationem efformatam esse ex illa synopticorum et maiore miraculo auctam. At quod gratis (et frivole) asseritur, gratis quoque negatur. Insuper hic quoque valet illud quod supra monui : nativa veritatis simplicitas ipsa narratione adeo accurata et quasi oculis subiecta proditur.

Ut subsequentis disceptationis occasio indicetur, additur : *erat autem sabbatum in die illo;* quam rigorose scribae et pharisaei sabbati legem observari iusserint, satis ex synopticis patet (Matth. 12,2. 10 etc.), cum prohiberent ne quis sabbato curaretur Luc. 13,14; praeterea ea in re poterant provocare ad id quod Dominus per Ieremiam praecepit : nolite portare pondera in die sabbati et nolite eiicere onera de domibus vestris in die sabbati (Ier. 17,21. 22); v. 10 *dicebant ergo Iudaei* i. e. magistratus, primores, synedristae vel eorum legati (*Cai. Corl. Schz.*), uti ex v. 15. 16 quoque colligitur, *illi qui sanatus fuerat : sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum;* sapienter v. 11 *respondit eis : qui me sanum fecit, ille mihi dixit : tolle grabatum tuum et ambula,* bene rationem reddit homo simplex et bene ratiocinatur : qui tantam habet a Deo virtutem, ut verbo me sanare potuerit, eius sane mandato et auctoritati obediendum est, neque is quidquam praecipiet quod contra legem sit (cf. *Thom. Tol.*, qui monet solam rationem accepti beneficii non sufficere ad excusationem, cur illi obediat). Verum post tam diuturnum morbum subito sanitati restitutus prae gaudio nihil de sabbato cogitat, in id unum intentus ut faciat quod iussus erat. Ita enim homines simplices agere solent; neque tamen propterea interpretes reprehendendi sunt, quod ostendunt eum, licet inscium et sine multa reflexione, ea dixisse quibus verum ac rectum enuntiatur ratiocinium.

« Illi vero quam improbe se gesserint consideres velim : non enim dixerunt : quis te sanum fecit? sed hoc omisso cum strepitu magno transgressionem illam in medium adducunt » (*Chr.*) v. 12 *interrogaverunt ergo eum : quis est ille homo,* verba iam produnt contemptum et indignationem, *qui dixit tibi : tolle grabatum tuum et ambula?*

« mala quaerunt, bona tacent » (*Bon.*); id scil. efferunt quod facilius ansam praebet accusationi; « non itaque iam illi obiiciebant quod die sabbati sanus factus esset homo, sed quod portabat grabatum suum; si sanitas non erat differenda, numquid et opus fuerat imperandum » (*Aug.*)? Est quippe ingenium invidiae, ut sit caeca in bonis, in malis oculata (*Mald.*); v. 13 *is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset; Iesus enim declinavit a turba constituta in loco;* ἐξένευσεν accipi potest tamquam sensum plusquamperfecti referens, quae notio ab aoristo non est prorsus aliena (cf. *Winer*, § 40,5); attamen non est necesse; sufficit ut id efferatur quod in ipsa sanatione factum esse intelligitur. Iesus statim se turbae subducit; vult enim ut sanatio prius ab ipso homine Iudaeis nota fiat (uti cap. 9; cf. *Schz.*) et gestatione grabati illorum aemulatio provocetur. Hanc disceptationem cum synedristis consulto voluit provocare; excitationem autem turbae propter sanationem evitare; ad utrumque utile erat, ut statim se subduceret.

Ille autem pie se mox contulit in templum Deo gratias acturus pro beneficio accepto. Ei alterum quoque idque maius largitur Iesus beneficium v. 14 *postea invenit eum Iesus in templo et dixit illi : ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat;* μήκετι scil. ne posthac pecces; maiorem minatur poenam, scil. non corporis tantum, verum poenam gehennae (*Chr. Theoph. Schz.*) et simul ostendit eum propter peccata aegrotasse (*Euth.*) et fieri posse, ut si venia accepta iterum deliquerit iam non veniam consequatur, sed atrocius puniatur in hac vita et in altera. Didicit homo a quo sanatus esset; v. 15 *abiit ille homo et nuntiavit Iudaeis quia Iesus esset qui fecit eum sanum;* cur abierit, varie explanant; certe non ductus malitia, ut magistratui eum denuntiaret a quo iussus erat tollere grabatum, ut aliqui putarunt; « non enim tam stupidus et ingratus erat, ut post tantum beneficium cum admonitione coniunctum beneficum proderet et maligno animo ita loqueretur » (*Chr.*). Neque abit, ut se apud magistratum purgaret et excusaret (*Keil, Weiss*); id enim iam praestitit, rationem illis reddens, cur tolleret grabatum. Eos itaque adit, quia nunc ad quaestionem a magistratu sibi positam respondere potest; homo ille simplex probabilissime se sensit ex obedientia et reverentia impulsum, ut quod illi scire volebant iis nuntiaret. Qua mente illi rogaverint, non advertit. Alii opinantur eum voluisse cum quadam contumacia maiorem Iesu auctoritatem apud illos asserere; alii, animum gratum ostendere gloria Iesu narrata et manifestata et benefactorem suum omnibus notum facere (cf. *Chr. Cyr. Euth. Thom. Ians. Cai. Lap. Corl. Schg. Schz.*).

Cum scribae et pharisaei iam sola sanatione sabbatum violari contenderent, uti ex synopticis patet et infra 7,23 clare enuntiatur, eo

maiore ira et indignatione replebantur, quia Iesus grabatum tollere hominem iusserat, proinde apertam sabbati violationem (ut ipsi putabant) palam ac publice inducere ac sancire velle videbatur v. 16 *propterea persequebantur Iudaei Iesum, quia haec faciebat in sabbato, haec*, duo itaque videntur ob oculos habere et sanationem et praeceptum illud ut palam ab homine sabbatum violetur. Et tali praecepto Iesus consulto voluit disceptationem cum illis provocare. Nam, ut *Ians.* merito notat, sabbato non licuit alioquin lectum tollere, sed erat contra legem (*Mald.*). Unde malitiae Iudaeorum ansa praebebatur. Nam si rem voluissent perpendere, ex ipsa sanatione miraculo aperto facta debebant concludere nullatenus illa gestatione sabbatum violari. Hac enim gestatione et veritas sanationis demonstrabatur et publicum edebatur testimonium accepti a Deo beneficii; erat itaque opus ad Dei gloriam cultumque pertinens, ac proinde aeque licuit sabbato ac v. g. victimas caedere ad sacrificia offerenda (*Ians. Mald.*). Ea porro gestatione, ut *Tol.* notat, divina virtus maxime elucebat; si enim die sequenti onus portasset, non visus esset in momento tantas vires post tam diuturnum morbum recepisse; ut ergo notum esset eum brevissimo momento ad plenum robur esse restitutum; iussus est portare, idque sabbato, ut oculos multorum in se converteret et opus Dei manifestum fieret.

Secundum « scholam criticam » utraque narratio 4,46 seq. et 5,1 seq. composita est ex iis quae apud synopticos habentur et in aliquibus aucta et mutata. Ita in priore adhibetur quod legitur Matth. 8,5-13 et Luc. 7,1-10; pariter Marc. 9,19. Matth. 17,17, Luc. 9,41; regulum tamen ex una parte describi minoris fidei, ex altera tamen maiorem in eo exhiberi fidem, quia credit verbum Iesu ad tantam distantiam posse efficax esse. Cerni hic quoque consilium peculiare evangelistae: apud synopticos gentiles, centurionem et mulierem chananaeam plus a Iesu postulare quam statim praestare velit; id ab evangelista admitti non posse; secundum eum debere Iesum ad omnium admirationem id efficere quod hominibus impossibile sit. Narrationem 5,1 seq. nihil aliud esse nisi innovationem narrationis de paralytico Marc. 2,1-12; verum illam referri addito augmento: fieri sanationem in urbe et durationem morbi valde extendi et simul coniungi cum Marc. 3,1-6; quaestionem tamen v. 6 solum recte intelligi, si ad totum populum dirigatur; et eo modo explicari annos 38, quia scil. Deut. 2,14 per tot annos durasset commoratio in deserto. Describi itaque quod Christiani iam sint experti, redemptos Christi esse liberatos a lege et in ea redemptione rationem contineri, ne iam peccent (Gal. 5,1.13. Rom. 6,1-18): hanc tradi doctrinam narratione parabolica. — Non opus erit persequi quam multa hic arbitrarie fingantur et quam multa in ipsa narratione evangelistae nullatenus illa acceptione explicentur. Sed habes specimen, quomodo secundam scholam criticam omnem narrationem rerum gestarum, quam inveneris etiam apud profanos scriptores, in allegoriam et fictionem convertere possis, dummodo cum alia narratione tenuis quaedam similitudo detegi possit — ubinam haec non invenietur?

b) Iesus suam cum Patre aequalitatem asserit 5,17-30.

5,17. Iesus autem respondit eis : Pater
meus usque modo operatur, et ego ope-
ror. 18. Propterea ergo magis quaere-
bant eum Iudaei interficere, quia non so-
lum solvebat sabbatum, sed et patrem
suum dicebat Deum, aequalem se faciens
Deo. Respondit itaque Iesus, et dixit
eis : 19. Amen, amen dico vobis : non
potest Filius a se facere quidquam, nisi
quod viderit Patrem facientem : quae-
cumque enim ille fecerit, haec et Filius
similiter facit. 20. Pater enim diligit Fi-
lium, et omnia demonstrat ei quae ipse
facit; et maiora his demonstrabit ei
opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim
Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et
Filius quos vult vivificat. 22. Neque
enim Pater iudicat quemquam, sed omne
iudicium dedit Filio, 23. Ut omnes hono-
rificent Filium, sicut honorificant Pa-
trem. Qui non honorificat Filium, non
honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen dico vobis, quia qui
verbum meum audit, et credit ei qui mi-
sit me, habet vitam aeternam, et in iudi-
cium non venit, sed transiit a morte in
vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia
venit hora, et nunc est, quando mortui
audient vocem Filii Dei : et qui audie-
rint, vivent. 26. Sicut enim Pater habet
vitam in semetipso, sic dedit et Filio ha-
bere vitam in semetipso. 27. Et pote-
statem dedit ei iudicium facere, quia Filius
hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia
venit hora in qua omnes qui in monu-
mentis sunt audient vocem Filii Dei; 29.
Et procedent qui bona fecerunt in resur-
rectionem vitae, qui vero mala egerunt,
in resurrectionem iudicii.

30. Non possum ego a me ipso facere
quidquam. Sicut audio, iudico; et iudi-
cium meum iustum est; quia non quaero
voluntatem meam, sed voluntatem eius
qui misit me.

5,17. Ὁ δὲ ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, Ὁ πατήρ
μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι.
18. διὰ τοῦτο οὖν μᾶλλον ἐζήτουν αὐ-
τὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι, ὅτι οὐ μόνον
ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον
ἔλεγε τὸν Θεὸν, ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ.
ἀπεκρίνατο οὖν (ὁ Ἰησοῦς) καὶ ἔλεγεν αὐ-
τοῖς, 19. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ δύ-
ναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, ἂν
μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα· ἃ γὰρ
ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως
ποιεῖ. 20. ὁ γὰρ πατὴρ φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ
πάντα δείκνυσιν αὐτῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ καὶ μείζονα
τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, ἵνα ὑμεῖς θαυ-
μάζητε. 21. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς
νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ, οὕτως καὶ ὁ υἱὸς οὓς
θέλει ζωοποιεῖ. 22. οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει
οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκεν τῷ
υἱῷ, 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, καθὼς
τιμῶσι τὸν πατέρα. ὁ μὴ τιμῶν τὸν υἱὸν,
οὐ τιμᾷ τὸν πατέρα τὸν πέμψαντα αὐτόν.

24. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὁ
τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων
τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον·
καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μετα-
βέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν.
25. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἔρχεται
ὥρα καὶ νῦν ἐστιν ὅτε οἱ νεκροὶ ἀκού-
σουσιν τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ
οἱ ἀκούσαντες ζήσουσιν. 26. ὥσπερ γὰρ
ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, οὕτως
καὶ τῷ υἱῷ ἔδωκεν ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ·
27. καὶ ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ κρίσιν
ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν. 28. μὴ
θαυμάζετε τοῦτο, ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ
πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις ἀκούσουσιν
τῆς φωνῆς αὐτοῦ, 29. καὶ ἐκπορεύσονται,
οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες εἰς ἀνάστασιν
ζωῆς, οἱ τὰ φαῦλα πράξαντες εἰς ἀνάστα-
σιν κρίσεως.

30. οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ
οὐδέν. καθὼς ἀκούω, κρίνω· καὶ ἡ κρίσις ἡ
ἐμὴ δικαία ἐστίν, ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ
ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με.

In v. 17 sin propterea etiam ego operor. In v. 18 sin propter hoc verbum. In

v. 21 sin, cu vivificat eos qui credunt in eum. In v. 24 it am dub dun ken st lind non veniet; pariter in v. 25 b e f q Tert. In v. 27 *et* iudicium facere codd fere omnes vg, f q; item και κρισιν D Γ Δ Λ Π unc 8 al pler syr Chr Cyr. In v. 28 vocem eius codd vg omn; filii Dei steph sixt Or Tert; filii hominis Ir Ambr. In v. 30 in fine add patris aliq cod unc al pler b c ff[r] l r cav hub theod tol.

Ansam itaque Iudaei, scribae et pharisaei, avide arripiebant invidia impulsi, quia Iesus contra eorum auctoritatem agere videbatur neque ab ipsis docendi agendique potestatem quaesierat (cf. 2,18). Testimonium scil. quod ei a baptista datum erat despexerunt; invidia illa et superbia obcaecati signa eius pariter negligunt. In Iesum itaque ob mandatum illud invehuntur; v. 17 *Iesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur et ego operor;* operatur conservatione, gubernatione rerum creatarum, *usque modo* continuationem operationis indicat ab exordio rerum per cuncta saecula. Hanc Dei operationem qua omnibus providet, omnia conservat, regit, continuo beneficia praestat naturalia et supernaturalia, effert, ut falsam opinionem destruat, qua cessationem Dei ab opere creationis (Gen. 2,2) in medium afferebant pro strictissima cessatione et requie sabbatina. Cum autem addit *et ego operor,* Patri se aequalem significat; nam « nisi Dei Filius esset verus et eiusdem naturae (τῆς αὐτῆς οὐσίας), defensio foret accusatione deterior; si quis enim praefectus qui regiam legem transgrederetur accusatus responderet ipsum regem illam esse transgressum, non utique absolveretur, imo maiori esset crimini obnoxius. Verum hic quoniam par est dignitas, defensio legitima omnino est; eadem ratione qua Deum crimine liberatis et me liberate » (*Chr.*). Uti alias se esse dominum sabbati affirmat (Matth. 12,8. Marc. 2,28. Luc. 6,5), ita hoc loco; at modo sublimiore : sicut Pater meus operatur continuo etiam in sabbato, ita etiam ego operor. Alias accusationem sabbati violati refutat ostendens se opus pietatis effecisse, vel provocans ad exemplum Davidis, ad opera sacerdotum in templo (cf. Matth. 12,3 seq. Luc. 14,5); hoc autem loco accusationem repellit ratione suae divinitatis. « Si igitur nemo Patrem reprehendit, neque me quisquam accusare praesumat » (*Theod. M.*). Affirmat itaque divinam suam dignitatem et auctoritatem, Patri se aequalem declarans. Iam si talis hominem iubet sabbato grabatum tollere, quis sana mente de violata lege sabbati conqueri vel cogitare potest? Eo mandato abrogationem legis sabbatinae indicari aliqui existimant (cf. *Epiphanius,* haer. 66,84; *M.* 42, 165; *Schz.*).

Iudaei verba Christi rite intelligunt. At non ad fidem, sed ad maius odium incitantur v. 18 *propterea ergo magis quaerebant eum Iudaei interficere* i. e. avidiore animo, ferventiore zelo (*Thom.*), *quia non*

solum solvebat sabbatum sanatione praestita et multo magis mandato illo dato (*Cai.*), quo publicum contemptum sabbati in eorum opinione prae se tulit hominemque induxit ad violandum sabbatum cum multorum offensione, — ita illi prae odio caeci rem considerant, *sed et patrem suum* ἴδιον proprium *dicebat Deum aequalem se faciens Deo;* Iudaei verbum illud v. 17 rite intellexerunt; Christus revera suam cum Patre aequalitatem clare enuntiat (*Chr. Cyr. Schz.*); « nullam sane habent Iudaei excusationem quod Christus non sit aperte locutus; ecce ipsi quaerunt interficere quia fatentur eum affirmasse, se patrem habere Deum sibi aequalem » (*Tol.*). Adnotant veteres multo melius Arianis Iudaeos verba Christi intellexisse. Christus itaque adeo clare loquitur, ut cogantur Iudaei aut eum adorare aut tamquam maxime blasphemum lapidare (*Schg.*); verum testimoniis baptistae et ipsis signis a Christo patratis facillime cognoscere poterant ac debebant eum non esse blasphemum. Insuper Christus non dedignatur homines licet adeo malevolos et contumaces docere pluribus. Negat *Weiss* indicari aequalitatem naturae; Christum solum sibi attribuere aequalitatem iuris et libertatis cum Patre. Sed qua ratione potest quis sibi attribuere eandem iuris ac libertatis cum Deo aequalitatem? num potest creatura hoc sibi attribuere? qui hoc sibi attribuit et se in eodem cum Deo gradu collocat (ut *Weiss* loquitur), is aut Deus esse debet aut maxime blasphemus aut insanus est. Iudaei autem ex modo, quo de patre proprio loquitur, concluserunt : aequalem se facit Deo; idque recte.

Atque eam filiationem talem esse, ut habeat eandem cum Patre naturam iam aperte declarat. Ex exprobratione enim Iudaeorum occasionem capit, ut demonstret qualis sit sua natura (*Theod. M.*); *respondit itaque Iesus et dixit eis :* v. 19 *amen, amen dico vobis,* rem certissimam et verissimam assevero et vobis annuntio (*Tol.*), *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem; quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit;* « quis unquam angelorum aut hominum hoc de seipso protestari potuit » (*Rup.*)? iste filius alio plane modo se habet ad suum patrem; filii enim alii et a se facere possunt multa, quae non viderint patres facere; neque quae patres faciunt, haec eadem filii faciunt. Declarat itaque Christus se esse Filium qui eandem cum Patre habeat numero naturam, et proin eandem potestatem, voluntatem, operationem. Et hac ratione clarius explicat, quod supra dixerat : Pater meus usque modo operatur et ego operor, simulque apertissime confirmat quod Iudaei concluserant (v. 18). Dicit itaque fieri nullatenus posse, ut Filius quidquam aliud faciat, nisi quod viderit Patrem facientem. Illud *non potest* non arguit defectum potentiae, sed summam Filii perfectionem; nam primo si-

gnificat eum in nulla re posse Deo esse contrarium, dein indicatur satis eadem Patris et Filii natura; nam quod non potest a se facere quidquam, hoc ipsum est propter eandem numero cum Patre naturam; omnis enim rationalis natura ideo potest aliquid facere a se, vel ex se, quia habet aliam a Deo naturam (*Ians. Cai.*). Proinde dicit : nihil facio quod non faciat Pater meus et ab eo accipio et habeo quidquid ego facio; et quidquid Filius facit, simul etiam Pater facit; una est ergo utriusque operatio, sed Filius eam habet a Patre, id quod indicat dicens : nisi quod *viderit* Patrem facientem. « Nam quando dicimus : facio quod video aliquem facere, significamus quandam communicationem faciendi ab eo quem facere videmus; quia igitur Filius facit illud idem quod Pater, sed virtutem faciendi accipit a Patre, propterea dicitur facere quod videt Patrem facere et hoc est : non a semetipso facere » (*Tol.*). Vel, ut *Thom.* explicat, per visum scientiam a rebus accipimus; visio itaque designat derivationem cognitionis et scientiae ab alio, unde recte exprimitur ea voce Filium accipere potentiam et operationem a Patre. Dicitur autem *facientem,* ut intelligatur Filium simul facere, et cum facere sit eius qui exsequitur, subiectio quoque seu subordinatio filii ad patrem excluditur (*Cai.*).

Sententiae neganti adiungitur sententia affirmans, qua magnitudo potestatis Christi exprimitur (*Thom.*), et quod dictum est : Filium facere quod videt Patrem facientem declaratur et probatur : *quaecumque enim...* cuncta itaque quae Pater facit, Filius quoque facit, idque ὁμοίως i. e. ita ut idem quoque operandi modus habeatur (*Cyr.*); proinde denuo asseritur una numero natura, potentia, operatio Patris et Filii; « in eo enim quod potest eadem per omnia facere quae sunt Dei ac Patris et operari eodem modo ac Pater, identitatem probat substantiae eorum (τῆς οὐσίας ἑαυτῶν μαρτυρεῖ ταυτότητα); quibus autem essendi ratio est diversa, his utique non erit idem in omnibus operationis modus ὁ τῆς ἐνεργείας τρόπος οὐχ ὁ αὐτός » (*Cyr.* sim. *Chr.* etc.). Neque obstat quod Pater habet a se, Filius a Patre essentiam ac potentiam; nam eadem est in utroque; propterea sicut idem est Deus, ita eadem dignitate et auctoritate operantur. Haerebant aliqui in verbo *facere,* multa quippe fecisse Filium quae nunquam eadem Patrem facientem vidisset; Filium enim esse natum, assumpsisse humanam naturam, esse mortuum, resurrexisse; quibus responderi potest, « Patrem non solum volendo, sed vere etiam agendo fecisse quidquid fecit Filius, fecisse tamen ut causam efficientem, non ut terminum : Filius natus est, Pater generavit; Filius naturam humanam sumpsit, Pater dedit; Filius mortuus est, Pater eum tradidit; Filius resurrexit, Pater eum suscitavit. Itaque in omnibus his rebus eadem a Patre et Filio actio

edita est; sed propterea Filius, non Pater, genitus, incarnatus, mortuus, suscitatus esse dicitur, quia haec nomina non solum actiones, sed actionum etiam terminos significant, qui Filio propter personae distinctionem, quae terminus est, non Patri conveniunt » (*Mald.*).

Homines qui inter se amant, mutuo sibi omnia communicant, nihil sibi occultant; tali argumento etiam utitur Christus ad persuadendum quod modo dixerat v. 20 *Pater enim diligit Filium et omnia demonstrat ei quae ipse facit;* omnia ei demonstrat, quia cognitionem quam habet Filius Pater dat; Pater enim communicat Filio scientiam cum essentia et hoc est demonstrare (*Tol.*); « demonstrat Pater se ipsum totum in Filii natura exprimens; unde Christus ait : nemo novit quis sit Filius nisi Pater, neque Patrem quis novit quis sit nisi Filius (cf. Matth. 11,27); est quidem in utroque cognitio utriusque, non doctrina, sed natura (οὐ διδακτῶς, ἀλλὰ φυσικῶς) » (*Cyr.*); demonstrat ei omnia, in quantum ei communicat notitiam omnium operum (*Thom. Mald. Ians.*). Dilectio dicit unitatem summam Patris ad Filium; summa autem unitas est in essentia, ideoque omnimoda indivisio in operatione et propterea necesse est ut Filius in omnibus Patri cooperetur (*Bon.*). Dilectio dicit communicationem bonorum; ita inter homines; quare Christus eodem argumento utitur ut signo et probatione; non autem quod amor proprie sit causa, sed quia amor est causa cognitionis nostrae, ita ut intelligamus Patrem omnia cum Filio communicare; vult enim Pater naturaliter Filio omne ac summum bonum.

Hac ratione ex summa illa cum Patre coniunctione Christus ea explicat quae eousque fecit; at maiora quoque a se exhibenda esse, ex eadem cum Patre unione declarat : *et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini* « de his quae me nunc videtis facere hostiliter invidentes me occidere quaeritis, quod me iubente languidus in sabbato sanus surrexit et sustulit grabatum suum et ambulavit » (*Rup.*). Eousque sanationes Christus aliaque signa coram Iudaeis patravit; maiora se facturum annuntiat, scil. resuscitationem mortuorum et iudicium; de his enim loquitur in subsequentibus, quae quia futura sunt, verbo futuri temporis utitur *demonstrabit,* loquens more humano et effectum designans opusque externum, quod ipse in natura humana exsequetur. Hisce efficietur, *ut vos miremini,* « tum magis stupebitis (καταπλαγήσεσθε), divinam gloriam et virtutem in me cernentes, quem blasphemiae crimine nunc involvitis et persequi non veremini » (*Cyr.*); cf. Matth. 26,64.

Incipit declarare, quaenam sint illa maiora v. 21 *sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* in subsequentibus sermo infertur de morte peccati, de vita gratiae et de

mortuis in sepulcris eorumque resurrectione; quare optimum erit hanc priorem sententiam accipere modo generali et indeterminato. Denuo una utriusque operatio designatur; neque enim alios Filius ac Pater vivificat; sed Filius *quos vult* vivificat, una ergo utriusque voluntas (*Patr.*), par potestas (*Chr.*), propria aequalisque auctoritas (*Mald.*). In resurrectione mortuorum *omnes* suscitabuntur; quare altera sententia videtur intelligi debere de vivificatione spirituali, de vita gratiae : Filius *quos vult* ad vitam gratiae et gloriae suscitat. Membrum prius de suscitatione mortuorum postea v. 28 etiam de Filio enuntiatur. Affertur dein ratio, cur dictum sit *quos vult vivificat,* unde iam per se elucet non omnes ad vitam gratiae et gloriae iri suscitatum. Ratio est quia ipse est iudex qui unicuique secundum opera sua retribuet; quare ex eius iudicandi munere consequitur quibus velit dare vitam gloriae; v. 22 *neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio,* qui scil. iudicium revera exsequitur, sententiam profert; Pater dicitur non iudicare, non quod revera non iudicet, quia actiones ad extra sunt SS. Trinitati communes, sed quia non iudicat sumpta persona iudicis, non loquitur hominibus neque ritu externo formaque iudiciali iudicat, sicut Filius iudicat in natura assumpta (cf. *Mald.*); dicitur *dedit,* quia humanae Christi naturae, Christo homini haec auctoritas collata, hoc munus demandatum est.

Pater autem Filium in humana natura hominibus sese sistentem iudicem et arbitrum vitae et mortis esse voluit, v. 23 *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem,* qui scil. mortificat et vivificat; ego, inquit Dominus, occidam et ego vivere faciam; Deus noster Deus salvos faciendi et Domini Domini exitus mortis (1 Reg. 2,6. Deut. 32,39. Ps. 67,21; *Ians.*), *sicut* καθώς quemadmodum, eadem scil. ratione, quia Filius Patri est consubstantialis, uti in v. 19 expressum est; utrique par et aequalis honor est tribuendus, quia una eademque natura et divinitas est utriusque. Unde pariter consequitur : *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit eum,* nec enim alia ratione missus est quam quia Filius decreto Patris homo factus est, unde factum, ut homo ille qui idem Deus aequalis Patri erat parem honorem Patri mereretur (*Mald.*). Si quis ei honorem detrahit, Patrem iniuria afficit, qui ad genus humanum docendum et redimendum Filium sibi aequalem misit, cuius itaque contemptus in Patrem redundat.

Iam explicat quomodo Filius vivificet v. 24 *amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit et credit ei qui misit me,* nam qui Filio misso credit eo ipso mittenti quoque credit; at effert id Christus quo magis Iudaeis inculcet, si sibi non credant eos ne Deo ipsi quidem

credere, *habet vitam aeternam,* habet scil. vitam gratiae, qua habet ius ad vitam beatam aeternam, habet vitam illam, quae natura sua et destinatione tendit ad aeternam beatitatem, *et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam;* fide itaque transitus ille a morte spirituali ad vitam instituitur; iudicium vero fit ibi, ubi est iniuria; at qui vivit coram Deo, iam non est inimicus Dei, non venit in condemnationem. Et iam nunc tempus esse, quando oportet audire verbum eius, sollemni attestatione profitetur v. 25 *amen, amen dico vobis, quia venit hora et nunc est quando mortui audient vocem Filii Dei,* ad aures eorum qui spiritualiter mortui sunt vox eius afferetur, *et qui audierint,* obsecuti fuerint, vocem illam susceperint, *vivent* scil. habebunt vitam veram spiritualem, uti in v. 24 dictum est. Verba haec explicanda esse cum *Aug. Rup. Bon. Corl. Schz. Fil.* de resurrectione spirituali, suadetur connexione cum antecedentibus, porro addito illo *et nunc est,* quod in v. 28 ubi de resurrectione corporali agitur non apponitur, dein quia explicite effertur *et qui audierint vivent,* quo loquendi modo satis indicatur fore ut non omnes mortui perveniant ad vitam. Alia plane ratione in v. 28 : audient et procedent etc. Verum quidem est multos iam hunc v. 25 de resurrectione explicare vel generali vel de resurrectione aliquorum (iuvenis in Naim, Lazari; cf. *Chr. Cyr. Theoph. Euth. Alb. Tol. Cai. Ians. Mald. Lap. Schg.*); at discrimen inter v. 25 et 28 bene advertendum est.

Et cur Filius possit vivificare, ratio et probatio affertur v. 26 *sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso;* cf. 1,4 in ipso vita erat et vita erat lux hominum. Disceptant sintne verba intelligenda de Filio, de Verbo increato (*Chr. Aug. Bed. Bon. Alb. Thom. Tol. Cai. Lap.*) an de Filio incarnato (*Cyr. Mald. Schz.*). Qui de Incarnatione explicant, monent esse locutionem eandem quae habeatur in v. 27, in quo de Christo homine aperte sit sermo. Attamen magnum adest discrimen. Nam in v. 27 agitur de munere externo iudicium instituendi, quod utique Christus in humana natura obit; hic vero sermo est de vita quam habet in semetipso, *sicut* eam habet Pater et quam a Patre accepit. Hanc autem non accepit in Incarnatione, sed Verbum habens vitam in semetipso naturam humanam assumpsit et in natura humana vitam supernaturalem credentibus largitur. Uti in v. 21. 22, ita hic mentio infertur iudicii, illius scil. muneris messiani. Christus enim omnibus offerens gratiam et vitam causa est salutis; verum iis qui non credunt exsistet iudex v. 27 *et potestatem dedit ei iudicium facere,* quale iudicium intelligatur, declaratur in v. 29, *quia filius hominis est,* quia Messias est; vide ad Dan. 7,13. 14; Messiam autem fore iudicem vaticiniis quoque praedic-

tum est Ps. 71,2. Is. 11,4: 63,3. 6. Per Christum hominem Deus homines salvari vult, per hominem pariter homines iudicari vult iudicio ritque externo (cf. Matth. 25,31 seq.). Cum graece habeatur h. l. υἱὸς ἀνθρώπου sine articulo, monent aliqui filium hominis non significare Christum, uti alias, sed generaliter hominem (*Mald. Ians. Schz.*); proin hoc loco id solum enuntiari *ei* i. e. Filio Dei datam esse potestatem faciendi iudicium quia *homo* est, oportere enim iudicem dum ius dicit videri a iudicandis, id quod fieri non posset, nisi iudex in humana appareret natura, cum magna iudicandorum pars sit reproba, qui Deum videre non possint (cf. *Cai.*). Verum haec ratio est inefficax; potuit enim Deus, ut in vetere foedere, apparere per angelum in forma visibili. Neque defectus articuli obstat, quominus υἱὸς ἀνθρώπου explicetur, uti alias cum articulo; nam Dan. 7,13 et apud Theod. et LXX eodem modo legitur, uti hic; dein defectus articuli etiam declarari potest quia υἱὸς α. praedicatum grammaticale est, ubi articulus omnino deesse potest, licet etiam poni possit.

« Dixerat iudicii potestatem sibi datam a Patre; at quia audientium cordibus verbum hoc incredibile visum est, vel forsan, dum haec audirent, gestu aliquo exteriore ut incredibile refutarunt adiunxit » (*Tol.*) v. 28 *nolite mirari hoc,* et ita hoc ad v. 27 referunt *Aug. Bon. Cai. Mald. Schz.*, alii ad v. 24-27 (*Ians. Corl.*); ne igitur hoc vobis incredibile videatur, perpendite, quid mihi commissum sit, *quia venit hora* ἔρχεται, veniet, nota cum *Aug.* hic non addi, uti v. 25, et nunc est, *in qua omnes qui in monumentis,* in sepulcris, *sunt, audient vocem Filii Dei,* cf. 1 Thess. 4,15 ipse Dominus in iussu ἐν κελεύσματι, in clamore excitatorio (cum classico) et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo; v. 29 *et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitae,* resurgent in vitam aeternam; *qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii,* resurgent ad iudicium condemnationis; cf. Matth. 25,46.

« Ecce ad caput redit et argumentationis partes ex una complexione cingit, dum dicit » (*Rup.*) v. 30 *non possum ego a meipso facere quidquam,* cf. v. 19; *sicut audio iudico*, « Christus audiebat ut Deus quia scientiam habebat a Patre eandem cum Patris scientia; audiebat ut homo qui scientiam humanam habebat a divinitate communicatam; iudicabat ergo, sicut audiebat et non a seipso solo; non ergo ignorare aliquid poterat, quo iudicium minus rectum ferretur » (*Tol.*); similiter in v. 19. 20 dicitur *videre, demonstrare* de operibus quae Filius a Patre se accipere affirmat; simul asserit se non aliud velle quam quod Pater velit (*Chr. Cyr.*). Uti *Cai.* notat, triplici ex capite potest iudicium a iusto declinare, vel ex parte potentiae, vel ex parte

intellectus, vel ex parte voluntatis. Primum remotum est, dum dicit : non possum facere nisi quod faciat Pater; alterum, dum dicit; *sicut audio iudico*, scientia scil. a Patre accepta; tertium excluditur et iudicium iustum ostenditur, *quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me;* « potuit dicere : sed voluntatem Patris; maluit dicere : eius qui misit me, quia etsi idem est, tamen hoc est magis emphaticum; explicat enim tacite causam, cur ex eius voluntate iudicare debeat, non solum quia Pater est, sed quia se ad hoc ipsum miserat, ut iudicaret » (*Mald.*). Recte monet *Patr.* esse considerandum, « quod Christus in superioribus versibus de Filio locutus est adhibita semper tertia persona; nunc primam orationis partem concludens primam personam usurpat, tum ut ostendat non de alio se locutum esse nisi de se, tum quia iam transeundum est ad alteram partem, in qua propositum urgendum gensque incitanda ad credendum iis quae ipse de se dixerat ».

c) Iesus habet testimonium irrefragabile 5,31-47.

5,31. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est qui testimonium perhibet de me; et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me.

33. Vos misistis ad Ioannem; et testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio; sed haec dico ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens et lucens. Vos autem voluistis ad horam exsultare in luce eius. 36. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. 37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me : neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis. 38. Et Verbum eius non habetis in vobis manens; quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere; et illae sunt, quae testimonium perhibent de me. 40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognovi

5,31. Ἐὰν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου οὐκ ἔστιν ἀληθής. 32. ἄλλος ἐστὶν ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, καὶ οἶδα ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία ἣν μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ.

33. Ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάνην, καὶ μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ· 34. ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω, ἀλλὰ ταῦτα λέγω ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε. 35. ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων, ὑμεῖς δὲ ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. 36. ἐγὼ δὲ ἔχω τὴν μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάνου· τὰ γὰρ ἔργα ἃ δέδωκέν μοι ὁ πατὴρ ἵνα τελειώσω αὐτὰ, αὐτὰ τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ, ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκεν. 37. καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, ἐκεῖνος μεμαρτύρηκεν περὶ ἐμοῦ. οὔτε φωνὴν αὐτοῦ πώποτε ἀκηκόατε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε, 38. καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ὑμῖν μένοντα, ὅτι ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος, τούτῳ ὑμεῖς οὐ πιστεύετε.

39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ· 40. καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε. 41. Δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω· 42. ἀλλὰ ἔγνωκα ὑμᾶς, ὅτι τὴν

vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam quae a solo Deo est, non quaeritis? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

ἀγάπην τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. 43. ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, καὶ οὐ λαμβάνετέ με· ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήμψεσθε. 44. πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου (Θεοῦ) οὐ ζητεῖτε; 45. μὴ δοκεῖτε ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα· ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα Μωυσῆς, εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε. 46. εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωυσεῖ ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί· περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν, 47. εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύετε;

In v. 32 και οιδατε ℵ* D Ti, et scitis a c q. In v. 37 ger faciem, Tert formam, b e f ff[2] g r figuram, l effigiem (scil ειδος). In v. 39 cg scrutemini; a b d scrutate. In v. 41 it gloriam; b l r honorem. In v. 44 Θεου om in B a b. In v. 47 πως... πιστευσετε codd pler et reliqui testes; πιστευετε BV Chr Ir f ff[2] l dun ger ox ken (creditis), item sin cu.

Sublimia de se enuntiavit. Uti alias, ita hic quoque Iudaei poterant vel explicitis verbis vel tacite ei oggerere : tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum (8,13), quare eorum obiectionem praeoccupans (*Chr. Euth. Cyr. Tol. Ians.*) dicit v. 31 *si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum,* vestra scil. opinione, non est efficax ad persuadendum, non reputatur fide dignum. Loquitur itaque in modum concedentis (*Corl. Schz.*), vel, ut *Mald.* putat, quasi proverbiali ratione, nolle se iuxta vulgare proverbium de se ipso testimonium perhibere, quia tale non haberetur verum. Id igitur Iudaeis concedit ut non ab eis exigat sibi fidem adhibendam esse propter solam suam assertionem; immo eis dicit : nullatenus postulo, ut nunc meis verbis iisque solis fidem adhibeatis. Ita loqui solet is qui aliis iam male in se affectis aliquid persuadere vult : non opus est ut mihi credatis, credere oportebit gravissimis aliorum testimoniis. Unde Christus quoque Iudaeis sibi offensis opponit v. 32 *alius est qui testimonium perhibet de me et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me;* loquitur quidem indefinite (*Cai.*), uti congruum est post v. 31 : non ego, sed alius, quo loquendi modo et attentionem excitat et gravitatem testimonii huius eiusque vim iam indicat. Intelligit vero *alium* non Ioannem baptistam (*Chr. Thom. Ians.*), uti ex v. 34 consequitur, neque Moysen, prophetas, baptistam, Patrem (*Mald. Schg.*), sed Patrem solum (*Cyr. Bed. Rup. Patr. Schz. Fil.*), prout ex v. 36 seq. patet; et ipsa locutio ad unum spectat, non ad plures

simul. Utique plures de eo testimonium perhibebant; at in omnibus unus Pater testatus est qui scil. eis revelavit et in eis locutus est (cf. 1,33. Hebr. 1,1). Et quam grave sit huius *alius* testimonium, ingeritur audientibus dum dicit : *et scio;* cf. 8,16; qua locutione eos exstimulat, ut eius testimonium serio apud se expendant.

Iudaei audientes v. 32 non poterant non cogitare de Ioanne baptista; quare Iesus pergit v. 33 *vos misistis ad Ioannem;* vos ipsi illius testimonium expetiistis; « non misissetis autem, nisi fide dignum existimassetis » (*Chr.*), *et testimonium perhibuit veritati*, respondit veritatem, negans se esse Christum et affirmans et exhortans : dirigite viam Domini; ipse est qui post me venturus est etc. 1,23-27. « Non igitur est cur iudicetis me solum de me testimonium proferre, nec cur illud repellatis « (*Tol.*). Christus autem τὴν μαρτυρίαν illud ipsum testimonium quod nunc proferre vult et quo nunc coram Iudaeis uti vult non sumit ab homine v. 34 *ego autem non ab homine testimonium accipio*, non capto meum testimonium ab homine; quod homo de me testificatus est, nunc non pro me in medium affero, ac si in eo solo veritas mei testimonii consisteret vobisque eam persuadere vellem, vel quasi pro me esset necessarium (*Cai.*); *sed haec dico, ut vos salvi sitis, haec* scil. v. 33; dum enim verba baptistae et eius vitae sanctitatem sibi in memoriam revocant, fieri potest, ut promptiores fiant ad fidem Iesu, cui ille testimonium perhibuit, adhibendam. Quanta enim sedulitate ad eum confluxerint tam multi et quam sanctam vitam ille degerit, in omnium animis est repositum.

Saepius explicatur : non egeo, non indigeo testimonio ab homine edito (*Chr. Tol. Mald. Ians.*); at λαμβάνω hoc non dicit. Alii ita : non sumo testimonium ab homine, quia quamvis baptistae testimonium esset a Deo inspiratum adeoque divinum, tamen eius inspiratio facile in dubium ab aliis vocari possit (*Keil*). Et revera, uti *Chr.* notat, Ioannis testimonium Dei erat testimonium; ab eo enim didicerat ea quae dicebat (1,33); « sed ne dicerent : unde constat eum a Deo didicisse, et hinc adversum starent, eorum ora vehementer reprimit et adhuc contra illorum opinionem edisserit ». Imo aliis videtur Christus ea locutione magis augere vim testimonii eamque asserere : non *ab homine* accipio testimonium; id indignum Messia; sed Christus non potest carere testimonio Ioannis qui ad id perhibendum missus est (1,7. 8); quare ea locutione volunt enuntiari a Christo baptistam locutum esse inspiratione divina et Deum per ipsum testimonium perhibuisse de Christo (cf. *Fil.*).

Atque baptistae testimonium illis quam maxime potuisse esse saluti declarat ex dignitate et munere Ioannis; proinde simul asserit eos

merito ad eum misisse et debuisse eius testimonium amplecti v. 35 *ille erat lucerna ardens et lucens,* ἦν; ita indicat eum iam non in publica praedicatione versari; ergo ante alterum in vita Iesu publica pascha Ioannes in carcerem missus est (cf. Matth. 14,3. Marc. 6,17)[1]; erat ὁ λύχνος illa lucerna determinata, illis a Deo data, qua iis demonstraretur via ad regnum Dei et Messiam, qua e tenebris peccatorum et a caligine falsae de suae stirpis dignitate opinionis erepti ad lucem Messiae adducerentur; et haec lucerna magna claritate illuxit ὁ καιόμενος καὶ φαίνων, ardens amore, lucens verbo et opere (*Rup. Bon. Cai.*); at merito censet *Mald.* unum idemque designari; eo enim quod ardet lucerna etiam lucet; designatur lucerna clara, lucens, quae ad commonstrandum salutis auctorem satis esset; « idem est ardens et lucens, sed repetita sententia maiorem habet emphasin; nam quod quidam subtiliter distinguunt, nescio an aliquod faciant operae pretium »; *vos autem voluistis ad horam exsultare in luce eius* luce eius i. e. annuntiatione appropinquantis regni Dei exsultabant per breve tempus, dum sibi regnum Dei promitterent temporale, pompa et fastu illustre; eam itaque annuntiationem ab initio cum gaudio accipiebant; at mox ab exspectatione sua deiiciebantur, cum baptista poenitentiam praedicans eorum vitia perstringeret et eorum de stirpe abrahamitica iactationem radicitus everteret (cf. Matth. 3,7-12). Volebant enim temporalem regni praeripere felicitatem, carnali sensu regnum Christi terrenum fore sperantes (*Rup.*).

Eorum itaque inconstantiae, qua se ab Ioanne averterant, opponit testimonium quod habet multo maius et continuo coram ipsis exhibitum et perdurans v. 36 *ego autem habeo testimonium maius Ioanne* i. e. habeo testimonium quod maius est testimonio Ioannis; et ita incipit exponere quod in v. 32 affirmaverat; *opera enim quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me,* opera scil. messiana, miracula, sanationes, ea quae discipulis Ioannis exposuit : caeci vident... mortui resurgunt, pauperes evangelizantur (Matth. 11,5), ἵνα τελειώσω ostendit praeter ea quae iam perfecerit alia sibi superesse quae a Patre commissa explere debet, cum emphasi urget ea ipsa quae coram eis continuo faciat sibi esse testimonium sufficiens missionis a Patre acceptae. Si autem a Patre missus est, dein ea quae dicit vera sunt et Iudaei, ad quos a Patre missus est debent ei credere. Cum ita ad opera sua provocet, quae in hoc evangelio paucissima eousque commemorata sunt, evangelista synopticorum narrationem notam esse supponit.

1. Sunt qui illud *erat* de morte Ioannis accipiant. Id quod tamen cum Luc. 7,17 non concordat, quia baptista discipulos post alterum in vita Iesu publica pascha ad eum mittit.

In ipsis itaque operibus Christi iam continetur testimonium Patris; cf. v. 32. Praeterea alio quoque modo Pater ei testimonium perhibuit idque perdurat perhibitum v. 37 *et qui misit me Pater ipse* ἐκεῖνος ille sc. cum emphasi *testimonium perhibuit de me* μεμαρτύρηκεν; idque perhibitum exstat et perdurat in sacris litteris, uti in v. 38. 39 indicatur (*Chr. Rup. Mald. Schz.; *similiter *Cyr. Bed.*); praeter testimonium hoc non erit illis exspectandum aliud a Patre sensibili modo edendum; nam *neque vocem eius unquam audistis neque speciem eius vidistis,* neque eiusmodi manifestatio Dei, quae retroactis temporibus populo non est concessa, ullo pacto erit speranda, ne igitur expetant Dei testimonium a propria voce et a propria persona (*Euth.* sim. *Mald.*), Pater enim neque audiri neque videri potest; opera eius et testimonia Scripturae sunt voces eius quibus audiatur, sunt color quo videatur (*Mald.*). Verum hanc Dei vocem non agnoscunt v. 38 *et verbum eius non habetis in vobis manens,* habent in libris; non habent in se, in animis; non amplectuntur illud animis impressum, et ratio manifesta est : *quia quem misit ille, huic vos non creditis;* proinde si verbum Dei in sacris libris traditum animis complecterentur et rite intelligerent, fieri non posset, ut Iesum non agnoscerent Messiam a Deo missum; qui vetus testamentum, oracula prophetarum pie et sedulo perlustrat, ad fidem in Christum adducitur; est enim lex paedagogus ad Christum et in vaticiniis prophetarum ea clare exhibentur quae in Christo completa sunt. Quare Christus discipulos Ioannis ad ea oracula amandat (Matth. 11,5), sed simul meminit impedimenti quo ne Christum agnoscant retinentur : et beatus qui non fuerit scandalizatus in me, i. e. qui non fuerit offensus Messiae humilitate quae a gloriosa Iudaeorum exspectatione tam longe abest. Verum ad eam pervenerunt, quia plurimos illos prophetarum locos de sanctitate per Messiam restituenda, de expiatione peccatorum per eius passionem et mortem, utpote sensui carnali haud congruos, neglexerunt.

Haud una est interpretum de v. 37 acceptio. Patrem perhibuisse illud testimonium in baptismo sat multi censent (cf. *Chr. Patr.*). Verum hoc non perceperunt Iudaei generatim, neque ad illud congruit μεμαρτύρηκεν tamquam perhibitum adest; ibi vox Domini est audita; multo minus id ex transfiguratione explicari potest. Alii intelligunt testimonium in operibus exhibitum (cf. *Mald. Fil.*), de quo tamen antea sermo est. Etiam maior diversitas cernitur in membro altero : neque vocem eius etc.; quae verba aliqui ita concipiunt, ut eos non cognovisse dicatur neque Deum neque eius voluntatem (cf. *Bon. Theoph. Schg. Schz. Keil*), vel declarari vocem Dei non carnalibus audiri auribus, sed spirituali intelligentia (*Beda*), vel efferri Patris dignitatem (*Rup.*); notari tres modos propheticae cognitionis :

per auditum, visum, inspirationem v. 38; eos autem noluisse audire vocem Dei loquentis in Scripturis et in operibus Christi, neque speciem eius in Christo apparentem voluisse videre, neque suscepisse internam ad se Dei revelationem (cf. *Fil.*); similiter praeter alia *Thom.* : ostenditur triplex modus quo Deus aliquid revelatur alicui (*Cai.*). Vel Christum loqui per modum concessionis : Pater testatus est de me; fateor vos eius vocem non audivisse etc.; vel per increpationem : vocem audire noluistis eumque minime cognoscitis (cf. *Patr.*). Alii demum (*Tol. Corl.*) recurrunt explicationis gratia ad Deut. 18,15-19 : populum iam non auditurum vocem Domini nec visurum eius manifestationem per fulgur et ignem, sed Dominum eis missurum prophetam; Dominum servasse pactum; ipsos minime servasse, quia prophetae a Domino misso non crederent. Sed quorsum haec hoc loco allegentur, equidem non video. Magis obvium est quod habet *Calm.* : occupari obiectionem : illud ne obiicite : testem hunc quem praedicas nunquam vidimus, audivimus nunquam! Obiectioni obviam ire Christum etiam *Chr.* censet : « ne itaque dicerent Deum Moysi locutum esse (hoc namque dixerunt), hunc autem nescimus, unde sit, neque vocem neque speciem habere Deum asserit ».

Dixerat eos non habere verbum Dei in se manens. Id iam probat plane verum esse quamvis assidue et minutatim sacras litteras scrutentur; v. 39 *scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere*, ἐρευνᾶτε, scrutamini non est imperativus, sed indicativus (*Cyr. Tol. Corl. Schg. Schz. Fil.*), sicut cetera verba in hac pericopa in indicativo sunt, qui modus unice quoque ad sententiam adiectam congruit: quia vos putatis; ergo indicat qua opinione imbuti diligenter scrutentur. Si voluisset exhortari, debuit dicere : quia in illis est vita, et debuit dicere in v. 40 : et venite ad me. Neque opus erat illos exhortari ad scrutandum, verum addendum erat, si voluisset adhortari, ut abiecta superbia scrutarentur pie; nam traditionibus illis scribarum et pharisaeorum satis apparet quam minutatim et perverse scrutati sint imponentes onera importabilia in humeros hominum (Matth. 23,4. Luc. 11, 46) et *Iosephus* quoque pharisaeos vocat τοὺς δοκοῦντας μετὰ ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα (Bell. iud. 2,8. 14; cf. Antiq. 17,2. 4). Scrutantur autem eo modo, *quia vos putatis*, « non dicit habetis, sed putatis habere, ostendens illos non obsequi sed ex sola lectione gloriari » (*Chr.*). Haec dici a Christo in modum reprehendentis : *vos* putatis... merito asserunt *Chr. Rup. Mald. Schz.*; illis credita erant eloquia Dei (Rom. 3,2); at sicut falso et vane sibi promittebant salutem ex origine abrahamitica, ita in ipsis Scripturis i. e. in earum possessione sibi iam datum esse ius ad vitam aeternam existimabant. Ad quam perversitatem sua pervenerint scrutatione docet apostolus : ignorantes enim iustitiam Dei et suam quaerentes statuere iustitiae Dei non sunt subiecti (Rom. 10,3). Dein

ostendit illos verbum Dei non habere in se; nam *et illae sunt quae testimonium perhibent de me;* si itaque verbum Dei seu scripturas haberent in animis suis, si ea doctrina revera essent imbuti, etiam testimonium de Iesu intelligerent et amplecterentur; tum perspicerent non in possessione librorum (sicut neque in origine abrahamitica), sed in Messia reponi et collocari vitam aeternam.

Verum plane contrarium apud eos cernitur v. 40 *et non vultis venire ad me,* ad quem tot testimoniis libri sacri vos remittunt, *ut vitam habeatis* scil. veram, beatam, salutem, quam per Messiam generi humano esse afferendam pariter sacri libri testantur. Unde probatum est quod in v. 38 dicitur : non habetis verbum Dei in vobis, quia mihi non creditis. Ita de iis valet illud apostoli : obtusi sunt sensus eorum ; usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum (2 Cor. 3,14. 15).

« Non ob id vobis contemptum mei in Scripturis tam aperte commendati exprobravi dicens nolle vos venire ad me, quod vener laudem humanam, sed quod exploratum habeam destitutos vos esse dilectione Dei, quam si haberetis, obviis me ulnis exciperetis et simul cum Deo diligeretis » (8,42; *Ians.* sim. *Tol.*) v. 41 *claritatem* δόξαν gloriam *ab hominibus non accipio;* hoc dicit « quia credibile erat multos suspicaturos esse quod gloriam captaret » (*Cyr.*); qua enim ipsi aegritudine laborabant, eandem quoque in Salvatore reperiri putabant (*Cyr.;* sim. *Rup. Cai. Ians.*). Eo sensu facile adnectitur sententia antecedentibus et viam quasi sternit ad sequentia. Minus commode fluit quod *Mald.* praefert, esse repetitionem et conclusionem per epiphonema sententiae v. 36 : « itaque verum est quod dixi me habere testimonium maius Ioanne, neque enim ab hominibus gloriam accipio ». Dein transitum ad v. 42 ita *Mald.* construit : ego quidem me Servatorem esse mundi divinis probavi testimoniis; scio tamen apud vos ne divina quidem testimonia valitura, quia dilectionem Dei non habetis. Sed aptius connectunt *Ians. Tol.*, uti modo notatum est; v. 42 *sed cognovi vos quia dilectionem Dei non habetis in vobis;* expertes enim cum sitis dilectionis in Deum, quomodo veniretis ad me Filium Dei unigenitum (*Cyr.*)?

Atque eos ab ea in Deum dilectione abesse et suis inhiare cupiditatibus terrenisque desideriis demonstrat in subsequentibus v. 43 *ego veni in nomine Patris mei,* missus a Patre, eius auctoritate et mandato ad opus perficiendum quod Pater a me fieri vult; unde si Deum diligerent, talem a Deo legatum susciperent; *et non accipitis me;* verum *si alius venerit in nomine suo* sibi ipsi arrogans auctoritatem ad ea peragenda quae ipse sibi pro sua populique superbia proposuit, qui itaque revera *suo nomine* venit, etsi se divinitus missum iactet, *illum*

accipietis; aperte alludit Christus ad multos illos qui postmodum exstiterunt pseudochristos, qui cupiditatibus populi blandientes libertatem, gloriam, regnum temporale promittebant et populum misere perdebant; cf. Marc. 13,6 et quae ad illum locum notavi. Multi hunc *alium* de antichristo intelligunt (*Chr. Euth. Bed. Rup. Thom. Bon. Tol.*); at sane non est, cur de illo solo cogitetur; potius intelligi debet quicumque falsus doctor populum seducit (*Aug. Thom.*); et merito alii mentionem inferunt illius Aegyptii, de quo *Iosephus* (Bell. iud. 2,13,5) et Barchocab (*Ians. Lap.*).

Atque in quantum sibi ipsi aditum salutis occludant, magna cum emphasi effert v. 44 *quomodo vos potestis credere,* attende gradationem ad v. 40 (*non vultis*) *qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis?* ambitio eorum et superbia et appetentia laudis et honoris apud homines ita iam eorum animos occupavit, ut de Dei approbatione et de illa gloria quae ab uno Deo dari potest nullatenus curent. In ea vero animorum affectione perspicuum est eos non posse *credere,* sibi persuadere Messiam apparere in humilitate, assentiri doctrinae Iesu de humilitate, de sui abnegatione, relinquere notionem de regno Messiae temporali etc. Et quantopere pharisaei laudis fuerint appetentes, vide Matth. 23,5 seq. Luc. 11,43. En impedimentum perveniendi ad fidem et simul etiam occasio et causa fidei amittendae, nam superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam! Assignatur in hac emphatica Christi locutione *quomodo potestis...* documentum praeclarum iis quorum est alios ad fidem adducere et in fide suscepta retinere. Utique ambitiosi et superbia tumentes nolunt in captivitatem redigere intellectum in obsequium Christi (2 Cor. 10,4).

Demum et eorum gloriationem de sacris litteris v. 39 destruit et Moysen, quem contra Christum et eius agendi modum tamquam accusatorem producebant (cf. v. 10), ipsorum esse accusatorem dicit v. 45 *nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem;* locutio est praesertim post v. 22.27 emphatica; omnino non opus est me accusatore; iam enim praesto est alius, ille idem quem vestrum patronum ac defensorem arbitramini: *est qui accusat vos,* ἔστιν exsistit, adest ὁ κατηγορῶν ὑμῶν accusator vester, qui hoc in se munus assumit, *Moyses in quo vos speratis* ἠλπίκατε in quo spem collocastis et collocatam habetis, de cuius patrocinio vobis gratulamini, quia scrutamini mandata eius et legem eius traditionibus vestris quasi sepe ad arctissimam observantiam circumdedistis. Atque eos minime Moysi credere affirmat quamvis de eo glorientur eiusque legem se accurate servare iactent adeoque Moysen suum apud Deum patronum celebrent. Ita simul probat cur Moyses sit eorum accusator et quam merito eos accuset v. 46 *si enim*

crederetis Moysi, crederetis forsitan ἐπιστεύετε ἂν (non itaque *forsitan*, sed potius : profecto, utique) *et mihi*, crederetis utique et mihi (uti d habet); *de me enim ille scripsit;* cf. Gen. 3,15; 12,3; 18,18; 22,18; 49,10. Num. 24,17. Deut. 18,15 seq. ubi praecipitur, ut prophetae a Deo per miraculum comprobato obedientia praestetur: qui autem verba eius quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exsistam (v. 19); praeterea in Pentateucho typos contineri messianos nemo negat. « Quid enim ille dixit? annon : quod si quis signa faciens venerit qui ad Deum ducat futuraque vere pronuntiet, ipsi credere oporteat? annon Christus haec omnia fecit? signa cum omni veritate edidit, omnes traxit ad Deum, praedictiones ex rerum eventu asseruit » (*Chr.*).

Si itaque Moysi non credunt quem tamen vehementer honorare et laudare et venerari se iactant, quomodo Christo credent quem inhonorant et contumeliis proscindunt (*Euth.*)? Unde v. 47 *si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* argumentum est, ut *Tol.* dicit, a maiore negative, non absolute, sed secundum opinionem illorum; illi enim pluris faciebant Moysen quam Iesum. Gravissima itaque in eos accusatio profertur eos scil. ne sacris litteris quidem, de quibus adeo gloriantur, fidem adhibere; falso eos fiduciam fovere in Moysen, eos ab ipso Moyse repudiari. Unde iam satis clare enuntiatur eos iri reiectum a Deo, iam non posse esse eius populum electum. Ad hanc autem perditionem adducuntur sua ambitione ac superbia (v. 44). — Notandum hac Christi locutione et argumentatione clarissime affirmari scripsisse Moysen eiusque scripta exstare apud Iudaeos; insuper attende, quo sensu haec Christi verba a Iudaeis intelligi debuerint et intelligi Christus sciverit.

Iudaei ad quos Christus loquitur sunt synedristae, nobiles auctoritate praediti, uti patet ex v. 10. 16. 18. Iesum clare divinitatem asseruisse etiam ex synopticis elucet (cf. Matth. 11,27), et praesertim ex quaestione a Caipha posita : dic nobis, si tu es Christus filius Dei; nam filius Dei hoc loco sensu theocratico intelligi nequit, cum eo sensu omnes sint et dicantur filii Dei, imo Israel primogenitus filius Dei (cf. Ex. 4,22. 2 Reg. 7,14. Is. 1,2 etc.); porro Messiam esse filium Dei sensu theocratico valde inutiliter asseritur et tale quid addi quod ei cum omnibus sit commune, non potest in ea quaestione supponi, quae certe testimonium Iesu de se ipso exquirit. — Si autem Iesus suam cum Patre aequalitatem docere voluit, modo aptissimo eam ita proponit et explicat, uti in hac disceptatione cernitur, docens se habere eandem operationem cum Patre v. 17, idque declarans v. 19 seq. et illustrans : se solum facere posse quod viderit Patrem facientem et cuncta quoque facere quae Pater faciat; omnia sibi communicari a

Patre; eundem sibi competere honorem, eandem vitam etc. Quae deinde testimonio operum probat vere a se dici et testimonio sacrarum litterarum. Unde simul patet Iudaeos aut ipsi debere credere aut plane a Deo reiici. Ita Iesus est in resurrectionem aut in ruinam.

4. *Manifestatio Iesu altera in Galilaea* 6,1-72.

« Posita doctrina de vita spirituali qua Christus regeneratos vivificat consequenter evangelista agit de spirituali nutrimento quo Christus vivificatos sustentat et primo ponit visibile miraculum quod fecit Christus exhibendo nutrimentum corporale » (*Thom.*). Duplici miraculo quasi praeludit ad sermonem de se tamquam pane vitae, quo carnem suam ut cibum, sanguinem ut potum se daturum promittit. Multiplicatione panum et sua super lacum ambulatione profecto potentiam suam praeclaro modo manifestat; quare merito fidem postulare potest etsi ea docet quae quomodo fieri possint populus non intelligit. Praeterea ipsa illa miracula ad argumentum sermonis praeparandum et illustrandum faciunt. Multiplicatione panum potentiam suam creatricem, illimitatam ostendit ad dandum cibum corporalem; proin eadem praeditum se insinuat ad dandum cibum spiritualem. Ambulatione super aquas ad oculum demonstrat discipulis se posse corpus suum a legibus materiae plane eximere idque in corpus spirituale transformare. Prius miraculum pro populo et discipulis, alterum pro discipulis patrat; utrosque praeparat ita, ut parati esse possint, dummodo velint, ad mysterium fide suscipiendum. Cur ampliore modo discipulos altero quoque miraculo edoceat, ex eorum officio et munere planum est, quos scil. elegit, ut se penitius noscerent et maiore fide aliis exemplo essent et institutioni.

In Galilaea ad ripam orientalem lacus Tiberiadis magnam populi turbam multiplicatis panibus et piscibus pascit (6,1-13). Turbae se subducit, discipuli vespere navigant Capharnaum versus, ad quos venit ambulans super aquas (v. 14-21). Turba hominum illa Iesum ibidem invenit, ad quos sermonem habet de pane vitae qui sit ipse et quem daturus sit in carne sua et sanguine, ut hoc cibo potuque vitam habeant (v. 22-59). Monet discipulos ne sermone hoc scandalizentur multi tamen recedunt; reliqui fide proficiunt (v. 60-72).

a) Iesus panes multiplicat 6,1-13.

6,1. Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis; 2. Et se-

6,1. Μετὰ ταῦτα ἀπῆλθεν ὁ Ἰησοῦς πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας τῆς

quebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Iesus; et ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum pascha, dies festus Iudaeorum. 5. Quum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri : 9. Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed haec quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Iesus : Facite homines discumbere : erat autem foenum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Iesus panes; et quum gratias egisset, distribuit discumbentibus; similiter et ex piscibus quantum volebant. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerunt his qui manducaverant.

Τιβεριάδος· 2. ἠκολούθει δὲ αὐτῷ ὄχλος πολύς, ὅτι ἐθεώρουν τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει ἐπὶ τῶν ἀσθενούντων· 3. ἀνῆλθεν δὲ εἰς τὸ ὄρος Ἰησοῦς, καὶ ἐκεῖ ἐκάθητο μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. 4. ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων. 5. ἐπάρας οὖν τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ θεασάμενος ὅτι πολὺς ὄχλος ἔρχεται πρὸς αὐτόν, λέγει πρὸς Φίλιππον, Πόθεν ἀγοράσωμεν ἄρτους, ἵνα φάγωσιν οὗτοι;

6. τοῦτο δὲ ἔλεγεν πειράζων αὐτόν· αὐτὸς γὰρ ᾔδει τί ἔμελλεν ποιεῖν. 7. ἀπεκρίθη αὐτῷ Φίλιππος, Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, ἵνα ἕκαστος βραχὺ λάβῃ. 8. λέγει αὐτῷ εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς Σίμωνος Πέτρου, 9. Ἔστιν παιδάριον ὧδε, ὃς ἔχει πέντε ἄρτους κριθίνους καὶ δύο ὀψάρια· ἀλλὰ ταῦτα τί ἐστιν εἰς τοσούτους; 10. εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Ποιήσατε τοὺς ἀνθρώπους ἀναπεσεῖν. ἦν δὲ χόρτος πολὺς ἐν τῷ τόπῳ. ἀνέπεσαν οὖν οἱ ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡς πεντακισχίλιοι. 11. ἔλαβεν οὖν τοὺς ἄρτους ὁ Ἰησοῦς, καὶ εὐχαριστήσας διέδωκεν τοῖς ἀνακειμένοις· ὁμοίως καὶ ἐκ τῶν ὀψαρίων ὅσον ἤθελον. 12. ὡς δὲ ἐνεπλήσθησαν, λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα κλάσματα, ἵνα μή τι ἀπόληται, 13. συνήγαγον οὖν, καὶ ἐγέμισαν δώδεκα κοφίνους κλασμάτων ἐκ τῶν πέντε ἄρτων τῶν κριθίνων, ἃ ἐπερίσσευσαν τοῖς βεβρωκόσιν.

In v. 1 D εις τα μερη της Τιβερ. Chr, in partes tib b e r; trans mare Tiberiadis Ir. In v. 4 sin festum azymorum Iudaeorum. In v. 5 sin panem istis hominibus, v. 6 is autem ut tentans eum interrogavit; v. 7 quando paucum paucum manducent; r manducet; v. 8 sin cui nomen Andreas. In v. 9 παιδαριον sine εν א B D L alq min a b d e l. In v. 10 repetit sin (post : in loco) dixit eis : ite facite discumbere homines super viride v. 11 et postquam eos fecerunt discumbere, accepit Iesus quinque hos panes et duos pisces et elevavit in coelum... et distribuit discipulis; sin igitur hic nil habet de numero; habet autem, uti א^c D Γ Δ Λ unc 9 al pler illud addit τοις μαθηταις, οι δε μαθηται, b d e discipulis discipuli autem (darent discumbentibus); in v. 13 sin de quinque panibus et de duobus piscibus; erant autem viri qui manducaverant ex eo pane 5000; etiam steph sixt add et duobus piscibus, pariter aliq edit. antiquae vulg.

Haec panis multiplicatio eadem refertur apud synopticos Matth. 14, 13; Marc. 6,32, Luc. 9,10 seq. Tempus nobis declaratur ab evangelista

6,4 erat autem proximum ἐγγύς pascha; pascha scil. tertium in vita Christi publica, nam Luc. 6,1 iam assignatur tempus post secundum, 4,14 post primum pascha. Ea itaque quae Luc. 6,1-9,10 et locis parallelis narrantur, praecedunt et alterum annum vitae publicae Christi nobis exhibent v. g. electio apostolorum, sermo montanus, varia miracula sanationum et resuscitationum, parabolae, missio apostolorum ad praedicationem, post quorum reditum Iesus cum eis secedit in locum desertum; ibique hoc miraculum panis multiplicationis patrat. Ubi hoc factum sit, indicatur Luc. 9,10 : secessit seorsum in locum desertum qui est Bethsaidae (scil. Iuliadis) et etiam a nostro evangelista 6,1 *post haec*, sat longum intercedere intervallum et Iesum reducem ab urbe in Galilaea versatum esse, colligitur ex Luca 6,1-9,10, *abiit Iesus trans mare Galilaeae quod est Tiberiadis*, additur τῆς Τιβεριάδος, ut ubinam « mare Galilaeae » situm sit lectoribus asianis Ioannes explicet. Eam urbem Herodes Antipas valde amplificavit et ornavit nomine hoc ei imposito in honorem Tiberii Caesaris. Secessit itaque Christus in litus orientale lacus, et quidem in navicula (Matth. 14,13); v. 2 *et sequebatur eum multitudo magna*, i. e. turbae de civitatibus pedestres illuc concurrerunt eum secutae (Matth. l. c. Marc. 6,33), *quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur;* multa signa Iesum fecisse etiam indicatur pro eo tempore Matth. 14, 1. 2, ita ut Herodes famam Iesu audiret et ideo putaret baptistam surrexisse a mortuis et virtutes in eo operari. Praeterea apostoli in missione et daemonia multa eiecerant et ubique sanationes perfecerant (Marc. 6,13. Luc. 9,6). Quare minime mirum est quod turbae multae Iesum et apostolos a missione reduces secutae sunt. Sed sequuntur, quia videbant signa; « non firma fide sequebantur; signis enim potius inducebantur, cum tamen tantam doctrinam perciperent » (*Chr.*); utilitate igitur corporis magis quam animae ista multitudo concurrebat, quod evangelista non dissimulavit, causam multitudinis congregatae exprimens (*Tol.*) et Matth. 14,14 legimus : et curavit languidos eorum, postquam eo in deserto constitit : et excepit eos et loquebatur de regno Dei et eos qui cura indigebant sanabat, uti Luc. 9,11 refertur.

Iesus appulsus in littore orientali v. 3 *subiit ergo in montem* τὸ ὄρος articulo indicari videtur unum montem (adeoque notum ac determinatum) ibi fuisse *et ibi sedebat cum discipulis suis;* v. 4 *erat autem proximum* ἐγγύς *pascha, dies festus Iudaeorum*, qua temporis conditione etiam explicari potest tanta multitudo populi congregata (*Corl.*) euntium nempe in urbem. Iesus autem ad festum non ascendit (7,1) impeditus Iudaeorum nequitia (*Chr.*). Apposite tempus notatur. Ergo Iesus uno anno antequam sacram eucharistiam institueret sermone

habito illam institutionem praeparare et animos discipulorum disponere voluit. Hi enim certe saepe per annum secum volvebant quid tandem illo sermone duro quem toties repetebat voluisset et demum in ultima coena audientes Iesu verba edocebantur, ita ut verba illa institutionis eucharistiae nequaquam illis ex abrupto quasi et minime praeparatis ad intelligendum proponerentur. — Evangelista aliqua silentio praeterit quae a synopticis referuntur (docuisse turbas Christum et aegros sanasse), aliqua accuratius et magis determinate refert; ita quae de Philippo et Andrea in particulari efferuntur. Secundum synopticos ipsi discipuli primi monent Iesum : dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Id Ioannes non explicite narrat; at quae Philippus et Andreas respondent iam satis ostendunt discipulos de escis cogitasse. Dein ipsa Ioannis narratione succincta proditur plura esse omissa. Nemo enim finget Iesum simul ac viderit turbam accedentem statim de escis sermonem intulisse; v. 5 *cum sublevasset ergo oculos Iesus et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : unde ememus panes, ut manducent hi?* adnotat *Chr.* : « ceteri evangelistae dicunt discipulos accedentes rogasse et obsecrasse illum ne dimitteret eos ieiunos; hic vero Philippum inducit a Christo interrogatum. Utrumque mihi verum videtur; sed non eodem ipso tempore gestum; sed aliud alterum praecessisse », scil. discipulos prius admonuisse Dominum et tum Philippum interrogatum esse (*Theoph.* sim. *Bon. Tol. Ians. Schz.* etc.).

Cur prae aliis nominatim Philippum rogaverit, *Cyr.* rationem repetit ex indole eius, quippe qui fuerit in percipiendis rebus divinis haud multum acutus, id quod etiam demonstrari censet Ioan. 14,8. 9 (sim. *Chr. Theoph. Thom.*). Ea quaestione etiam omnes attentos reddit; « nam si absque ullo apparatu signum editum fuisset, non tantum apparuisset miraculum; iam vero prius curat, ut penuriam confiteatur, ut hinc maius ipsi videatur miraculum » (*Chr.*). Qua de causa Iesus ita agat exponitur v. 6 *hoc autem dicebat tentans eum;* eadem mente dicit apud synopticos : date illis vos manducare. Vult enim eorum fidem provocare; « provida dispensatione facit, ut Philippus tarditatem suae fidei quam magistro sciente ipse nesciebat, tentatus agnoscat et miraculo facto castiget » (*Beda*); tentat eum scil. volens notam facere fidem eius (*Theoph.*), ut videlicet imbecillitatem eius arguat, ut ipse Philippus se noscat et quid sentiat pandat. Nam, ut *Bon.* advertit, tentatio probans fieri potest, ut innotescat probanti, aut aliis, aut ut innotescat tentatus sibi ipsi; primo modo non tentat Deus, sed homo: altero modo tentat Deus virum perfectum ad exemplum; tertio tentat imperfectum ad humilitatis meritum, quia homo humiliatur, dum sibi

sua infirmitas innotescit. Et eo modo Philippum tentat, ut ipse se exploret, ut ipsum ad fidem exerceat (*Cyr.*), *ipse enim sciebat quid esset facturus*.

Apud synopticos (Marc. 6,37) discipuli dicunt: euntes emamus ducentis denariis panes? hic v. 7 *respondit ei Philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat*; coram aliis Philippus interrogatus respondet; alii quoque discipuli ad rem considerandam a Iesu invitati erant (date illis vos manducare!): quare facile patet non solum Philippum suam aperuisse sententiam, sed alios quoque; immo, si malueris, dicas, quod aliis fere sufficere videbatur, a Philippo rem maturius considerante insufficiens existimari. Ita, ut fieri solet, re proposita variae proferuntur sententiae. Ex summa ducentorum denariorum (fr. 150 *Corl.* fr. 170 *Fil.*; 130-150 M. *Schz.*) collige pretium panis eo tempore; pascenda erant quinque millia virorum praeter mulieres et parvulos. Etiam aliud quod a synopticis obiter attingitur (Matth. 14,17 et Marc. 6,38 et Luc. 9,13) accuratius hic exponitur: v. 8 *dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri* cf. 1,40, v. 9 *est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces* ὀψάρια, proprie id quod praeter panem sumitur, opsonium, speciatim piscis; cf. 21,9 seq. *sed haec quid sunt inter tantos?* scil. pro tanta turba. Altero exemplo probatur discipulos de miraculo ne cogitasse quidem quamvis in missione ex qua modo reduces erant adeo potenter vim nominis Iesu experti sint patrantes miracula. Panis hordeaceus, coctus non ex frumento sed ex hordeo, pauperum cibus erat et vilior reputabatur: non enim iucunda res est, ait Seneca ep. 18, aqua et polenta et frustum hordeacei panis et Livius 27,13 refert: cohortibus quae signa amiserant hordeum dari iussit; imo Plinius h. n. 18,14: panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit; quadrupedumque fere cibus est (haec et plura vide apud Wetstenium ad h. l.).

Narrat Matth. 14,18 Christum dixisse: afferte mihi illos huc. Id apud alios et hic v. 11 aperte supponitur esse dictum: v. 10 *dixit ergo Iesus: facite homines discumbere*; « ac si enim mensa apparata esset iussit eos statim discumbere sicque mentem discipulorum erexit: cum autem ex interrogatione lucrati essent, statim paruerunt nec turbati sunt neque dixerunt: quid hoc est? cur discumbere iubes, cum nihil in medio appareat? sic antequam signum viderent credere coeperunt » (*Chr.*); ipsis igitur rebus, ut *Cyr.* ait, discipulos instruit; *erat autem foenum multum in loco*, χόρτος πολὺς gramen multum, viride scil. quod ad tempus i. e. ad mensem aprilem plane convenit; Marc. 6,39 ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ super viridem herbam; *discubuerunt ergo viri, numero*

quasi quinque millia, notant morem legis servari qua soli viri numerari solebant (Ex. 30,12. Num. 1,2; *Cyr. Theoph.*); v. 11 *accepit ergo Iesus panes, et cum gratias egisset distribuit discumbentibus, similiter et ex piscibus;* accipit in manus suas, ut se miraculi et multiplicationis auctorem ostendat; nam dum ipse panes accipit et multiplicat, in se esse eam virtutem clare designat (*Tol.*); gratias agit in quantum homo pro beneplacito divino quo tantum miraculum in salutem populi fieri decrevit, ex quo utilitas spiritualis et fidei incrementum in multos redundaret; *ipse distribuit*, ita ut in manibus eius panes illi quinque multiplicarentur, quos acceperunt discipuli et distribuerunt discumbentibus : « fregit ét dedit discipulis, discipuli autem turbis » (Matth. 14,19; unde simile quid exprimitur glossa inserta in v. 11; vide lect. var.); *quantum volebant;* multiplicatio igitur facta in manibus Christi et in manibus discipulorum distribuentium; datum singulis est ad perfectam refectionem, ut nihil amplius desiderarent; plene et perfecte cibati sunt (*Tol.*), uti decet divinam benignitatem et liberalitatem. Gratias agit, ut *Cyr.* ait, exemplum nobis praebens eius quae in nobis esse debet pietatis; vult enim nos erudire, prout *Cai.* censet, quod petitio futurorum ex gratitudine praeteritorum consurgere debet.

Quo illustrius et etiam magis ad oculos miraculum pateat animisque discipulorum ad augendam fidem inhaereat, v. 12 *ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis : colligite quae superaverunt fragmenta ne pereant;* v. 13 *collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum* fragmentis (scil. collectis) *ex quinque panibus hordeaceis quae superfuerunt his qui manducaverant;* discipulos, utpote futuros orbis doctores instituere volebat, id quod etiam patet quia postmodum ad eorum fidem exstimulandam iis hoc in memoriam revocat (Matth. 16,9. Marc. 8,19; cf. *Chr.*). Singuli apostoli cophinum fragmentis implent; « nec parva hinc damnatio Iudae fuit quod cophinum gestaret » (*Chr.*) et nihilominus iam fidem in Iesum abiecerat (cf. v. 71.72).

b) Iesus ambulat super aquas 6,14-21.

6,14. Illi ergo homines quum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum. 15. Iesus ergo, quum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. 17.

6,14. Οἱ οὖν ἄνθρωποι, ἰδόντες ὃ ἐποίησεν σημεῖα ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. 15. Ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν βασιλέα, ἀνεχώρησεν πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

16. Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο, κατέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν, 17. καὶ ἐμβάντες εἰς πλοῖον, ἤρχοντο πέραν τῆς

Et quum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum; et tenebrae iam factae erant; et non venerat ad eos Iesus. 18. Mare autem, vento magno flante, exsurgebat. 19. Quum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri, et timuerunt. 20. Ille autem dicit eis : Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim; et statim navis fuit ad terram in quam ibant.

θαλάσσης εἰς Καφαρναούμ. καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, καὶ οὔπω ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, 18. ἥ τε θάλασσα ἀνέμου μεγάλου πνέοντος διεγείρετο. 19. ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε ἢ τριάκοντα, θεωροῦσιν τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον· καὶ ἐφοβήθησαν. 20. ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς, Ἐγώ εἰμι· μὴ φοβεῖσθε. 21. ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως ἐγένετο τὸ πλοῖον ἐπὶ τῆς γῆς εἰς ἣν ὑπῆγον.

Sin habet v. 15 ita : et cogitabant ut raperent eum et facerent eum regem; Iesus autem sciens reliquit eos et discessit in montem ipse solus. In v. 15 φευγει א* a c ff² g l; pler tamen ανεχωρησεν, secessit b d e f q r. In v. 21 sin : et cum eum accepissent in navem, statim (in momento) navis erat in terra ad quam tendebant.

Populus exspectatione et notione regni Messiae temporalis imbutus pro temporis illius indole et conditione (cf. Ps. salom. 17 et quae notavi in Comment. Matth. I p. 10 seq.) Iesum vi vult abducere in urbem eumque regem constituere, ut scil. Romanos expellat et regnum David resuscitet. Et primo quidem vere ex tali miraculo concludunt Iesum esse Messiam vel ut illi concipiunt magnum illum prophetam qui exspectabatur v. 14 *illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant : quia hic est vere propheta,* vere; proin fama haec et opinio de Iesu iam erat sparsa eamque experti eius potentiam confirmant, *qui venturus est in mundum;* cf. 1,21. Verum mox alii monent prophetam adeo potentem plane aptum esse qui rex Israel constitutus gloriam nominis Israel revocaret Romanorum iugo abiecto; v. 15 *Iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum,* vi abducerent in urbem, ubi scil. tempore paschali ingens Iudaeorum multitudo adesset adeoque ex eorum opinione optima regni constituendi opportunitas, *et facerent eum regem,* ut scil. in sollemnitate illa qua liberatio a iugo Aegyptiorum celebrabatur, alteram liberationem efficeret, *fugit iterum* ἀνεχώρησεν secessit iterum tamquam in locum tutiorem, iterum scil. sicut v. 3, *in montem,* ex quo, uti per se patet, in locum aliquem planiorem regionis illius descenderat ad docendum et sanandum; *ipse solus;* nam ne discipuli quoque studio et furore illo populi corriperentur, statim coegerat eos ascendere naviculam, ut praecederent se trans fretum ad Bethsaidam prope Capharnaum (cf. Matth. 14,22, Marc. 6,45). Iesus autem in solitudine montis orationi vacabat; abiit in montem orare (Marc. 6,46).

De cibanda multitudine cogitatum est ex synopticis vespere facto,

cum iam hora multa fieret, cum dies coepisset declinare (Matth. 14,15, Marc. 6,35, Luc. 9,12). Quare v. 16 *ut autem sero factum est* ὀψία scil. ὥρα hora serotina, *descenderunt discipuli eius ad mare* scil. compulsi a Domino, uti Matth. et Marc. referunt; ὀψία notionem habet latiorem; ea enim voce Matth. 14,15 tempus designatur quo de cibanda turba cogitatur, sed hoc loco tempus quo dimittuntur discipuli, imo Marc. 6,47 tempus quo discipuli iam sunt in medio mari navigantes; v. 17 *et cum ascendissent navim, venerunt,* ἤρχοντο veniebant, ibant, iter direxerunt (*Tol. Cai. Ians. Schz.*) *trans mare in Capharnaum et tenebrae iam factae erant et non venerat ad eos Iesus,* οὔπω nondum venerat; v. 18 *mare autem vento magno flante exsurgebat;* navicula iactabatur fluctibus et discipuli laborabant in remigando, quia ventus erat contrarius, uti Matth. Marc. l. c. refertur. Quo vento contrario parum progressi sunt neque rectum in Bethsaidam prope Capharnaum, ergo breviter in Capharnaum iter tenere poterant, inde factum ut tandem in regione Genesar appellerent (Matth. 14,34. Marc. 6,53). Verum antea, circa quartam vigiliam noctis quae ab hora 3 matutina ad horam 6, ad ortum solis computatur, venit ad eos Iesus ambulans super aquam v. 19 *cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta,* lacus quadraginta stadia latus est et centum stadia longus (*Iosephus,* Bell. iud. 3,10,7); sed cum vento contrario iter rectum tenere non possent, frustra ex incerta illa aestimatione quaeritur qua in lacus parte fuerint. Stadium est octava pars milliarii romani, via seu spatium longitudinis eiusdem i. e. 125 passuum romanorum (25-30 stadia = 4 $\frac{1}{2}$ — 5 $\frac{1}{2}$ kilomet.); *vident Iesum ambulantem supra mare et proximum navi fieri et timuerunt;* putabant enim esse phantasma, spectrum et prae timore clamaverunt (Matth. 14,26, Marc. 6,49); vident scil. aliquam figuram in nocte subobscura vel lunae splendore clara ambulantem ad se super undas, quo aspectu insolito terrentur. Timorem sedat Iesus v. 20 *ille autem dicit eis : ego sum, nolite timere* et quod dixit, in eis quoque effecit, id quod prae aliis in Petro demonstratur, qui statim petit : Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas (Matth. 14,28 etc.).

Christus ascendit in navim et ventus cessavit (Matth. Marc.); v. 21 *voluerunt ergo accipere eum in navim,* ἤθελον λαβεῖν de se potest habere notionem solius actus voluntatis : volebant, parati erant, desiderabant, sed etiam : libenter eum accipiebant; pro qua altera acceptione vide exempla profanorum apud *Winer* 54,3 qui usus etiam cernitur Marc. 12,38 qui volunt in stolis ambulare, id facere amant et Luc. 20,46. Utra significatio hic seligenda sit, dubium esse nequit, cum ex narratione synopticorum pateat Christum in navem ascen-

disse[1]; quare sin simpliciter habet : et acceperunt eum in navim; et vento contrario cessante *et statim navis fuit ad terram ad quam ibant;* nota non dici eos appulisse ad Capharnaum, ad quam urbem initio iter dirigebant v. 17, sed ad regionem ad quam ibant scil. vento contrario aliquantum a recto itinere aversi; quare haec narratio concordat cum Matth. 14,34 et Marc. 6,53 eos venisse et applicuisse in terra seu regione Genesar (vide ad Matth. l. c.).

c) Sermo de pane vitae 6,22-47.

6,22. Altera die, turba quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent. 23. Aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino. 24. Quum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum. 25. Et quum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Iesus et dixit : Amen, amen dico vobis : quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei?

29. Respondit Iesus et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de coelo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Iesus : Amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de coelo, sed Pater meus dat vobis panem

6,22. Τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης, εἶδον ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ εἰ μὴ ἕν, καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ πλοῖον ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον, 23. ἄλλα ἦλθεν πλοῖα ἐκ Τιβεριάδος ἐγγὺς τοῦ τόπου ὅπου ἔφαγον τὸν ἄρτον, εὐχαριστήσαντος τοῦ Κυρίου· 24. ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐνέβησαν αὐτοὶ εἰς τὰ πλοιάρια καὶ ἦλθον εἰς Καφαρναοὺμ, ζητοῦντες τὸν Ἰησοῦν. 25. καὶ εὑρόντες αὐτὸν πέραν τῆς θαλάσσης, εἶπον αὐτῷ, Ῥαββεί, πότε ὧδε γέγονας; 26. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ζητεῖτέ με, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ᾽ ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων καὶ ἐχορτάσθητε. 27. ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει· τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ Θεός.

28. εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν, Τί ποιῶμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ;

29. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τοῦτό ἐστιν τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. 30. εἶπον οὖν αὐτῷ, Τί οὖν ποιεῖς σὺ σημεῖον, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; τί ἐργάζῃ; 31. οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθώς ἐστιν γεγραμμένον, Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν. 32. εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Οὐ Μωυσῆς ἔδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· ἀλλ᾽ ὁ πατήρ μου

1. Insuper attende evangelistam saepius uti voce velle, quamvis non propositum, sed rem factam esse designet; ita 1,43; 5,35; 7,17; 8,44 (*Patr.*).

de coelo verum. 33. Panis enim Dei est
qui de coelo descendit, et dat vitam
mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum : Domine,
semper da nobis panem hunc. 35. Dixit
autem eis Iesus : Ego sum panis vitae;
qui venit ad me, non esuriet, et qui cre-
dit in me, non sitiet unquam. 36. Sed
dixi vobis, quia et vidistis me, et non
creditis. 37. Omne, quod dat mihi Pater,
ad me veniet; et eum, qui venit ad me,
non eiiciam foras : 38. Quia descendi de
coelo, non ut faciam voluntatem meam,
sed voluntatem eius qui misit me. 39.
Haec est autem voluntas eius qui misit
me Patris, ut omne, quod dedit mihi,
non perdam ex eo, sed resuscitem illud
in novissimo die. 40. Haec est autem
voluntas Patris mei, qui misit me : ut
omnis qui videt Filium, et credit in eum,
habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo
eum in novissimo die.

41. Murmurabant ergo Iudaei de illo,
quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui
de cœlo descendi;

42. Et dicebant : Nonne hic est Iesus
filius Ioseph, cuius nos novimus patrem
et matrem? Quomodo ergo dicit hic :
Quia de coelo descendi? 43. Respondit
ergo Iesus et dixit eis : Nolite murmu-
rare in invicem : 44. Nemo potest venire
ad me, nisi Pater, qui misit me, traxe-
rit eum; et ego resuscitabo eum in no-
vissimo die.

45. Est scriptum in prophetis : Et
erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui
audivit a Patre, et didicit, venit ad
me. 46. Non quia Patrem vidit quis-
quam, nisi is qui est a Deo, hic vidit
Patrem.

47. Amen, amen dico vobis : qui cre-
dit in me, habet vitam aeternam.

δίδωσιν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν
ἀληθινόν. 33. ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ Θεοῦ ἐστὶν
ὁ καταϐαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ζωὴν
διδοὺς τῷ κόσμῳ.

34. Εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν, Κύριε, πάν-
τοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. 35. εἶπεν
αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς
ζωῆς· ὁ ἐρχόμενος πρὸς ἐμὲ οὐ μὴ πεινάσῃ,
καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσει πώ-
ποτε. 36. ἀλλ' εἶπον ὑμῖν ὅτι καὶ ἑωρά-
κατέ με, καὶ οὐ πιστεύετε. 37. πᾶν ὃ δίδω-
σίν μοι ὁ πατὴρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει· καὶ τὸν
ἐρχόμενον πρός με οὐ μὴ ἐκϐάλω ἔξω. 38.
ὅτι καταϐέϐηκα ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα
ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα
τοῦ πέμψαντός με. 39. τοῦτο δέ ἐστιν τὸ
θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶν ὃ δέδω-
κέν μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀνα-
στήσω αὐτὸ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. 40. τοῦτο
γάρ ἐστιν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, ἵνα
πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐ-
τὸν ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον, καὶ ἀναστήσω αὐτὸν
ἐγὼ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

41. Ἐγόγγυζον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι περὶ αὐ-
τοῦ, ὅτι εἶπεν, Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ κατα-
ϐὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ·

42. Καὶ ἔλεγον, Οὐχὶ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς
ὁ υἱὸς Ἰωσὴφ, οὗ ἡμεῖς οἴδαμεν τὸν πατέρα
καὶ τὴν μητέρα; πῶς νῦν λέγει ὅτι ἐκ τοῦ
οὐρανοῦ καταϐέϐηκα; 43. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς
καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλή-
λων. 44. οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρὸς ἐμὲ, ἐὰν
μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτὸν, κἀγὼ
ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

45. ἔστιν γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις,
Καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ Θεοῦ. πᾶς ὁ
ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν, ἔρχε-
ται πρὸς ἐμέ. 46. οὐχ ὅτι τὸν πατέρα ἑώρα-
κέν τις, εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ Θεοῦ, οὗτος ἑώρα-
κεν τὸν πατέρα.

47. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ὁ πιστεύων
(εἰς ἐμὲ) ἔχει ζωὴν αἰώνιον.

In v. 22 add Γ Δ Λ unc 9 al pler ει μη εν εκεινο εις ο ενεϐησαν οι μαθηται αυτου (sim ℵ* D) in quam ascenderant discipuli Iesu a d e; sim Chr Cyr. In v. 23 fere omnes cod vulg (exceptis ger vul) etiam sixt habent gratias agentes Domino; neque tamen syr hier (ut Ti vult) eam habet lectionem. In v. 32 sin om quid operaris. In v. 32 ox panem vivum; sin om dixit ergo eis Iesus. In v. 34 sin da nobis semper de hoc pane. In v. 36 om με me ℵ A eg gat a b e q sin Ti. In v. 39 add πατρος Γ Δ Λ Π unc 8 al pler

a c vulg arm aeth Cyr Aug; sin add ad finem v. 38 et in v. 39 solum habet : hoc (est), ut de omni etc.; αυτον E G H S V Γ Δ Λ al plu; illum a b e f q r codd plur; illud car ing wil corp c d ff². In v. 40 γαρ codd longe pler; *enim* codd vulg; praebent *autem* hent sixt; του πατρος sine add ℵ BCDLTU al 10 a b d e q sah cop syr (cu, utr) arm aeth Ath Chr Nonn Tert Hil Victorin; sin quia haec est voluntas eius, ut credens in Filium habeat etc. In v. 42 om ℵ* b sin et matrem; item cu. In v. 45 sin et didicit ab eo, et in fine v. 46 vidit Deum Patrem. In v. 47 ο πιστευων sine addit ℵ B L T, cu sin qui credit in Deum habet vitam.

Turba noctem egit ibi, ubi Iesus eis panem dederat; v. 22 *altera die turba quae stabat trans mare* πέραν ratione scil. habita regionis modo in v. 21 nominatae *vidit* εἶδον animadverterunt, cognoverunt *quia navicula alia non erat ibi nisi una* navem non aliam *heri vespere* ibi fuisse nisi unam — ita verba esse concipienda re ipsa suadetur, quamvis in modo narrandi non clare efferatur — *et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent;* unde Iesum adhuc esse in litore orientali lacus existimabant et eum quaerebant, uti ex v. 24 consequitur. Dum ita occupati erant, v. 23 *aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum ubi manducaverant panem gratias agente Domino;* ea itaque opportunitate usi sunt ut quia Iesum iam non eo in loco invenerunt reverterentur Capharnaum v. 24 *cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi neque discipuli eius, ascenderunt in naviculas,* quae modo a Tiberiade advenerant, *et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum;* eo enim tempore Iesus saepius versabatur in Capharnaum (cf. Luc. 8,40), unde merito eum ibi quaerunt; erat enim Capharnaum eius civitas (Matth. 9,1) in quam ex variis per Galilaeam itineribus reverti solebat.

Et postquam transfretarunt, mox eum inveniunt; v. 25 *et cum invenissent eum trans mare*, non dicitur eum statim in Capharnaum esse inventum, id quod bene congruit cum Matth. 14,34 et Marc. 6,53; mox utique se contulit sequente turba in urbem, in cuius synagoga sermonem habet de pane vitae; *dixerunt ei : rabbi quando huc venisti?* quaestio haec ex admiratione (*Bon.*) et nativa quadam simplicitate fit; vespere enim eum sciunt non navi abiisse; mane non eum viderant pedestrem iter agere; ergo mirantur, quando tandem potuerit eo venire. Simul quaestio habet aliquid familiaritatis. Veteres quidem haud raro in eos invehuntur, quia quaestionem stultam, frivolam posuissent, cum multo graviora et meliora a Iesu petere oportuisset (cf. *Chr. Cyr.*); sed quis non videt ex narratione eos merito miratos esse? cui admirationi ipsa natura duce talis congruit quaestio. Urgent illi, Christum non respondisse quaestioni, ergo ipsam reprehendisse ut se plane indignam. Christus utique ad alia sermonem convertit; miraculum am-

bulationis super mare pro suis patravit discipulis; id igitur turbis noluit explicare; en ratio cur non ad quaestionem respondeat; v. 26 *respondit eis Iesus et dixit: amen, amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis;* quomodo hoc, cum tamen eum secuti sint quia videbant signa (v. 2)? bene notat *Bon.*: non quia vidistis signa quae feci, ut per signa veniatis ad fidem; et ita nihil spirituale quaeritis, sed carnale; voluit enim Christus dicere in illis ipsis miraculis non quaerere eos quod spiritale, sed quod carnale erat, non fructum animae, sed corporis (*Mald.*) eos proinde in signis non id cognoscere quod cognoscere debebant, scil. Christo Dei legato esse credendum ideoque eum esse sequendum et quaerendum (cf. *Tol. Ians. Schz.*). Et merito id illis exprobrari, iam mox v. 30 exemplo illustratur.

Quae sequuntur, videntur iam ex sermone esse quem Iesus in synagoga urbis Capharnaum habebat, cui sermoni intererant et ex iis qui manducaverant panem illum miraculo datum et aliqui ex nobilioribus, scribis vel pharisaeis; hos enim Iudaeos appellare solet evangelista noster (cf. v. 41). Per se patet neque quinque millia naviculis illis v. 23 transfretasse neque multitudinem eam omnem in synagoga sermoni interfuisse. Uti in colloquio cum Samaritana, Iesus opportunitatem captat rem sensibilem transferendi ad rem spiritualem v. 27 *operamini* ἐργάζεσθε, date operam ut adipiscamini, laborate ut comparetis vobis *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam quem Filius hominis dabit vobis;* operam igitur et laborem huc impendite non ut assequamini cibum pereuntem, qui ipsa sumptione perit (cf. Matth. 15, 17. Marc. 7,19) neque talem cibum quaerite me sequentes; verum operam conferte in cibum permanentem. Dicit *operamini*, ut ad similitudinem. cibi corporalis qui operando acquiritur, loqueretur de cibo animae ac significaret labore, cura, opera nostra opus esse (*Ians.*); dicit *dabit*, cum vos opus eo cibo dignum operati fueritis (*Rup.*) et ne putaremus nos posse per nosmetipsos operando illum cibum permanentem acquirere, subiungit proprium possessorem simulque largitorem cibi permanentis, ut intelligamus non aliunde posse nos cibum hunc acquirere nisi ex dono Filii hominis (*Cai.*). Iam quis sit cibus hic permanens in vitam aeternam, qui prosit et perducat ad vitam aeternam eamque efficiat et perenniter satiet, varie concipitur: opera bona (*Chr.*), fidem (*Euth.*), verbum Dei (*Alb. Bon.*), eucharistiam (*Theoph. Corl.*), Christum (*Aug.*), verum et bonum (*Cai.*), Deum vel bona spiritualia (*Thom.*) intelligi dicunt et quam maxime universaliter *Mald.* explicat de rebus omnibus quibus vita aeterna parari possit. Neque video cur ad unum restringatur cibus. Nam sicut cibus omne id dici potest quod

corpus nutrit, ita cibus animae manens et valens in vitam aeternam est omne id quo anima iuvatur, nutritur, confortatur ad vitam supernaturalem. Proinde Christus idem dicit quod alibi : quaerite regnum Dei et iustitiam eius. Merito quoque dicitur *dabit;* nam tunc Iesus nondum omnia dederat vel instituerat quibus ad vitam aeternam enutriendi simus. Et ex voce *dabit* non sequitur (quod *Corl.* vult) de una eucharistia cibum hunc esse intelligendum.

« Non erit mihi difficile cibum vobis dare qui alit in vitam aeternam, cibum permanentem qui ad vitam et delicias conducit sempiternas; nam etsi tamquam unus vestrum appaream, homo scil. cum carne, unctus sum tamen et signatus a Deo Patre in omnimodam similitudinem cum ipso » (*Cyr.*); *hunc enim Pater signavit Deus* i. e. sigillo impresso, quasi notavit; aliis verbis : testimonio Patris confirmatus est et miracula sunt sigillum hoc quo Pater ei auctoritatem conciliat, a Deo declaratus est ut talis qualem se esse profitetur. Nota cum emphasi efferri et Patrem et Deum declarasse et testatum esse; de voce cf. 3,33 et compara signaculi notionem Rom. 4,11 et praesertim 1 Cor. 9,2: signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. Quaerunt, ut edoceantur, quibusnam opus sit ad cibum illum acquirendum v. 28 *dixerunt ergo ad eum : quid faciemus ut operemur opera Dei?* opera quae Deus exigit; nam assueti operibus legis, iudaico more de eiusmodi praestationibus cogitant quae praeter illa Deus ab illis assumi vult (*Ians. Mald.*), ut cibum illum manentem adipiscantur. Quaestio haec sua quasi sponte e verbis Christi enascitur, neque verba simplicia produnt arrogantiam vel gulam, quorum vitiorum veteres quandoque eos hic accusant (cf. *Chr. Cyr. Euth.*). Adverte insuper eos a Christo non redargui, sed edoceri; ergo non interrogarunt mente perversa.

Quale sit opus illud quod Deus ab eis exigat ad acquirendum cibum permanentem iam docet Christus v. 29 *respondit Iesus et dixit eis : hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille,* en, non opera illa legalibus similia vel superaddita postulat; unum exigit, ut fidem adhibeatis legato suo, proinde ea quoque faciatis quae ille mandabit. Et probe quidem intelligunt Iesum de se loqui, se esse quem Pater signaverit Deus, quem miserit; at simul ostendunt quam vere dixerit Iesus : quaeritis me; non quia vidistis signa, neque enim percipiunt quid signis illis clare indicetur; unde v. 30 *dixerunt ergo ei : quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi?* non sufficere aiunt quae eousque viderint; iis non effici, ut agnoscatur Messias. Nam id noluit facere quod secundum eorum opinionem eum declarasset Messiam, scil. se regem constituere hostesque expellere (v. 14. 15); cum itaque tamen velit haberi Messias et postulet ut sibi plane in

omnibus obediatur utpote a Deo misso et approbato, novum exquirunt signum et in illo *quid ergo tu facis* σὺ ποιεῖς iam cernitur postulatio, ut simili vel potiore modo quam Moyses fecit suam missionem stupendo miraculo turbis persuadeat. Et cum eos adhortatus esset : operamini, non sine quadam acrimonia ipsi ex sua parte oggerunt : *quid operaris?* Iam apparet eorum animus : non vult se exhibere talem qualem illi volunt Messiam, ergo eum agnoscere renuunt.

Insuper audierunt Iesum quid multo sublimius promisisse, se daturum cibum permanentem in vitam aeternam, non cibum qui pereat; proinde « talem se dicebat ut Moysi se praeponeret; nunquam enim ausus est Moyses de se dicere quod daret cibum non qui perit sed qui permanet in vitam aeternam; aliquid plus iste promittebat quam Moyses » (*Aug.* sim. *Bed. Thom. Cai. Tol.*); maiorem itaque Moyse dignitatem sibi attribuit (*Cyr.*), ad quam probandam non edidisse dicunt signum efficax, quod comparari posset signo Moysi; unde inferunt obiicientes et demonstrantes maius quid a Moyse esse praestitum v. 31 *patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : panem de coelo dedit eis manducare;* cf. Ex. 16,4 ecce ego pluam vobis panem de coelo, Ps. 77,24 panem coeli dedit eis; Sap. 16,20; dicitur panis de coelo, nam cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter et man (Num. 11,9). Proin ex aere i. e. coelo aerio descendere concipiebatur; unde coelum eo sensu dicitur sicut v. g. volucres coeli. Dicunt itaque : quod tu de quinque panibus hordeaceis quinque millia semel satiasti, hoc valde parum est ad hoc ut credamus tibi; multo maius Moyses fecit; patres manducaverunt manna coelitus datum, cibum multo meliorem pane hordeaceo, non semel, sed per multos annos et non quinque millia solum, verum sexcenta millia pugnatorum (cf. *Rup. Alb. Thom. Ians. Tol.*). Proin obiiciunt Iesu : tu tibi maiorem attribuis dignitatem, multo sublimiora promittens vis ut tibi credatur, et multo minus eousque fecisti; quod ergo signum ostendis nobis, ut credamus?

Cum verba Scripturae recitentur, interlocutores iam non censendi erunt ex turba plebis, sed Iudaei i. e. scribae vel pharisaei. Iesus qui testimonio baptistae sollemniter est declaratus Messias et qui tot iam omnis generis signa ediderat non respondet petentibus signa (cf. Matth. 16,2-4, Luc. 12,56), verum ostendit quod ipsi magnifice extollunt nequaquam esse illud donum coeleste quod Deus dare constituit v. 32 *dixit ergo eis Iesus : amen, amen dico vobis : non Moyses dedit vobis panem de coelo* i. e. panem coelestem, panem revera venientem de coelo, *sed Pater meus dat vobis panem de coelo verum* τὸν ἀληθινόν cum emphasi in fine ponitur, qui panis scil. de coelo, coelestis est ita ut

veram naturam et indolem habeat quae ei nomini conveniat, qui revera descendat de coelo, de throno Dei ideoque vere sit panis divinus, qui vere ad vitam aeternam reficiat (*Alb.*). Verum itaque panem nominat de coelo, ut opponat alteri imperfecto, qui valde improprie de coelo dicitur (*Ians.*); hic *vere* est de coelo, manna solum typus erat (*Chr. Euth.*). Et talem panem verum non dedisse Moysen probat ex ipsa descriptione panis veri et divini v. 33 *panis enim Dei est qui de coelo descendit et dat vitam mundo* ὁ καταβαίνων est subiectum grammaticale : panis de coelo descendens... est panis Dei; proin ut vere sit panis Dei, quem Deus dat, requiritur ut de coelo, de throno Dei descendat et vitam det *mundo,* non uni genti, et vitam non temporalem, sed spiritualem aeternam. Hisce itaque quam maxime distinguitur a manna (cf. *Euth. Tol. Ians. Cai. Mald.*).

« Quomodo mulier samaritana illa, cui dictum est : qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam, continuo illa secundum corpus accipiens, sed tamen carere indigentia volens, da mihi, inquit, Domine, de hac aqua, sic et isti » (*Aug. Bed. Bon. Cai. Ians. Tol.* etc.) v. 34 *dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc;* intellexerunt ergo ex v. 32 Deum daturum panem illum per Iesum vel saltem id indicari a Iesu. Quare statim postulant ut det talem panem semper et profitentur ea largitione se velle agnoscere signum illud; quare expetunt ut det panem talem, quae sit optima opportunitas, qua ipsi videant et credant (v. 30). Hoc igitur experimentum de Iesu capere volunt. Iam Iesus declarat panem illum Dei iam illis praesto esse v. 35 *dixit autem eis Iesus : ego sum panis vitae;* proin se esse panem de coelo verum, panem illum Dei v. 32. 33 qui vitam det mundo, *qui venit ad me non esuriet et qui credit in me non sitiet unquam;* venire ad eum est credere in eum; talis possidet fontem omnis boni; proin non iam esuriet neque sitiet; habet eum qui omne desiderium satiet, omnem expleat indigentiam (cf. 4,13. 14), in quem itaque omni desiderio fertur et a quo continuo bona accipit et novo gaudio percipit; quare ex altera parte etiam verum est quod habetur Eccli. 24,29 qui edunt me adhuc esurient et qui bibunt me adhuc sitient.

Sed Iudaeis hac Christi declaratione minime satisfactum est; non habent quod v. 30 postularunt; Christus propterea iis repetit quod iam v. 26 insinuaverat v. 36 *sed dixi vobis, quia et vidistis me et non creditis,* referri hoc *dixi* ad v. 26 merito censent *Rup. Bon. Ians. Bar. Patr. Corl. Schg. Schz. Fil.;* viderunt signa, *vidistis me* i. e. tali visione qua ex factis ipsis et doctrina eius satis advertebant et advertere debebant eum esse fide dignum et a Deo missum (*Ians.*). Iterato eis exprobrat animi contumaciam. Illud *dixi.* alii referunt ad verba

Christi quae non sint scripta (*Tol. Lap.*); nam saepius tale quid adverti notat *Tol.* et remittit ad 11,28. 40; *Cyr.* illud dictum esse Is. 6; immo fuit qui folium interisse putaret in quo illud scriptum erat (*Ewald.*). — Panem de coelo desiderant, ante se habent et non manducant (*Aug.*); « an putatis quod panis iste verus frustra de coelo descenderit, nisi vos illum comederitis... non est ita, sed implebit mihi Pater domum hoc pane saturari cupientium » (*Rup.*) v. 37 *omne quod dat mihi Pater ad me veniet,* exponit itaque qui futuri sint in eum credentes et quamvis illi non credant non tamen defuturos qui credant; simul indicat causam cur illi non credant (*Ians.*), illos scil. incurrisse iram divinam et non esse inter eos quos Deus Pater diligens adducat ad Filium (*Cyr. Theoph. Bon. Schz.*); proin se fecerunt indignos quos Pater det et vocet ad Filium (*Tol.*). Cum itaque tales esse dicat qui non credunt, illis terrorem minis propositis incutit fore scil. ut a Deo abiiciantur nisi credant. Simul ostendit quomodo fides acquiratur (*Thom.*); videre signa non sufficit; credere est ex dono Dei; « hoc ei imputatur qui non venit, quia impedimentum praestat quod non veniat, avertens se a salute, cuius via quantum in se est, omnibus est aperta » (*Thom.*). Illud *omne* exactius universalitatem significat, omnem scil. sexus, status, conditionis, nationis differentiam (*Tol. Ians.*).

Et quanta cura et benignitate Iesus eos foveat qui credunt exponit *et eum qui venit ad me non eiiciam foras,* οὐ μὴ certe non; foras cf. Matth. 22,13; apud me in meo regno retinebo; « generaliter omnia bona quae fidelibus dantur significat, dum dicit : non eiiciam foras, quia mihi unietur per gratiam, admittetur in meam tutelam, participabit meum cibum, erit de domo mea » (*Tol.*). Deus quippe neminem deserit, nisi ipse prius ab homine deseratur. « Deus enim, nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet » (Tridentinum 6,13). Et quanto studio id praestet explicat ex conformitate suae voluntatis cum Dei voluntate v. 38 *quia descendi de coelo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me;* cf. 4,34; v. 39 *haec est autem voluntas eius qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die,* scil. ad resurrectionem vitae; cf. 5,29. Meminit autem resurrectionis, tum quod in ea demum habetur electorum consummatio et vita ex omni parte beata, tum ut occurrat ei quod quis cogitare posset, quomodo dicat nihil perire eorum quae pater illi dedit et vitam aeternam credentibus promittat, cum illi tamen nihilominus moriantur (*Ians.*).

Explicat porro qui sint a Patre dati et quid sit non perdere ex eo v. 40 *haec est autem* (*enim*) *voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis*

qui videt Filium et credit in eum habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die, non est enim aliud nomen datum hominibus in quo nos oporteat salvos fieri, nisi nomen Iesu (cf. Act. 4,12). Dicit *qui videt* visione corporali, propter eos qui tunc eum videbant in habitu humano et humili, quibus tamen fides in eum praecipitur, ex qua habituri sunt vitam aeternam. Legendum esse *haec est enim*, vide lect. var.; dicitur ὁ θεωρῶν « quod non simpliciter videre, sed considerare, contemplari, pervidere significat; significatur enim ipsum videre Filium non esse causam fidei, sed probe illum et quae illius sunt considerare et contemplari; hoc demum ad fidem adducit » (*Ians.*). Unde aperte docet illos qui non credunt voluntati Patris reluctari neque eis spem esse posse vitae beatae.

Et eiusmodi oblocutores se praebent Iudaei v. 41 *murmurabant ergo Iudaei* i. e. pharisaei, adversarii Christi qui etiam in Galilaeam eum secuti et persecuti sunt (cf. Marc. 2,16, Luc. 5,17) *de illo* περὶ αὐτοῦ, de Iesu, *quia dixisset : ego sum panis vivus qui de coelo descendi* ὁ ἄρτος ὁ καταβάς cf. v. 33. 35. 38; maxime vero offenduntur quia de coelo se descendisse dixit, nam hoc revera est primum ac palmare; si enim de coelo descendit, facile patet et necessario consequitur eum esse largitorem donorum coelestium a Deo missum; proin panem vitae vero aliquo sensu. Unde v. 42 *et dicebant : nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem?* loquuntur ut Nazarethani (Matth. 13, 55; Marc. 6,3), nolentes agnoscere missionem eius divinam, quae sola iam sufficere poterat ad offensionem removendam, si eam candide agnoscere voluissent tot signis confirmatam; porro cum Iesus adeo constanter Deum vocet Patrem suum, etiam erat, cur illa locutione non offenderentur neque humanam originem ei obstare putarent. Apposite notat *Schz.* ex mentione Ioseph non sequi eum tum etiam fuisse superstitem; dicunt enim nihil aliud nisi se probe nosse familiam ex qua ortus sit; putabatur enim filius Ioseph (Luc. 3,23) ex opinione vulgari; *quomodo ergo dicit hic : quia de coelo descendi?* « fallitur eorum animus terrena tantum spectando... sed si scripta mosaica mente revolvamus, paternam veluti quandam Iudaeorum hereditatem esse comperiemus de optimis ac praestantissimis quibusque murmurare » (*Cyr.*).

Cum ita essent animi affecti, inutile fuisset iis explicare mysterium Incarnationis; aliud illis in mentem revocat v. 43 *respondit ergo Iesus et dixit eis : nolite murmurare in invicem,* μετὰ ἀλ. inter vos; v. 44 *nemo potest venire ad me*, mihi credere *nisi Pater qui misit me traxerit eum;* cf. v. 37; eis iterum dicit et perpendendum proponit quantopere alieni sint a Deo in quo se fidere protestantur; si essent revera populus Dei, Iesu crederent. Unde illis dicit : nolite murmurare quasi rem falsam

et incredibilem ego pronuntiaverim; si enim non capitis verba mea, non ideo vera non sunt, sed quod non habetis in vobis lumen illud divinum quod necessarium est ad veniendum ad me. Proinde eis insinuat eos debere potius lumen a Deo petere quam murmurare, et declarat fidem non esse adscribendam solis liberi abitrii viribus et simul eos terret quasi destitutos paterno et divino lumine (*Tol.*). Causa itaque murmurationis eorum est infidelitas (*Thom.*) et *Bon.* ita nexum adstruit: ratio quare non debent murmurare est quia Christum non intelligunt; non intelligunt quia non credunt, non credunt quia non eis est a Patre datum. Itaque clare iis indicat in eorum infidelitate agnosci debere documentum quod Deus eos deserat et abiiciat. Unde *Cyr.* infert: « hic autem nihil aliud rursus agebat quam ut persuaderet fletu et acerbissimo dolore eorum quae deliquerant veniam quaerere, rogare, ut ad salutem per fidem in Christum quodammodo pertrahantur, consilio Patris et auxilio divino iter eis planum ac facile reddente, quod ipsi peccando immodice exasperaverant ».

Fidem igitur esse donum Dei docet, opus esse gratia interna, qua homo trahatur. « Noli te cogitare invitum trahi... est quaedam voluptas cordis, cui panis dulcis est coelestis ille. Porro si poetae dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio, quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita quod totum Christus est » (*Aug.*)? Et ideo additur: *et ego resuscitabo eum in novissimo die*, quo iterum declarat, in fide ad quam gratia opus est totam hominis salutem et beatam aeternitatem collocari; proinde nisi tracti fuerint a Patre, ut veniant ad Iesum, nullam illis relinqui spem. Num carent forsitan culpa, quia non trahuntur a Deo ad fidem? respondet *Thom.*: « Deus omnibus ad trahendum manum porrigit quantum in se est; ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam et ad se trahere, non imputatur ei si quis non accipiat, sed ei qui non accipit » et, ut *Mald.* dicit, cur unus trahatur alius non, « certe probabilior et magis expedita responsio est hunc trahi, illum non trahi, quia hic trahentem Deum sequi voluit, ille noluit; quod ipse d. *Aug.* de duobus, Pharaone et Nabuchodonosor, coactus est confiteri: quantum ad naturam ambo homines erant, ambo captivum populum Dei possidentes, quantum ad poenam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in recordatione propriae iniquitatis ingemuit; alter libero contra misericordissimam Dei veritatem pugnavit arbitrio (de praedest. et gratia cap. 15). Cur ergo de omnibus non dicamus, quod ille de duobus dixit »?

Quodsi non trahantur, iam non pertinere ad eos quos Deus in regno suo habet adscriptos declarat et simul explicat quid sit trahi v. **45** *est scriptum in prophetis*, in volumine prophetarum : *et erunt omnes docibiles Dei* διδακτοὶ Θεοῦ docti, instituti a Deo, auctore Deo; cf. Is. 54,13 et similiter Ier. 31,33; uterque locus tempus describit messianum; si itaque illi nolunt se doceri a Deo, eo ipso excluduntur a regno messiano; quare continetur in verbis Christi etiam illud : auferetur a vobis regnum Dei. Dein quid sit esse doctum a Deo (i. e. trahi a Deo) exponit : *omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me;* « duo ponit; unum quod pertinet ad donum Dei, audivit a Patre docente et manifestante, aliud quod pertinet ad liberum arbitrium, et didicit praebendo assensum » (*Thom.*). Audire itaque est invitationem ad fidem percipere, quae fit praedicatione, interna illustratione mentis et inspiratione per gratiam; discere est huic invitationi obsequi. Consulto duo ponuntur, quia multi audiunt neque tamen discunt; discere enim est credere (*Mald.*). Utrumque fit adiutorio gratiae; utrumque donum Dei est; nam liberum quoque arbitrium debet iuvari gratia ad consensum praebendum. Dein « ne sensibile quidpiam de Deo suspicentur, subiungit » (*Chr.*) v. **46** *non quia Patrem vidit quisquam* οὐχ ὅτι i. e. οὐ λέγω ὅτι; a Deo audire non est intelligendum ac si quis auribus corporis vocem Dei audiret. Uti Deus ab homine non videtur, ita quoque auribus non auditur, unus videt Deum a quo itaque omnes doceri possunt : *nisi is qui est a Deo* παρὰ τ. θ. i. e. κατὰ τρόπον τῆς οὐσίας *Chr.* a Patre genitus, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός *Cyr.*, ita *Theoph. Euth. Rup. Alb. Bon. Cai. Ians. Tol. Mald. Lap. Schg. Schz.;* pariter in cat. Cr. et Ammonius et Theod. her. in cat. Corderii; *hic vidit Patrem* ἑώρακεν i. e. vidit et videt continuo; attende scil. notionem temporis perfecti, quo id quoque designatur quod ex actione facta consequitur et permanet (cf. *Winer* 40,4; *Krüger* 53,3,2). De cognitione aliorum adhibetur verbum auditus, de cognitione Filii verbum visus; nam cognitio quae est per visum est immediata et aperta, ea vero quae est per auditum fit mediante eo qui vidit (*Thom.*). Hisce v. 43-46 respondet ad murmurationem eorum inter se, qua sermo eius interrumpebatur. Nunc redit ad argumentum de quo supra egerat illudque et repetit et mox nova ratione expolit ac perficit. Ob eorum murmur pergit magna cum asseveratione v. **47** *amen, amen dico vobis : qui credit in me habet vitam aeternam;* cf. 5,24; 6,40.

d) **Iesus promittit Eucharistiam 6,48-59.**

6,48. Ego sum panis vitae. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto,	6,48. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. 49. οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ τὸ

et mortui sunt. 50. Hic est panis de cœlo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

53. Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Iesus : Amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. Caro enim mea vere est cibus; et sanguis meus vere est potus.

57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.

58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 59. Hic est panis qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

μάννα, καὶ ἀπέθανον· 50. οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθνήσκῃ. 51. ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· 52. ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, ζήσεται εἰς τὸν αἰῶνα. καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω ἡ σάρξ μου ἐστὶν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς·

53. Ἐμάχοντο οὖν πρὸς ἀλλήλους οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες, Πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα αὐτοῦ φαγεῖν;

54. εἶπεν οὖν αὐτοῖς Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. 55. ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἔχει ζωὴν αἰώνιον, κἀγὼ ἀναστήσω αὐτὸν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ, 56. ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθής ἐστίν βρῶσις, καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθής ἐστί πόσις.

57. ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ.

58. καθὼς ἀπέστειλέν με ὁ ζῶν πατήρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με, κἀκεῖνος ζήσει δι' ἐμέ. 59. οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐξ οὐρανοῦ καταβάς· οὐ καθὼς ἔφαγον οἱ πατέρες καὶ ἀπέθανον· ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον ζήσει εἰς τὸν αἰῶνα.

In v. 50 ινα εαν D it pler vulg; *si* om e m q. In v. 51 b ff² descendit. In v. 52 εκ του εμου αρτου ℵ Eus de (ex) meo pane Cyp Hil a e r; ℵ ον εγω δωσω υπερ της τ. κ. ζωης η σαρξ μου εστιν Ti; sim m pro huius mundi vita corpus meum est, Tert pro salute mundi caro mea est; sin corpus meum est quod est pro vita mundi. In v. 53 την σαρκα ℵ C D L Γ Δ Λ Π unc rell al omn go Or Cyr, nobis carnem dare d ff²; add αυτου B T it vulg syr (cu, utr, hr, sin) sah cop arm aeth Chr Amm. In v. 55 αυτου την σαρκα D, carnem eius d e sin; item sanguinem eius. In v. 56 αληθης bis ℵᶜ B C K L T Π al 30 Clem Or Eus Bas Chr Cyr Apollin (cat.) Ti W H; bis verus q sah cop arm cg tol. In v. 58 qui manducabit corpus meum sin; carnem meam b r.

Sollemni modo repetens quod iam dixerat v. 35 simul indicat se nova quadam ratione fore panem vitae, quam rationem mox a v. 52 declarat. Pergens v. 48 *ego sum panis vitae*, iterum affirmat causam cur qui credant habeant vitam aeternam. Et quia mentionem intulerunt de manna, quasi de re magnifica et omne signum et opus Iesu longe superante (v. 31), Christus pergit : v. 49 *patres vestri*, dicit *vestri*, se ab iis separans et significans se habere solum patrem Deum (*Tol.*) *manducaverunt manna in deserto et mortui sunt*, datum est

manna ad vitam hanc tuendam, neque tamen ita eam poterat tueri, ut a morte praeservaretur (*Rup. Cai. Tol. Mald.*); aliter de pane vitae : v. 50 *hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur* οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος i. e. talis, eiusmodi est panis, ut si quis ex eo manducaverit non moriatur (*Mald. Schz.*); duplici itaque discrimine panis iste praestat prae manna; datur ad vitam animae tuendam et habet in se vim et efficaciam, hanc vitam reddere sempiternam. Fit itaque comparatio in diverso genere mortis et, ut *Mald.* censet, vis et elegantia tota consistit quod non in eodem genere, sed in minore maioreque comparentur, manna non potuisse vitam dare corporibus quod minus erat, panem hunc vitam etiam animis dare quod maius longe est. Dicitur *descendens* ut declaretur panem hunc continuo esse praesto credentibus, neutiquam ut manna quod solum commorantibus olim in deserto praebebatur.

Iam quae dicta sunt de isto pane vitae Iesus de se pronuntiat v. 51 *ego sum panis vivus qui de coelo descendi* ὁ καταβάς scil. ὁ ἄρτος, at dicitur ratione habita personae quae descendit; *vivus* cf. 4,10. 14 habet in se vitam spiritualem illam et sempiternam; proin eam etiam communicare potest, unde *panis vitae* magis declaratur, cf. v. 33. 35. Monet *Cyr.* Christum eundem sermonem Iudaeis saepius inculcare, esse scil. animo contumaci et perfracto crebra ac continua a magistris adhibenda subsidia. Cum itaque sit *panis vivus,* v. 52 *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum;* dein cum modo se vocaverit panem vivum, aliam panis rationem nunc proponit *quem dabit : et panis* καὶ ὁ ἄρτος δὲ i. e. et panis vero (cf. *Klotz,* Devarii de particulis II p. 615) quo modo graece loquendi *panis* redditur acutus et notioni praecedenti aliquatenus opponitur, *quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita* i. e. caro mea quae pro mundi vita datur vel danda est (cf. 11,51. 52); proin iam carnem suam iri oblatum in sacrificium insinuat et hanc carnem quae datur pro mundi vita se daturum nobis in cibum enuntiat. Unde et sacrificium crucis et eucharistia hic notatur. Quare in hac prima mentione eucharistiae intima iam effertur habitudo quae est inter eam et sacrificium Christi cruentum. « Non sine magno mysterio passionis suae meminit hunc promittens panem; non enim caro eius in cibum datur nisi post suam mortem et ut memoria quaedam passionis eius, quamvis paulo ante passionem sacramentum hoc sit institutum » (*Tol.*). Et illud *dabo* « omnes veteres et boni auctores de eucharistiae sacramento intelligi volunt, a qua sententia qui discedunt, si haeretici sunt, maligne, si catholici, temere mihi facere videntur. Hoc nunc dicimus, ut de spirituali extra sacramentum sumptione intelligi possit, tamen negari nisi impudenter non

posse, de sacramento potissimum intelligi oportere » (*Mald.*). Nam non iam se totum, ut antea, panem dicit, sed carnem suam; unde de ea sumptione loquitur, qua proprio ac peculiari modo caro eius sumitur, quae sane est sumptio per sacramentum. Singulari ratione *Cai.* scribit : « manifestissime explicat panem hunc fore passionem et mortem suam »; eadem ratione *Ians.* quoque vult solum indicari fidem in humanitatem pro nobis traditam et passam esse necessariam et hac fide nos manducare panem vitae. Et eodem modo plerique acatholici verba accipiunt ac si nihil aliud diceretur quam carnem tradi in mortem.

Ex hoc loco et subsequentibus puto etiam solvi quaestionem quam movent loquaturne Christus per totum sermonem de eucharistia, an prius de modo quo fide ad se accedendum sit et deinde de ipso sacramento; vel aliis verbis : utrum se vocet panem vitae plane eodem modo per totum sermonem, an aliter ab initio et aliter ab hoc loco. Et mihi quidem videtur, eo ipso quod nunc incipiat loqui de eucharistia, etiam satis ostendi eum eousque non de ea sermonem fecisse; verum ex unione illa quae per fidem fiat eum transire ad arctiorem illam quae habeatur in sacramento, ad quam fides quam maxime necessaria supponatur. Ipso quoque modo loquendi discrimen argumenti proditur. Nam in priore parte Pater dat panem de coelo verum, et Christus dicit : ego sum panis vitae, et postulat ut in se credatur et qui credit ei promittit vitam aeternam. In altera parte autem loquitur de pane quem daturus sit ipse, de pane quae sit eius caro, loquitur de manducatione carnis Filii hominis et de potatione eius sanguinis, carnem suam dicit esse cibum verum, verum potum suum sanguinem; ibi dixit : qui credit in me; hic : qui manducat me. Quibus aliud indicatur, nisi omnem proprietatem verborum sublatam aut neglectam volueris. In priore parte itaque de se tamquam pane ea ratione loquitur, qua in vetere quoque testamento Sapientia loquens inducitur (Prov. 9,5. Eccli. 15,3; 24, 29); in altera de pane eucharistico, de singulari illa ratione qua se in cibum praebet modo longe sublimiori quam olim in vetere testamento. Neque video cur non statuamus duas sermonis partes, non utique inter se avulsas, sed connexas; fit progressus a generali argumento ad speciale, a fide in ipsum universa ad fidem in unum mysterium, ad quod amplectendum quam maxime firma esse debet fides illa generalis in ipsum, a manducatione tropica spirituali ad manducationem quae simul sit vera et spiritualis, ab unione per fidem ad unionem per sacramentum. Et ut fatear quod sentio : ego quidem non intelligo, cur talis interpretatio sermonis traducatur et reprehendatur tamquam « introducens in contextum aliquam inconstantiam et in verbis Christi talem obscuritatem qualem limpidissimus narrator Ioannes minime inexplicatam reliquisset » (*Corl.*).

Post tot Christi miracula debebant sermonem eius cum reverentia

suscipere et eorum quae difficilia videbantur solutionem humiliter petere; nunc vero non requirunt ab eo, sed inter se altercantes reiiciunt tamquam falsum et impossibile (*Ians.*) v. 53 *litigabant ergo Iudaei ad invicem* inter se *dicentes : quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* « quando animum subit illa quaestio *quomodo*, tunc una ingreditur incredulitas; sic et Nicodemus turbabatur; nam si illud *quomodo* inquiris, cur de panibus non dicis : quomodo quinque panes in tot alios multiplicavit? sed experientia, inquies, tunc docuit. Ergo ob illam experientiam haec facilius credi oportuit; ideo namque prius illud tam mirabile patravit, ut illo edocti non ultra dictis fidem negarent » (*Chr. Theoph.*). Est « *quomodo* iudaicum illud vocabulum et extremi causa supplicii; illud usurpare caveamus, sed Deo potius operum suorum viam perspectam esse fateri studeamus. Etiam illud *hic* (τὸ οὗτος) singulari fastu dicunt; istud enim vocabulum eorum arrogantiam tacite indicat » (*Cyr.*). Non itaque quaerunt de ratione qua id fieri possit; nam non Iesum adeunt ab eo petentes, ut modum explicet; verum inter se disceptant de sermone eius rem iudicantes vel absurdam vel impossibilem.

Iesus vero qui summo iure postulare potest, ut verbis suis fides adhibeatur simul cum persuasione de modo digno et apto quem ipse sciat eligere, respondet ita ut rem non solum non esse impossibilem, sed plane necessariam affirmet (*Chr. Thom. Bon.*), ut vel sic humiliati converterentur ad requirendam dictorum intelligentiam (*Ians.*) v. 54 *dixit ergo eis Iesus : amen, amen dico vobis : nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* simili modo usus est Dominus cum Nicodemo; cum ille incredulus respondisset : quomodo potest homo nasci cum sit senex? Dominus sententiam suam auget. Ita hic quoque; confirmat quae dixit, terrorem incutit, clarius affirmans plane necesse esse ut manducent carnem eius et bibant sanguinem; alioquin eos non habituros in se vitam; « perpendite quantum vobis ista incredulitas noceat : vos enim aeterna vita privabit, nisi fidem praebueritis meis dictis et cibum hunc manducaveritis » (*Tol.*). Dixerat enim v. 52 : panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita; ut itaque hanc vitam et salutem sibi faciant propriam, necesse est carnem eius manducare. Loquitur ad adultos, loquitur ad eos a quibus fidem postulat; haec ipsa manducatio fidem supponit; « sane qui vel tenerrima cohibentur infantia et prius ex hac vita migrant quam manducare aut bibere possint vel qui articulo temporis constringuntur, sicut nonnulli confessores quos nec baptizari aqua persecutionis et mortis instantia permisit, non praeiudicantur hac sententia veritatis. Nec enim iudicatur apud Deum non mandu-

casse, nisi qui manducare noluit, qui non curavit, qui neglexit » (*Rup.*). Atque apposite notat *Cai.* : « manducare sacramentum praesupponit manducationem naturalem, sicut nasci sacramentaliter praesupponit nasci naturaliter; nullus nascitur ex aqua et spiritu nisi natus secundum carnem; similiter nulli impotenti exercere actum manducandi naturalem imponitur necessitas manducandi sacramentum; quod enim sub actu manducandi imponitur, solis potentibus manducare indici intelligitur secundum planam legum omnium intelligentiam ». Proinde minime requiritur, quod graeci faciunt, parvulis post baptismum dare etiam eucharistiam.

Post sententiam negantem, quo efficacius rem affirmatam velit ostendere, subiungit sententiam asseverantem v. 55 *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam;* ergo non solum prodest ne pereant, sed simul ut consequantur vitam spiritualem eamque hac manducatione praeservent et augeant eiusque ope ad beatam aeternitatem et gloriam perveniant, quare addit *et ego resuscitabo eum in novissimo die;* addi hoc ideo quoque existimari potest ne putarent sic promitti vitam aeternam ut iam nec corpore morerentur (*Aug.*). Uti cibus naturalis vitam naturalem sustentat eiusque vires reficit, auget, ita de cibo hoc spirituali pariter iudicari oportere Christus indicat asseverans iterum v. 56 *caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* ἀληθής verus cibus, potus verus (vide lect. var.); proin si talis est, consequitur etiam necesse esse fidelibus eo cibo uti; simul asseritur veritas iterum verbis planis; vere scil. esse manducandam carnem, cum sit *verus* cibus, non opinatus, non imaginarius, non fictus, neque qui solum improprie ita vocetur, sed qui revera et proprie id sit quod nomine panditur. Unde denuo affirmatur *manducare*, *bibere* intelligi debere sensu proprio de vera manducatione; quare *enim* adiungitur. Proin haec addit confirmans, ὅτι οὐκ αἴνιγμα λέγει οὐδὲ παραβολήν (*Chr. Euth.*). Sensum proprium verborum effert quantum verbis fieri potest. Idque eo magis clarum est, quia manducare carnem Iob 19,22. Ps. 26,2 sensu metaphorico est aliquem calumniis odioque proscindere, bibere sanguinem autem 2 Reg. 23,17 et 1 Par. 11,19 est bibere aquam quae cum vitae periculo aliorum sit hausta et allata, sanguine inebriare vero et cibare carnibus Is. 49,26 dicitur de cruenta in hostes ultione.

Porro iterum repetit sermonem proprium eandem addens explicationem, cur in illa manducatione habeatur vita aeterna et vi illius resurrectio gloriosa v. 57 *qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo* ὁ τρώγων hic et v. 55 est vox quae edendi (dentibus comminuendi) notionem cum emphasi saepius effert;

intima igitur initur coniunctio et unio cum Christo; ille unitur cum Christo et Christus cum eo; quae unio ex ratione cibi consequitur et plane singularis est quia intimam personarum unionem exprimit : in *me* et *ego;* « manet Christus in nobis quemadmodum anima in corpore; ut enim anima in corpore manens vitam illi tribuit corporalem, sic Christus manens in nobis vitam nobis tribuit spiritalem » (*Bar*). Explicat *Cyr.* hanc unionem comparatione cerae cui alia cera coniungitur et commixtione fermenti cum farina. Bona quae in nos ex hac unione redundant haec enumerat : « Christus exsistens in nobis sopit saevientem in membris nostris carnis legem, pietatem in Deum exsuscitat, perturbationes mortificat, non reputans nobis ea in quibus deficimus sed potius ut aegrotos nos sanans ». Nota consequi ac connotari cum carne et sanguine simul recipi totum Christum, cum dicatur : qui manducat *meam carnem*... in me manet et ego in illo. Habes itaque hic, uti etiam in v. 58 qui manducat *me,* expressum id quod per concomitantiam praesens esse in eucharistia schola dicit, non simpliciter vi verborum consecrationis.

Alio quoque modo explicat comparatione sublimi adducta, cur in illa manducatione habeatur intima cum Iesu et per Iesum vita v. 58 *sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me*, διὰ τὸν πατέρα explica non de causa finali i. e. ad gloriam Patris, sed de ratione efficiente, a quo vitam accipiat, uti διά cum accus. personae adhibetur de eo cuius efficacia, voluntate, beneficio, culpa aliquid est aut fit, ergo etiam per quem aliquid est vel fit (cf. *Winer* 49 c, *Krüger* 68,23, *Grimm,* Lexic. s. v.). Instituitur comparatio inter vitam et vitam : uti ego vivo, quia Pater in seipso vivens genuit me, ita qui manducat me, ipse quoque vivet quia ego vivo, vivet per me, vivet vita a me communicata (cf. *Rup.*); « quemadmodum vivo propter Patrem viventem i. e. genitoris naturalem in me dotem (εὐφυΐαν) servans, sic etiam qui per carnis meae participationem me suscipit, in seipso vivet, utique omnino in me transformatus (μεταστοιχειούμενος) qui vivificare valeo quia sum ex radice vivifica, i. e. Deo et Patre » (*Cyr*). Similiter *Theoph.* : sicut ego vivo propter Patrem i. e. ὡς γεννηθεὶς ἐκ τοῦ πατρός, qui est vita, ita me manducans vivet propter me, dum miscetur mihi et transformatur in me qui vivificare possum.

Quaerunt sitne illud *vivo propter Patrem* referendum ad humanam Christi naturam, an ad divinam. Prius tenent *Cai. Ians. Bar.*, quia dicatur *misit me;* ad divinam referunt *Alb. Lap. Schg. Schz. Fil.* et quorum verba modo allata sunt *Cyr. Rup. Theoph. Euth.* Alii, uti *Tol. Mald. Corl.* utrumque coniungunt : sicut ego ut homo quia missus sum a vivente Patre i. e. habeo divinitatem Patris viventis humanitati

meae unitam et vivo propter ipsum : humanitas enim mea accipit vitam ab ipsa divinitate et a Patre ipso, ita qui me manducat, accipiet vitam a me (*Tol.*). Et *Mald.* : sicut per unionem hypostaticam fit, ut vita illa divina et feliciter immortalis humanae Christi naturae facta sit, ita per coniunctionem nostram cum corpore eius efficitur nostra. At mihi videtur haec explicatio proprietati verborum non satis congruere. Christus dicit : *vivo propter Patrem*, ergo Patrem designat causam producentem suae vitae; atqui vita humanae naturae eius et vita huius naturae supernaturalis refertur ad totam Trinitatem et quatenus gratia habitualis spectatur etiam speciali modo ad Spiritum sanctum; ergo de hac vita non apte dicitur : vivo propter Patrem, solum apte et vere hoc dicitur de Filii natura divina quam a solo Patre accipit (cf. 5,26). Neque obstare potest quod incipit : sicut misit me vivens Pater; missio Filii iterum soli Patri convenit et adscribitur; mentionem autem facit missionis, quia ea tantum supposita alterum comparationis membrum induci potest et sola missione fit ut vitam quam habet a Patre in comparationem adhibere possit; insuper etiam missus est, ut electi eius vitae sint participes per eum vita donati. Ceterum vide ad 7,29.

Concludit sermonem hoc quasi epiphonemate quo priora complectitur v. 59 *hic est panis qui de coelo descendit; hic* de quo modo locutus est; *non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt,* ita se habet panis iste; verum *qui manducat hunc panem vivet in aeternum;* vide v. 49. 50. Revertitur Christus ad id unde sermo exortus est. Petierant illi signum a Christo et obiecerant tamquam rem magnificam manna. Nunc concludit Iesus eis dicens se panem dare revera de coelo descendentem, qui tantum prae manna excellat quantum vita spiritualis praestet prae corporali, quantum vita sempiterna prae morte.

Christum hoc sermone loqui de eucharistia i. e. loqui de eo quod in coena paschali revera discipulis dedit dicens : hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, tum verbis ipsis quam maxime patet, tum ipsa institutione eucharistiae plane extra omnem controversiam constituitur. Nam profecto, si de eucharistia loqui illamque depingere voluit, non potuit uti verbis clarioribus; carnem, sanguinem, esum, potum distinguit, quae omnia ad eucharistiam plane conveniunt, ad aliam vero rem neutiquam. Accedit institutio; in sacramento autem tam aperte, tam proprie manducamus et bibimus, ut sane ridendi sint qui relictis illis quae clara, propria, facilia, manifesta sunt consectari malunt obscura, metaphorica, difficilia. Utique si Christus nullum postea sacramentum instituisset, deberemus *quaerere* interpretationem et deberemus *conari* quocumque demum modo omnia haec accommodari possint fidei in eius mortem, ita ut credere mortem eius dici possit manducare eius carnem et bibere eius sanguinem

(cf. *Mald.*). Verum quis non videt quam coactum et ab omni sermonis consuetudine alienissimum id esset? A tali molestia gravissima nos liberat ipsa institutio sacramenti, quam hoc loco promittit : *dabo* v. 52. Sicut 3,3 baptismum annuntiat quem postea instituit (Matth. 28,19), ita hoc loco eucharistiam annuntiat uno anno ante eius institutionem. Frivole asserit *Weiss* parum probabile esse Iesum eo iam tempore animo volvisse cogitationem de coena instituenda et pro eo qui historica ratione et arte cuncta metiatur, a priori constare de coena ne cogitari quidem posse.

Patres verba haec de eucharistia intellexisse inter omnes et catholicos et acatholicos constat. Loci sat multi allegantur apud *Tol. Mald.* et praesertim apud *Corl.*; reperiuntur passim quoque apud dogmaticos. Illos recitare non est huius loci. Solum mentio facienda est *S. Augustini*, qui quandoque metaphorice aliqua ex hoc loco exponit; ita de doctr. chr. 3,24, ubi recitato v. 54 nisi manducaveritis etc. pergit : « facinus vel flagitium videtur iubere; figura est ergo praecipiens passioni dominicae communicandum et suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro eius crucifixa et vulnerata sit » et tract. 26 in hunc locum scribit v. g. ad v. 52 : norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant; fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. At non desunt apud eundem alia aeque clara, quibus de sacramento loquitur. Eius de eucharistia doctrinam vide expositam a *Schanz* in periodico tubingensi 1896 p. 79-115. Ita scribit in tract. 26 ad eundem v. 54 praeter alia : huius rei sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur et de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Et ad v. 56 notat : Dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis; namque aliud in unum ex multis granis confit, aliud in unum ex multis acinis confluit. Et ad v. 48.49 notat : et nos hodie accipimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti; quam multi de altari accipiunt et moriuntur et accipiendo moriuntur! unde dicit apostolus : iudicium sibi manducat et bibit (1 Cor. 11,29). Alia vide *M.* 38,734; 41,741; 34,1158; 35,1621 : hoc ergo totum valeat, ut carnem Christi et sanguinem non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus.

Agi de sacramento in hoc sermone negant *Cai. Ians.* Rationes eorum potissimum sunt : sacramentaliter manducare et bibere potest quis et tamen non habere vitam, neque manere in Christo; immo vita habetur sine sacramentali manducatione; ergo cum sententiae ita in universum proferantur, agere debent de fide : nisi usi fueritis morte Filii hominis tamquam cibo et potu non habebitis vitam spiritus in vobis (*Cai.*). Provocatur quoque ad v. 35; urgetur non addi qui manducaverit *digne*, quod necessario addendum fuisse dicitur, si de sacramento esset sermo. « Infert sermonem de carne et sanguine suo, ut intelligamus necessariam esse fidem in ipsius humanitatem pro nobis in cruce traditam et passam » (*Ians.*).

Agi de sacramento in hoc sermone utique non est de fide definita; at Concilium tridentinum satis clare docet eo sensu verba partis alterius esse accipienda; nam sess. 13 cap. 2 et sess. 21 cap. 1 pro doctrina de sacramento allegantur v. 58. 54. 52. 55. Attamen varia sermonis explicatio tangitur, cum ibidem dicatur : neque ex sermone illo apud Ioannem sexto recte colligitur, utriusque speciei communionem a Domino praeceptam esse, utcumque iuxta varias sanctorum Patrum et doctorum interpretationes intelligatur.

e) Separatio fit inter discipulos 6,60-72.

6,60. Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? 62. Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis : Hoc vos scandalizat?

63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? 64. Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat : Propterea dixi vobis quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

67. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro : et iam non cum illo ambulabant. 68. Dixit ergo Iesus ad duodecim : Numquid et vos vultis abire?

69. Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes.

70. Et nos credidimus et cognovimus quia tu es Christus filius Dei. 71. Respondit eis Iesus : Nonne ego vos duodecim elegi? et ex vobis unus diabolus est.

72. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

6,60. Ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ διδάσκων ἐν Καφαρναούμ. 61. Πολλοὶ οὖν ἀκούσαντες ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπαν, Σκληρός ἐστιν ὁ λόγος οὗτος· τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; 62. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐν ἑαυτῷ, ὅτι γογγύζουσιν περὶ τούτου οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, Τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει;

63. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον; 64. τὸ πνεῦμά ἐστιν τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν· τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν. 65. ἀλλὰ εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινὲς οἳ οὐ πιστεύουσιν· ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς, τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες, καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν. 66. καὶ ἔλεγεν, Διὰ τοῦτο εἴρηκα ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός.

67. Ἐκ τούτου πολλοὶ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν. 68. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς τοῖς δώδεκα, Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν;

69. ἀπεκρίθη αὐτῷ Σίμων Πέτρος, Κύριε, πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις.

70. καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν, καὶ ἐγνώκαμεν ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. 71. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Οὐκ ἐγὼ ὑμᾶς τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, καὶ ἐξ ὑμῶν εἷς διάβολός ἐστιν;

72. ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν Σίμωνος Ἰσκαριώτου· οὗτος γὰρ ἔμελλεν παραδιδόναι αὐτόν, εἷς ἐκ τῶν δώδεκα.

In v. 60 docens sabbato Aug a ff² r ger hub theod; item D. In v. 64 habet sin lectionem plane singularem : spiritus est qui vivificat corpus; vos autem dicitis : corpus nihil prodest. In v. 65 οι πιστευοντες ℵ G al 8 qui essent credentes codd

pler vulg steph sixt; non credentes it val ḫent; sin sciebat ab initio quis traderet eum. In v. 67 sin propter hunc sermonem multi etc. In v. 70 ο αγιος τςυ θεου ℵ B D L Cosm Nonn Ti W H; ο χς ο υιος τ. θ. C³ Γ Δ Λ Π unc 9 al pler it pler vulg syr (utr, sin) arm go Bas Chr Cyr; etiam add του ζωντος aliqui ex istis testibus. In v. 70 sin elegi vos omnes et etiam ex vobis unus est satan. In v. 72 ισκαριωτου ℵ^c B C G L; codd pler vulg scariothis (scariotis ed. Wordsworth); iscariotem hent; ισκαριωτην Γ Δ Λ unc 8 al pler Cyr go; ℵ* alq minus απο καρυωτου; id quod Ioannem ubique scripsisse (cum in D habeatur) Ti probabile censet.

In loco publico, in urbe celebri quae testis erat tot Iesu miraculorum, ita ut fides exspectari potuerit (cf. *Chr. Cyr. Tol. Mald. Schz.*) v. 60 *haec dixit in synagoga docens in Capharnaum* cf. 18,20; de Capharnaum Matth. 4,13; 11,23. Non solum Iudaei fidem verbis eius negabant, sed multi quoque ex eius discipulis, ex illis igitur, qui iam ei sese addixerant, eum sequebantur, eius colloquio et familiaritate utebantur (cf. Luc. 6,13 ex discipulis eligit duodecim). De Iudaeorum incredulitate non fit mentio; nam eo quod multi discipuli sermone hoc deterrentur, satis patet quam parum Christus ceteris persuaserit, cum ne discipuli quidem credant (*Mald.*) v. 61 *multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt : durus est hic sermo et quis potest eum audire,* σκληρός i. e. τραχύς, ἐπίπονος, μόχθον ἔχων (*Chr.*) qui suscipi nequeat, intolerabilis (sim. *Theoph.*), plenus offensionis qui ferri non possit, ita ut quis cum indignatione et fastidio se avertat (*Schg.*). Offensos esse existimat *Chr.*, quod Christus ea dixerit quae gradum eius et dignitatem superarent; alii quod dixerit se de coelo descendisse; at profecto cum plerisque potissima offensionis causa erat quod de carne sua et sanguine dixerat. Id intelligebant, quasi carnem suam in frusta concisam diceret manducandam (*Aug. Cyr. Bed. Rup. Cai.* etc.). In qua acceptatione et error eorum et superbia comprehenditur; nam quae non intelligebant proprio iudicio metiebantur, nec didicerant ex commercio cum Iesu digne de eo sentire et humiliter a tanto magistro petere ut explicaret quae iis intolerabilia viderentur (*Tol.*).

Inter se de sermone murmurant. Iesus alloquio suo iis praebet opportunitatem ulterius ea de re quaerendi et simul eis documentum praebet se scire occulta v. 62 *sciens autem Iesus apud semetipsum,* non scil. edoctus ab aliis, *quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis : hoc vos scandalizat?* notandum est Christum hisce sensum proprium verborum suorum affirmare; nam aperte dicit : quod dixi carnem meam esse cibum verum etc., hoc vobis offensioni est? proinde confirmat verba proprio sensu, uti sonant, accipienda esse. Unum praecavet et excludit v. 64 non meram carnem quasi in frusta concisam proponi. Atque ad id viam parare videtur v. 63 *si ergo videritis Fi-*

lium hominis ascendentem ubi erat prius? aposiopesis est, qua utimur in animi commotione et quae ex contexta oratione supplenda est. Designari ascensum Christi in coelum vel potius eius reditum in coelum, ipsis verbis clare exprimitur; *ubi erat prius*, vide v. 38 descendi de coelo; v. 42. 51; 3,13. Proin affirmat se, Filium hominis, proin talem qualem coram vident rediturum esse in coelum, idque illos esse visuros, θεωρεῖν. Loquitur ad illos qui murmuraverant; at apostolos quoque huic colloquio interfuisse, ex v. 68 probabile videtur. Apostolos ipsam ascensionem spectasse docemur; discipuli qui Iesum reliquerunt illam non spectarunt; utrum praeter apostolos alii discipuli, ad quos hic sermo fit, interfuerint necne dici nequit; quare consultum videtur θεωρεῖν non ita urgere, ut necessario spectatorem esse affirmetur; nam verbum etiam adhibetur de contemplatione seu consideratione mentis (Hebr. 7,4), de cognitione 4,19 video quia propheta es tu; 12,19 videtis quia nihil proficimus? cf. Act. 17,16. 22; 19,26; 21,20; 27,10. Proinde sensus omnino esse potest : si ergo cognoveritis me in coelos reducem? et suppleri potest: quid tum dicetis? an tum cogitabitis de carne cruda, in frusta concisa? « qui enim potest hanc carnem reddere coelestem, potest utique et ipsam cibum hominum efficere » (*Euth.*). Monet itaque eos ut cogitationes a carne mortali abstrahant, ut corpus cogitent quod in coelum ascendet, corpus spiritale (cf. *Cyr. Calm. Schg.*). Atque ita hisce scandalum molliri vel tolli vel iis suggeri ea quibus animi suaviter a falsa acceptatione revocentur et ad fidem invitentur, plurimorum est sententia (cf. *Chr. Aug. Bed. Rup. Theoph. Alb. Thom. Bon. Cai. Ians. Lap. Fil. Keil*). Ex modo loquendi *una* persona divina asseritur. Sunt qui haec verba solum referant ut probetur eum descendisse de coelis neque esse filium Ioseph (cf. *Chr.*); at plerique ad scandalum de carne edenda ea spectare arbitrantur.

Verum alii haec dici non ad scandalum tollendum censent, sed esse supplendum : quanto magis tunc scandalum capietis? ita ut sensus sit : scandalizamini, quando dico me vobis daturum carnem meam vobis in terra praesentem, quanto magis, quando haec ipsa caro erit in coelis? ita *Mald.* qui fatetur se huius interpretationis auctorem habere neminem, at sibi eam omnino veram videri, quia Calviniani praecise ex ea ratione quia Christus sit in coelo eius in eucharistia praesentiam negent; *Tol.* in annot. eandem acceptionem amplectitur, in commentario autem alteram communem proponit; eius meminit nec reprobat *Bar.*; eam tuetur *Corl.* et quos citat *Bossuet, Beelen*; eam quoque adoptat *Schz.* sed ita, ut mors Christi etiam subintelligatur, qua ratione maius intelligatur scandalum; qui *ascendere* de morte violenta explicant, etiam facile ostendunt : quanto magis scanda-

lizabimini quando me mortuum videbitis (*Olshausen, De Wette*). At profecto *ascendere ubi prius erat* eo sensu capi nequit neque est eiusdem notionis atque *exaltari* (3,14; 12,32); alii ita : magis scandalizabimini, si discessero a terra, quia tum vestra exspectatio terrena plane concidit (*Weiss*). Sed quare potissimum esse quaerendam censent explicationem qua scandalum augeri ostendatur? monent contextum indicari particula οὖν; solere Christum in locis similibus rem augere 1,50; 3,12; inde revera postmodum haereticos ansam cepisse impugnationis eucharistiae.

At difficile intelligitur, quomodo offensi de statu et conditione Iesu mortali magis offendantur de statu eius coelesti quem norint aut viderint. Utique id facile intelligeretur, si sermo inferretur de morte Christi. At de morte verba, uti iacent, ne indirecte quidem potuisse tum intelligi a discipulis mihi satis certum est; nondum enim Iesus de passione et morte sua discipulos edocuit, nisi quis contenderit, quae Nicodemo dicta sint 3,14 fuisse in vulgus perlata et intellecta. Neque particula οὖν ad illam explicationem adigimur. Dicunt quidem : illa particula *ergo* quae illativa est insinuat maius futurum scandalum nisi praesens tollat et nisi nunc credant (*Tol.* sim. *Schz. Weiss*). Huic potest opponi quod ipse *Tol.* in commentario habet : illa particula *ergo* emphasin habet et scandalum eorum vehementer arguit. Sensus enim est : vos in hoc quod dixi scandalizati estis; ergo quando me ascendentem ubi eram prius et carnem meam unitam divinitati intelligetis, scandalizabiminine? Potest opponi quod de οὖν in interrogatione *Klotz* adnotat : hoc saepe fit ut rei praesentis ratio habenda sit et ut posita alia re iam certior fieri de aliqua causa velis (Devarii, de particulis II p. 719). Hoc si applicaveris, habebis : praesentis scandali rationem habet Christi, et posita alia re (si videritis...) iam certior fieri vult i. e. interrogat : num tum quoque offendentur? Praeterea οὖν saepe adhibetur, ut germanicum nun, solum ad progressum quendam sermonis efferendum (*Winer* 53,8 a), id quominus hic quoque applices nullus impediris. Quae afferuntur ex 1,50 et 3,12 ad aliud dicendi genus pertinent et ad aliud argumentum : credis? maius his videbis! utique talem crediturum esse, etsi maius viderit, planum est, quia ob rem minorem iam credidit. Oppositum eius rei habetur 3,12 : minora non credunt dicenti, ergo neque maiora. Verum nostro loco ex eo quod de homine mortali offenduntur, non sequitur eos etiam magis offensum iri si viderint eum in conditione gloriosa, a conditionibus materiae terrenae exempta. Unde nulla cum 1,50 et 3,12 paritas!

Quod in v. 63 incepit scil. scandalum illud quod ceperunt alia corporis conditione in medium adducta removere, id etiam prosequitur in v. 64 *spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam;* iam in homine spiritus est quo homo vivit et operatur; caro spiritu destituta ad nihil valet, nullam actionem humanam perficit. Si itaque Christus dicit : « qui manducat meam carnem..., qui me manducat, habet vitam », pariter valere debet, ut carne eius hic effectus producatur, non

intelligi carnem spiritu destitutam, sed carnem Christi spiritu animatam, vivam, carnem Verbo iunctam; « nam si sola seorsim natura corporis intelligatur, non erit utique vivifica; si autem Incarnationis mysterium propius expendatur et quis ille sit qui habitat in carne hac perceperitis, credetis utique carnem vivificare posse, quamvis caro nihil plane ex se ipsa prosit. Quia enim vivificanti Verbo unita est, idcirco facta est tota vivifica;... licet igitur natura carnis per se vivificare nequeat, idipsum tamen praestat Verbum vivificum in se habens et totam eius efficacitatem proferens » (*Cyr.*) et *Aug.* : « per carnem spiritus aliquid pro nostra salute egit; caro vas fuit; quod habebat attende, non quod erat; sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam ». Effectus itaque vitae aeternae attribui debet non carni in se consideratae, sed spiritui, divinitati coniunctae carni (*Thom.* sim. *Bed. Rup. Cai. Tol. Ians. Mald. Bar. Nat. Corl. Schg. Schz.*). Amandanda est explicatio : quae de me dicuntur spiritualiter sunt accipienda; nam qui carnaliter audit, nihil lucratur, nihil proficit (*Chr. Theoph. Bon. Lap. Calm.*); pariter reiicienda illa interpretatio acatholicorum non paucorum : spiritualis manducatio vivificat, carnalis i. e. realis (quam vos cogitatis) carnis meae manducatio nihil prodest. At spiritus, caro, non est spiritualis manducatio, carnalis manducatio. — Ad eiusmodi explicationem pervenerunt, quia *caro non prodest quidquam* de carne Christi non dici posse viderunt. Verum est. At Christus sententiam ponit generalem, neque dicit caro *mea*.

Confirmat quae dixit addens : *verba quae ego locutus sum vobis* λελάληκα quae dixi et quae manent dicta, *spiritus et vita sunt;* utique non sonus verborum spiritus et vita est, sed qui verba ea, doctrinam iis declaratam suscipit, in eo fiunt spiritus et vita; verba Christi sunt efficacia, efficiunt quod enuntiant; materiam vini et panis possunt transformare in cibum ad vitam animae augendam. « Haec verba in pane, de quo dicturus sum : hoc est corpus meum, et in vino, de quo dicturus sum, hic est sanguis meus, invisibiliter operantur ut vera caro mea sit et sanguis meus, sicut et in singulis hominibus hoc agunt ut membra mea sint, renovati scil. spiritu mentis » (*Rup.* sim. *Bar. Schg. Schz. Fil.*). Alii : verba i. e. res verbis exposita est spiritus et vita, agunt verba de divinitate mea, in qua est ea omnis vivificandi efficacia quam modo tribuebam carni meae, utique divinitati coniunctae (cf. *Alb. Thom. Cai. Tol. Patr. Corl.*). Verum prior acceptio erit praeferenda : verba Christi vim habent creatricem; vivus est sermo Dei et efficax, ut *Bon.* addit ad explicationem. Christus hisce quoque testimonium perhibet de sua natura divina. Quis enim hominum dicere posset : verba mea sunt spiritus et vita (*Schg.*)? Neque explicandum

est : verba sunt spiritualia ; neque, quod alii interpretantur, spiritualiter sunt accipienda. Quid enim sibi vellet ea in acceptione *vita?* neque πνεῦμα est idem quod πνευματικός, πνευματικῶς (cf. *Aug. Bed. Ians. Lap. Nat. Calm.*).

Cur scandalum ex verbis capiant, ratio est quia non credunt Iesum esse divinitus missum v. 65 *sed sunt quidam ex vobis qui non credunt,* quibus itaque etiam explicatio in v. 63. 64 proposita nihil prodest; *sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credituri et quis traditurus esset eum;* cf. 2,24. 25; cum sermo fiat de scientia *Iesu,* ἐξ ἀρχῆς non est ab aeterno, ab initio mundi (*Theoph. Thom. Rup.*), sed vel a conceptione (*Cai. Tol.*) vel ab initio vocationis, conversationis cum discipulis, electionis (*Ians. Lap. Corl. Schz.*) vel ante murmurationem (*Mald.*). Iterum exprimit causam cur non credant (*Aug. Bed. Rup. Bon.*) v. 66 *et dicebat : propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo;* cf. v. 44; quibus verbis simul docentur fidem a Deo esse petendam et expetendam et admonentur, ut eam efflagitent; quodsi in ea incredulitate permanserint sciant se a populo Dei excludi. Hoc sermone et tali postulatione fidei Iesus et populum et discipulos tentavit, ut qui non animo sincero credant manifesti evaderent et recederent; v. 67 *ex hoc* tempore, ἔκτοτε (*Euth. Corl. Schz.*) *multi discipulorum eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant;* « aversi ceciderunt miseri non amplius cum Salvatore ambulantes, sed ad alias vias conversi et in suos retrusi morbos » (*Cyr.* sim. *Chr. Euth.*). Falsa sua exspectatione de Messia decepti et obcaecati Iesum agnoscere nolebant. Iesus eos non retinet nec sermonem suum a proprietate verborum revocat. Unde vides quantopere constet de propria verborum acceptione retinenda.

Immo si ipsi apostoli proprietate verborum offensi abirent, eos non retineret. Sed de illis melius sentiendum esse haud ignorat v. 68 *dixit ergo Iesus ad duodecim : numquid et vos vultis abire?* μή, exspectatur scil. responsum : non abibimus; ostendit tamen se illorum opera non indigere neque velle, ut apud se maneant, nisi integram fidem exhibeant; responsum expostulat quo magis in fide firmentur eam explicite confitentes (*Chr. Cyr. Rup. Tol. Mald.*). Uti apud synopticos, ita hic quoque Petrus indole ferventiorem se praebet et ut primus omnium nomine omnium festinat respondere v. 69 *respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus?* verbum magni affectus indicium; significat magistrum sibi esse omnibus cariorem, eosque qui ab ipso discedant non habere quo se recipiant (*Chr. Euth.*) et simul praeclaram edit confessionem : *verba vitae aeternae habes,* quae vitam aeternam concilient (*Euth. Rup.*), repetit quae Christus dixerat v. 64 et in

« duro » illo sermone agnoscit fide verba vitam aeternam afferentia, dummodo observata fuerint (cf. *Tol.*) et eam fidem niti affirmat eo quod iam experimento notum habent v. 70 *et nos credidimus et cognovimus* experimento ex operibus accepto nobis persuasum est, *quia tu es Christus Filius Dei,* vide lect. var. ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ i. e. Messias, quae lectio praeferenda est; altera videtur esse conformata ad Matth. 16,16. Appellatur ὁ ἅγιος cf. 10,36. Marc. 1,24, qui itaque singulari ratione ad opus Dei sit electus, Deo consecratus.

Atque fidem apostolorum esse opus Dei et beneficium Christus eos monet v. 71 *respondit eis Iesus : nonne ego vos duodecim elegi?* dein indicat Petri affirmationem non ad omnes posse spectare *et ex vobis unus diabolus est?* « haec itaque audientes instituamur ad cavendum vigilandumque semper » (*Chr.*); oscitantiam et ignaviam omnem praecidit (*Cyr.*); nondum enim a quo tradendus sit explicat; verum omnes monet, ut fidei sinceritatem ad trutinam revocent. Diabolum nominat diabolicae voluntatis ac malitiae ministrum et exsecutorem (cf. *Cyr.*). Uti ea assertione singulos monet, ita eos praemunit etiam contra scandalum proditionis Iudae; recordabuntur enim verbi huius, quod in tam sollemni ac memorabili conditione enuntiatum non poterit e memoria deleri. Addit evangelista quis iam perdidisse fidem designatus sit; addit hoc ex rei eventu v. 72 *dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim;* graeca lectio legitima videtur esse Ἰσκαριώτου; unde iam pater Iudae istud habuit cognomen; tam accurate evangelista res singulas novit. De hoc cognomine vide quae dixi ad Matth. 10,4 (Comment. I p. 376 seq.); de electione et proditione vide l. c. et Comment. II 398 seq.

5. *Manifestatio Iesu tertia in Iudaea* 7,1-10,21.

Haec manifestatio, uti ceteris est praeclarior, ita plura quoque complectitur. Sed quo clariore modo Iesus suam a Patre missionem affirmat et se esse a Patre missum probat, eo maiore odio eum persequuntur. Populus timore principum coercetur; hi iam tentant eum apprehendere, volunt eum adducta adultera in sermone capere et insidias struere; reprehensione eius et testimonio de origine divina ita exacerbantur, ut eum conentur lapidare. Sanatione caeci nati furore exardescunt ita ut qui eum confiteretur Christum ex synagoga eiiciant. Quid mirum igitur, si Iesus eiusmodi duces populi fures ac latrones appellat, qui se pastorem bonum odio habent? Insigni modo Iesus se declarat eum qui omne hominum desiderium dono Spiritus

sancti sit expleturus (7,37), lucem mundi (8,12), ab aeterno exsistentem (8,58), sacrificium pro suis (10,11. 15).

Et primo quidem ea referuntur quae in festo scenopegiae acta sunt. Iesus non eo modo quo eius cognati volunt ad festum tabernaculorum in Ierusalem ascendit. In ipsa urbe sententia populi de eo est plane diversa. Verum ipsi nobiles non possunt non mirari eius doctrinam. Hanc esse a Patre Christus docet, ad quam cognoscendam opus sit facere voluntatem Dei; simul tradit quo cognoscant se a Deo esse missum. Tum in eos invehitur, quod legem non observent et se ob sanationem sabbato factam interficere velint. Aliqui ex hierosolymitanis quia ei permittatur palam loqui suspicantur Iesum forte agnosci Christum; at statim sibi ipsi obiiciunt eum non posse esse Christum. Quare Iesus se a Deo missum palam profitetur. Unde aliqui eum apprehendere volunt, et ex populo multi in eum credunt; inde synedristae mittunt qui eum caperent. Iesus se mox ad Patrem iturum, illos vero perituros esse dicit; de quo sermone illi rident. Ultimo die sollemnitatis se omnium bonorum fontem proclamat; ex populo alii eum prophetam, alii Messiam esse declarant negantibus aliis. Satellites missi ad eum capiendum tanta eius admiratione ipsi capiuntur, ut non audeant ei manus inferre. De qua re indignantur synedristae et populo maledicunt et Nicodemo monenti ne contra legem modo adeo praecipite agant iniuriam faciunt. Ita re infecta domum redeunt.

Magna arte singula ita quasi oculis subiiciuntur, ut non tam narrari quam geri coram videantur. Iesus de se et de missione sua testimonium perhibet. Quanta varietas et contrarietas opinionum in populo exstiterit, qui metus synedristarum omnium animos tenuerit, quanta malitia synedristae egerint, qua maiestate Iesus in tanta contentione emineat, evangelista paucis velut lineis, at gravibus, designat.

a) Iter ad scenopegiam 7,1-13.

7,1. Post haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam: non enim volebat in Iudaeam ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, Scenopegia.

3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: transi hinc, et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, et quaerit ipse in palam esse; si haec facis, manifesta te ipsum mundo. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum.

7,1. Καὶ μετὰ ταῦτα περιεπάτει Ἰησοῦς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ· οὐ γὰρ ἤθελεν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ περιπατεῖν, ὅτι ἐζήτουν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι ἀποκτεῖναι. 2. Ἦν δὲ ἐγγὺς ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων ἡ σκηνοπηγία.

3. εἶπον οὖν πρὸς αὐτὸν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, Μετάβηθι ἐντεῦθεν, καὶ ὕπαγε εἰς τὴν Ἰουδαίαν, ἵνα καὶ οἱ μαθηταί σου θεωρήσωσιν τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς· 4. οὐδεὶς γάρ τι ἐν κρυπτῷ ποιεῖ, καὶ ζητεῖ αὐτὸ ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. εἰ ταῦτα ποιεῖς, φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ. 5. οὐδὲ

6. Dicit ergo eis Iesus : Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odisse vos : me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum, quia meum tempus nondum impletum est.

9. Haec quum dixisset, ipse mansit in Galilaea. 10. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. 11. Iudaei ergo quaerebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Iudaeorum.

γὰρ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ ἐπίστευον εἰς αὐτόν.

6. Λέγει οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν· ὁ δὲ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτέ ἐστιν ἕτοιμος. 7. οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς· ἐμὲ δὲ μισεῖ, ὅτι ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ αὐτοῦ, ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἐστιν. 8. ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτήν· ἐγὼ οὔπω ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, ὅτι ὁ ἐμὸς καιρὸς οὔπω πεπλήρωται.

9. ταῦτα δὲ εἰπὼν αὐτοῖς, ἔμεινεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. 10. Ὡς δὲ ἀνέβησαν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, εἰς τὴν ἑορτὴν τότε καὶ αὐτὸς ἀνέβη, οὐ φανερῶς, ἀλλὰ ὡς ἐν κρυπτῷ. 11. Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι ἐζήτουν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, καὶ ἔλεγον, Ποῦ ἐστὶν ἐκεῖνος; 12. καὶ γογγυσμὸς περὶ αὐτοῦ ἦν πολὺς ἐν τοῖς ὄχλοις. οἱ μὲν ἔλεγον, ὅτι ἀγαθός ἐστιν· ἄλλοι δὲ ἔλεγον, Οὔ· ἀλλὰ πλανᾷ τὸν ὄχλον. 13. οὐδεὶς μέντοι παῤῥησίᾳ ἐλάλει περὶ αὐτοῦ, διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων.

In v. 3 sin et fratres eius appropinquabant ad Iesum et dicebant ei : verte te hinc in Iudaeam. In v. 4 ζητει αυτο B sah cop; illut d; om b e. In v. 5 sin eousque enim ne fratres quidem; add tunc a b d e ff^{2} q r. In v. 8 ουκ αναβαινω ℵ D K M Π it vulg sin cu cop arm aeth Cyr Chr Porphyr Aug, haec lectio est genuina; ob v. 10 correctum est ουπω B L T X Γ Δ Λ unc 7 al pler go sah syr (sch, p, hr nunc non) Bas; nondum f q. In v. 12 in turba magna quae venerat ad festum sin; εν τοις οχλοις codd pler Chr Cyr; sin et erant dicentes non est bonus; v. 13 ob metum populi sin.

A tempore paschali evangelista narrationem transfert ad tempus festum tabernaculorum, i. e. a mense aprili ad octobrem fere. Quae interea Iesus gessit, enarrant synoptici. Ad hoc enim tempus referuntur quae habentur Matth. 14,34-18,35 et Marc. 6,53-9,49 et Luc. 9, 18-50. Per idem tempus potissimum versatus est in Galilaea; attamen etiam in regionem Tyri et Sidonis et in tractum decapolitanum se contulit. Evangelista commemorat, ubi diutius commorabatur et quo ex aliis regionibus reverti solebat v. 1 *post haec autem* scil. post illam multorum defectionem et Petri aliorumque apostolorum fidei professionem 6,61-71, *ambulabat Iesus in Galilaeam* ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, in Galilaea (uti complures codices vulg. habent : dun fuld hub ing med mt ept ox lind), per oppida et vicos Galilaeae; ibi enim, uti narratione synopticorum comprobatur, maiorem fidem invenit; nam etiam oppositio illa in synagoga in Capharnaum potissimum a Iudaeis, non a Galilaeis (6,41. 53) est excitata; *non enim volebat in Iudaeam* ἐν τῇ I. (in Iudaea ing med a b d r) *ambulare, quia quaerebant eum Iudaei interficere;* cf. 5,16. 18; eo itaque anno non videtur ascendisse in ur-

bem ad pascha (cf. *Patr. Corl.*), ita ut quasi ratio reddatur cur non ascenderit (cf. *Mald.*). Noluit furorem adversariorum provocare; potius voluit illis spatium concedere, quo illa animorum excandescentia sedaretur et defervesceret.

Spatium eis dedit sat longum unius scil. anni et dimidii; v. 2 *erat autem in proximo* ἐγγύς, uti 6,4, *dies festus Iudaeorum, scenopegia,* festum tabernaculorum, de quo vide Lev. 23,34; celebrabatur a die quintodecimo mensis septimi per septem dies; dies primus et octavus praecipua sollemnitate et cessatione ab opere erat celebrandus; per eos dies in memoriam itineris in deserto habitabant in tentoriis, quae in plateis prope domus erigebant; festum magna celebrabatur laetitia; in gratiarum actionem pro perfecta vindemia incedebant ramos palmarum, salicum aliarumque arborum manibus gestantes (cf. Lev. 23,40 seq.), fasciculos ex myrto et salice cum spadice palmae compositos addito Perseae pomo (*Iosephus*, Antiq. 3,10,4 et addit καὶ ταῦτα μὲν Ἑβραίοις τὰς σκηνὰς πηγνῦσιν ἐπιτελεῖν ἔστι πάτριον). De eo festo cf. Neh. 8,14-18. 1 Mach. 10,21. Appellatur חַג הַסֻּכּוֹת Deut. 16,13. 16; 31,10. Zach. 14,16; vocatur quoque Ex. 23,16 festum collectionis (frugum scil.).

Ad eiusmodi festum magna hominum multitudo se conferebat in urbem (cf. Deut. 16,16). Quare fratres Domini tempus opportunum rati, ut suae de Iesu exspectationi satisfieret, ei persuadere studebant, ut in urbe regnum messianum inauguraret v. 3 *dixerunt autem ad eum fratres eius,* vide ad 2,12; esse eos filios Ioseph ex priore matrimonio censent *Cyr. Theoph. Euth.* aliique (pro qua sententia afferuntur Origenes, Clemens alex. Eusebius, Gregorius nyss. Epiphanius, Hilarius, Ambrosius a *Lightfoot,* Dissertation on the apostolic age); alii eos dicunt consanguineos Mariae (*Aug. Bed. Alb. Thom.*) *transi hinc et vade in Iudaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis,* ii scil. ex sectatoribus Iesu qui erant in Iudaea. Isti itaque fratres testes erant miraculorum quae Iesus faciebat in Galilaea. Imbuti exspectatione regni messiani cum splendore apparentis idem appetere isti videntur, quod turba illa 6,15. Quare postulant ut in Iudaea edat magnalia illa, quibus magna excitaretur populi commotio et regnum praepararetur; v. 4 *nemo quippe in occulto quid facit et quaerit ipse in palam esse;* eum arguunt quod sibi minime constet; nam ex una parte vult, ut sua missio agnoscatur a Deo facta, ex altera parte autem in occulto, in Galilaea, in regione a nobilibus Iudaeis despecta, saepius in locis plane ignotis miracula patrat; unde quod vult et quod facit videtur ipsis esse inter se oppositum; nemo enim qui vult agnosci debet se occultare aut in occulto agere. Quare *si haec*

facis, si tot et tanta miracula edis, uti v. 3 indicatur, *manifesta teipsum mundo* ibi scil. ubi nobiles sunt et maxima hominum multitudo; manifesta te talem qualem dicis, a Deo missum, Messiam.

Verum qua mente hi manifestationem Messiae exoptent et importune provocare conentur, evangelista indicat v. 5 *neque enim fratres eius credebant in eum* scil. ea fide quam Iesus postulabat, fide qua eum crederent ad regnum spirituale condendum, ad expiationem peccatorum faciendam, ad sanctitatem et vitam aeternam largiendam esse missum, non autem ad satisfaciendum exspectationi et vanitati Iudaeorum. Credunt quidem Iesum potestate patrandi miracula instructum adeoque a Deo missum esse; item iis persuasum est eum posse omnes in sui admirationem rapere; at perfectam illam fidem non habebant (cf. *Schg. Corl. Keppler, Schg. Fil.*); « nam et verba et audacia et intempestiva libertas incredulitatem denotant » (*Chr.*). Apostoli etiam post resurrectionem Christi eum interrogant : si in tempore hoc restitues regnum Israel (Act. 1,6), unde ne eo quidem tempore omnem notionem regni temporalis abiecisse videntur; quare minime mirum est fratres Iesu eo modo loqui et Iesum urgere. Quod si expenderis, non erit necesse fratres eos solum cognatos intelligere qui non erant inter apostolos. Plerumque tamen apostolos fratres exclusos volunt (cf. *Thom. Bon. Ians. Cai. Tol. Mald. Lap. Corl. Schg.*); ita censere eos quoque patet, qui iniquius de eorum consilio iudicant ac si ex invidia, contemptu eo modo loquerentur, immo, ut Iesum adversariis suis traderent ad mortem (cf. *Chr. Theoph. Euth.*) vel ut ex gloria miraculorum eius sibi ipsi famam et auctoritatem acquirerent (cf. *Aug. Rup. Mald.*).

Illi itaque « suo sensu sapientiam Dei praecedere viamque illi ostendere praesumunt » (*Rup.*) v. 6 *dicit ergo eis Iesus : tempus meum nondum advenit* i. e. tempus passionis et mortis (cf. *Chr. Theoph. Rup. Alb. Mald. Patr. Schz.*); nam statim loquitur de odio quo eum persequuntur et scimus ad quid istud odium tendat (5,18 et 7,1); praeterea sollemni suo in urbem ingressu et manifestatione cum turbarum plausu, uti post annum occasio erat synedristis sententiam mortis in Iesum latam quam celerrime exsequendi, ita tum eorum furor quam maxime excitatus fuisset, ut eum omni modo statim perimere voluissent. Alii explicant tempus sese manifestandi mundo (*Bon. Cai. Corl. Schg. Fil. Weiss*), tempus gloriae (*Aug. Bed. Thom.*), tempus ascendendi in urbem (*Ians. Tol. Lap.*). At alias quoque tempus meum dicit de passione (Matth. 26,18) vel illud tempus vocat horam (Matth. 26,45; Marc. 14,35. 41. Ioan. 12,27; 13,1), quare ea acceptio hoc quoque loco praeferenda est, neque obstat quod pergit Iesus : *tempus*

autem vestrum semper est paratum, vos non habetis quod timeatis; nullum vos manet periculum; nam vestrae notiones regni messiani omnibus sunt gratae; vos itaque tuto, immo cum pompa ascendere potestis. Quia itaque regnum temporale exoptant, accepti sunt et amici *mundi;* unde v. 7 *non potest mundus odisse vos;* nam vestro desiderio, vestra ambitione similes estis ei, estis homines mundani, estis « membra mundi et non potest mundus quae sua sunt habere odio » (*Mald.*); *me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt;* nobiles Iudaeorum quorum vitia reprehendit, superbiam, hypocrisin, avaritiam perstrinxit, vanas observantias explosit (Matth. 5,20; 6,1 seq. 9,4; 11,16; 12,7 seq. 15,3. Marc. 3,29; 7,6), cum odio habent : ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus, qui per Beelzebub principem daemoniorum daemonia eiicit, cuius mortem illi machinantur (Matth. 11,19; 12,14. 24; Marc. 3,6).

Monet, ut ipsi secundum legem ascendant v. 8 *vos ascendite ad diem festum hunc; ego autem non ascendo ad diem festum istum* scil. vobiscum aut cum commeatu festivo neque eo modo quo vos vultis ut ascendam, scil. ut me manifestem mundo, ut cum pompa et sollemni comitatu ingrediar urbem (cf. *Chr. Theoph. Alb. Bon. Schz.*); et quare non manifeste? videlicet *quia meum tempus nondum impletum est;* post dimidium annum ascendet manifeste; tum impletum est tempus; tunc turba multa acceptis ramis palmarum processit obviam ei et cum tripudio eum salutavit regem Israel (*Rup.*). Ergo qua ratione ipse non ascendat, clare apparet ex verbis, dummodo responsum dari ad postulationem illam attendatur; patet quia additur tempus eius nondum advenisse, nondum esse impletum. Insuper in v. 10 declaratur, quo sensu non ascendat. Quare non opus est legere οὔπω, vel ἄρτι *nunc* non ascendo, nondum ascendo (cf. *Chr.* et lect. var.); multoque minus licet Iesum inconstantiae et mutationis accusare, uti audet Porphyrius (cf. *Hieron.* adv. Pel. 2,17); v. 9 *haec cum dixisset, ipse mansit in Galilaea,* dum scil. alii cum turba hominum iter in urbem arriperent; *ipse* quidem non dicit eum *solum* remansisse in Galilaea; at ex v. 10 etiam sequitur, si quos comites habuerit, eos fuisse paucissimos. Circa idem tempus ad praedicandum septuaginta discipulos miserat; fortasse complures ex apostolis cum fratribus illis profecti sunt ad festum; ita fit, ut ipse postmodum ascendere possit occulte v. 10 *ut autem ascenderunt fratres eius,* ἀνέβησαν potest explicari per plusquamperfectum (cf. *Krüger* 53,2,8; *Schz. Weiss*), *tunc et ipse ascendit ad diem festum, non,* uti illi voluerunt, cum pompa sollemni seu *manifeste, sed quasi in occulto*, neque ut festum ageret

cum hilaritate, sed ut doctrinam spargeret populumque erudiret (*Chr. Cyr. Aug. Theoph.*).

Iam qualis fuerit erga Iesum animus et primorum et turbae, brevi, sed efficaciter describitur; v. 11 *Iudaei ergo* i. e. primores, nobiles, *quaerebant eum in die festo et dicebant : ubi est ille?* irascuntur, fremunt; ex nimio odio ne nominare quidem dignantur; die festo eum capere volebant (*Chr.*); *ille* dicunt; quantopere cogitatione eius praeoccupati sint, ipso loquendi modo manifestant. Et in quantum omnium oculos in se converterit Iesus et in Galilaea et in Iudaea, ostenditur v. 12 *et murmur multum* γογγυσμός sermo clandestinus, disputatio clandestina (uti patet ex v. 13) *erat in turba de eo* inter multitudinem quae ex omni regione Palaestinae ad festum convenerat; verum sententiae erant contrariae; *quidam enim dicebant : quia bonus est,* οἱ μέν alii — alii; hi potissimum Galilaei erunt censendi, qui et frequentius testes erant operum Iesu et minus seducti erant auctoritate et invidia pharisaeorum; *alii autem dicebant : non, sed seducit turbas,* hi potius ex plebe urbis et Iudaeae, qui scil. procerum sententiis et calumniis corrupti sunt, id quod ipso ostendunt sermone; nam *seducit turbas*, quae verba primorum imitatione repetunt pro indole plebis, quae nobilium dicta caece subsequitur. Haec quoque pertinent ad populi opinionem designandam (*Cyr. Tol.* etc.); alii quidem haec pharisaeis attribuunt et sacerdotibus (*Chr. Theoph. Thom. Bon. Cai. Ians.*); at de Iudaeis i. e. de iis qui auctoritate in populum valebant, sermo fit in v. 11 et in v. 13 *nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudaeorum; nemo,* proinde nemo eorum de quibus in v. 12 narrabatur. Quare non dicendum cum *Aug. Chr. Bed. Rup. Cai. Ians. Mald. Lap.* solum eos non ausos esse qui bene de eo sentirent; sed utrique comprehenduntur; prohibuerant primores omnem de eo sermonem et contentionem, ut eius memoria omnino ab omnium mentibus tolleretur; ideoque nemo audebat de eo publice et libere loqui (*Tol.*). Adeo enim omnes servili metu subiecti erant (*Cyr.*), ut timerent de eo quovis modo sermonem proferre, quem sciebant negligi velle a primoribus. Praeterea qui male de eo loquebantur, etiam cohiberi poterant, ne ut testes tandem vocarentur, cum sibi conscii essent se non posse certam ac definitam in eum accusationem proferre ac probare. Intelligi nomine Iudaeorum principes, seniores, sacerdotes iam veteres adnotarunt (*Chr. Cyr. Thom. Cai.* etc.).

b) Iesus docet in templo 7,14-36.

7,14. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, et docebat.	7,14. Ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης, ἀνέβη Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερόν, καὶ ἐδίδασκεν. 15. ἐθαύ-

15. Et mirabantur Iudaei, dicentes :
Quomodo hic litteras scit, quum non di-
dicerit? 16. Respondit eis Iesus, et dixit :
Mea doctrina non est mea, sed eius qui
misit me.
17. Si quis voluerit voluntatem eius
facere, cognoscet de doctrina, utrum
ex Deo sit, an ego a me ipso loquar.
18. Qui a semetipso loquitur, gloriam
propriam quaerit; qui autem quaerit
gloriam eius qui misit eum, hic verax
est, et iniustitia in illo non est.
19. Nonne Moyses dedit vobis legem?
et nemo ex vobis facit legem.
20. Quid me quaeritis interficere?
Respondit turba, et dixit : Daemonium
habes; quis te quaerit interficere? 21.
Respondit Iesus, et dixit eis : Unum
opus feci, et omnes miramini.
22. Propterea Moyses dedit vobis cir-
cumcisionem (non quia ex Moyse est,
sed ex patribus); et in sabbato circum-
ciditis hominem. 23. Si circumcisionem
accipit homo in sabbato ut non solvatur
lex Moysi, mihi indignamini quia totum
hominem sanum feci in sabbato? 24.
Nolite iudicare secundum faciem, sed
iustum iudicium iudicate.
25. Dicebant ergo quidam ex Ierosoly-
mis : Nonne hic est quem quaerunt in-
terficere? 26. Et ecce palam loquitur, et
nihil ei dicunt. Numquid vere cognove-
runt principes quia hic est Christus? 27.
Sed hunc scimus unde sit; Christus au-
tem quum venerit, nemo scit unde sit.
28. Clamabat ergo Iesus in templo
docens, et dicens : Et me scitis, et unde
sim scitis; et a me ipso non veni; sed est
verus, qui misit me, quem vos nescitis.
29. Ego scio eum; quia ab ipso sum, et
ipse me misit.
30. Quaerebant ergo eum apprehen-
dere, et nemo misit in illum manus, quia
nondum venerat hora eius. 31. De turba
autem multi crediderunt in eum, et di-
cebant : Christus quum venerit, num-
quid plura signa faciet quam quae hic
fecit? 32. Audierunt pharisaei turbam
murmurantem de illo haec : et miserunt

μαζον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, λέγοντες, Πῶς
οὗτος γράμματα οἶδεν μὴ μεμαθηκώς; 16.
ἀπεκρίθη οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν,
Ἡ ἐμὴ διδαχὴ οὐκ ἔστιν ἐμή, ἀλλὰ τοῦ
πέμψαντός με· 17. ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα
αὐτοῦ ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς,
πότερον ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστὶν, ἢ ἐγὼ ἀπ' ἐμαυ-
τοῦ λαλῶ. 18. ὁ ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν τὴν
δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ· ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν
τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, οὗτος ἀληθής ἐστιν
καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν·
19. οὐ Μωυσῆς ἔδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον,
καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον; 20. τί
με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι; ἀπεκρίθη ὁ ὄχλος,
Δαιμόνιον ἔχεις· τίς σε ζητεῖ ἀποκτεῖναι;
21. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ἓν
ἔργον ἐποίησα, καὶ πάντες θαυμάζετε.
22. διὰ τοῦτο Μωυσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν
περιτομὴν, (οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωυσέως ἐστὶν,
ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων,) καὶ σαββάτῳ περι-
τέμνετε ἄνθρωπον. 23. εἰ περιτομὴν λαμ-
βάνει ὁ ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, ἵνα μὴ λυθῇ
ὁ νόμος Μωυσέως, ἐμοὶ χολᾶτε ὅτι ὅλον
ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ; 24.
μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν
κρίσιν κρίνετε.
25. Ἔλεγον οὖν τινὲς ἐκ τῶν Ἱεροσολυ-
μειτῶν, Οὐχ οὗτός ἐστιν ὃν ζητοῦσιν ἀπο-
κτεῖναι; 26. καὶ ἴδε, παῤῥησίᾳ λαλεῖ, καὶ
οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι. μήποτε ἀληθῶς ἔγνω-
σαν οἱ ἄρχοντες, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός;
27. ἀλλὰ τοῦτον οἴδαμεν πόθεν ἐστίν· ὁ
δὲ Χριστὸς ὅταν ἔρχηται, οὐδεὶς γινώσκει
πόθεν ἐστίν.
28. ἔκραξεν οὖν ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων
ὁ Ἰησοῦς, καὶ λέγων, Κἀμὲ οἴδατε, καὶ
οἴδατε πόθεν εἰμί· καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ
ἐλήλυθα, ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με,
ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε· 29. ἐγὼ οἶδα αὐτὸν,
ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμὶ κἀκεῖνός με ἀπέ-
στειλεν.
30. ἐζήτουν οὖν αὐτὸν πιάσαι· καὶ οὐ-
δεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὴν χεῖρα, ὅτι
οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ. 31. ἐκ τοῦ
ὄχλου πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν, καὶ
ἔλεγον, ὁ Χριστὸς ὅταν ἔλθῃ, μὴ πλείονα
σημεῖα ποιήσει ὧν οὗτος ἐποίησεν; 32.
ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι τοῦ ὄχλου γογγύζον-
τος περὶ αὐτοῦ ταῦτα· καὶ ἀπέστειλαν οἱ

principes et pharisaei ministros ut apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Iesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum; et vado ad eum qui me misit. 34. Quaeretis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire.

35. Dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? 36. Quis est hic sermo quem dixit : Quaeretis me, et non invenietis : et ubi sum ego, vos non potestis venire?

ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι ὑπηρέτας, ἵνα πιάσωσιν αὐτόν. 33. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς, Ἔτι χρόνον μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, καὶ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. 34. ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετέ με καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν.

35. εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς ἑαυτοὺς, Ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; 36. τίς ἐστιν ὁ λόγος οὗτος ὃν εἶπε, Ζητήσετέ με, καὶ οὐχ εὑρήσετέ με καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν;

In v. 17 sin an ego ex proposito (desiderio) mentis meae loquar et similiter in v. 18, in corde eius non est. In v. 31 feci in oculis vestris. In v. 26 ℵ αρχιερεις; for a principes sacerdotum. In v. 28 Tert neque me scitis unde sim. In v. 29 apud illum e Tert, ℵ* παρ αυτω; item sin; add alq minusc et alq codd vulg ex 8,55 et si dixero quia nescio eum etc. In v. 31 sin multi ex civitate; v. 32 et pontifices et pharisaei audierunt.... et miserunt; sim b e. In v. 34.36 codd vulg pler quaeritis me Π* 69 ζητειτε; ubi ego vado a c d, sim sin; cf. εἰμί et εἶμι; Nonnus ὁδευσω; cop. In v. 35 sin numquid semen Aramaeorum vadit docens, v. 36 add sin et quid dicit : quo ego vado.

Non diu eorum animos qui *ubi est ille* quaerebant suspensos tenuit Christus. Festum tabernaculorum celebrabatur per dies octo v. 14 *iam autem die festo mediante*, τῆς ἑορτῆς μεσούσης medio tempore festi; cf. Ex. 12,29 μεσούσης τῆς νυκτός, in noctis medio (vulg.; cf. Neh. 8,3), *ascendit Iesus in templum et docebat* v. 15 *et mirabantur Iudaei dicentes : quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* tanta gratia docebat, ut ipsi adversarii, primores, non possent non mirari, de qua docendi gratia et de populi admiratione synoptici quoque referunt (Matth. 7,28; Marc. 1,22. Luc. 4,22. 32). Verum non ita doctrinam admirabantur, ut dicta admitterent, sed obstupescunt : unde illi haec? cum ex dubitatione tali perspicere debuissent divinam eius missionem (cf. *Chr.*). Mirantur de scientia sacrarum litterarum, quae in Iesu doctrina manifestabatur, cum tamen nossent illum talem notitiam in schola scribarum non didicisse; sciebant enim eum non frequentasse scholam (cf. *Cai. Tol. Ians. Mald.*). Hac quoque admiratione procerum testimonium redditur Iesum antea in Nazareth vitam degisse communem, plane absconditam. Ipsi itaque adversarii minime scientiam Iesu ex causa et origine humana explicare poterant (*Schz.*). Nos autem ex eorum exclamatione discimus Christi docendi rationem intime consociatam fuisse sacris litteris.

Eorum admirationi respondet docens, unde habeat suam scientiam v. 16 *respondit eis Iesus et dixit : mea doctrina*, doctrina quam vobis propono ego et quam habeo, *non est mea*, a me non est, non est a me profecta primo et originaliter, non est a me inventa, *sed eius qui misit me*, eam scil. habet a Patre acceptam, eandem ex Patris praescripto loquebatur (*Mald.*); cf. 5,30. Superiora verba vera sunt de Christo, ut Filius Dei est et etiam ut homo est. Priore modo accipiunt *Cyr. Aug. Bed. Euth. Corl.;* nam ut Deus habet eandem omnino scientiam quam Pater habet eamque habet ipsa generatione aeterna a Patre acceptam; « utrovis modo exponas, sententia est eadem et in utroque sensu suam scientiam divinam seque Deum seu Dei Filium esse his verbis Christus significat simulque facto comprobat quae occulte dicebantur revelando; ad contextum autem praesentem magis facit, si de scientia quam habuit ut homo interpretemur, quae quidem erat a Deo » (*Tol.* sim. *Mald. Schg. Schz.*). Quaerenti autem quomodo cognosci possit doctrinam esse a Deo respondet Christus in v. 17. 18 duplici indicio, interno altero quod quis in se, in animo experiatur, altero externo, quod ex ipso haberi et colligi possit habitu doctoris; v. 17 *si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit an ego a me ipso loquar*, voluntatem Dei debebant intelligere de voluntate Dei in lege et prophetis expressa, proin de studio virtutum et vita bonis moribus instructa. Simul iis pandit causam cur doctrinam suam non cognoscant divinam; tacite itaque eos perstringit quod suis pravis moribus impediantur quominus credant. Veritatem enuntiat gravissimam, scil. viam ad fidem homines sibi ipsos occludere vita malis moribus infecta; qui vero pro viribus voluntatem Dei sibi quocumque modo manifestatam fecerit, ei adfore auxilium Dei ut ad fidem divinam perveniat. Loqui a se ipso is dicitur, qui docet a se excogitata et inventa; itaque hic ex contextu, sine missione divina et contra Deum. Eiusmodi erant prophetantes de corde suo, qui sequebantur spiritum suum, quos Dominus non miserat (Ez. 13,2 seq.). Nota etiam Hebr. 5,11 seq. assignari habitudinem quae exsistat inter vitam pietate insignem et cognitionem mysteriorum; de eadem re cf. 1 Cor. 2,6 et 3,1 seq.

Alteram iudicandi normam proponit sitne doctrina a Deo necne v. 18 *qui a semetipso loquitur gloriam propriam quaerit*, qui suae doctrinae ipse est auctor et inventor, suam i. e. ingenii sui atque inventionis propriae gloriam quaerit (*Mald.*), quod quam verum sit (scribit *Ians.*) in omnibus patet haereticis, *qui autem quaerit gloriam eius qui misit eum, hic verax est et iniustitia in illo non est;* is enim ea loquitur quae ipsi commissa sunt et gloriae mittentis studiosus sedulo

cavet ne ei ex legato aliqua enascatur ignominia. Loquitur Iesus sententia generali; sed applicatio facile patet. Iudaei quaerunt suam gloriam 5,44; a semetipsis loquentes varias statuerunt traditiones et observationes contra Dei mandata (Matth. 15,3 seq. Marc. 7,7-13). Iesus autem non quaerit gloriam suam; cf. 5,41 claritatem ab hominibus non accipio; descendit de coelo ut faceret voluntatem eius qui misit illum 6,38; ergo ex seipso non loquitur, sed ex Deo, ea scil. ad quae missus est, ergo verax est; nullam enim habet fallendi causam qui se ipsum non quaerit (*Mald.*), neque in eo erit ulla fraus, ulla improbitas, qua contra veritatem ad suum commodum vel arbitrium quidquam retineret, detorqueret, mutaret. Neque enim pro se quidquam quaerit, sed tota eius industria ad gloriam mittentis procurandam tendit.

De sequentibus iam quaerit *Chr.* : quam consequentiam (ποίαν ἀκολουθίαν) quid commune habent haec cum praecedentibus verbis? Ipse aliique nexum ita adstruunt, ut Iesus accusationem sabbati violati refellat, quae facta erat 5,18 (cf. *Cyr. Theoph. Euth. Mald. Patr. Corl. Schz.*); nam, ut dicit *Thom.* : excludit obiectionem; posset enim aliquis dicere Christo, quod ideo doctrina sua non esset a Deo quia sabbatum solvit (cf. 9,16). Qui nexus praeferendus esse videtur, quia Christus revera in subsequentibus illam accusationem repellit (v. 23). Unde contra accusationem primo ita se defendit ut Iudaeos aggrediatur eos legis pessime violatae accusans v. 19 *nonne Moyses dedit vobis legem et nemo ex vobis facit legem?* proceres, pharisaeos, scribas alloquitur; quo sensu accusentur legis non observatae, elucet ex synopticis (cf. Matth. 12,34; 15,3-9. 13. 14; 23,4-33; Marc. 7,7-13; 12,38. Luc. 11, 39 seq.; 20,46). Cum itaque ipsi sint transgressores legis, quanta hypocrisi sese iactant aemulatores legis et vindices ita ut Iesum ob sanationem sabbato factam interimere velint? v. 20 *quid me quaeritis interficere?* cf. 5,18; 7,1; « etiamsi transgrederer, id ad salutem facio, neque oporteret me a vobis qui in gravibus illam transgredimini incusari » (*Chr.*); « vos non habetis causam accusandi, cum sitis in simili delicto; si ergo non servatis legem, quare propter transgressionem eius vultis me occidere? non enim propter hoc facitis, sed propter odium; alioquin si propter zelum legis faceretis, ipsi vos servaretis eam » (*Thom.*).

Varia est huius loci connexio et interpretatio. Alii enim nexum adstruunt ex v. 17 : si quis voluerit voluntatem eius facere etc., Christum scil. nunc ostendere Iudaeos non esse tales ideoque ob id non cognoscere qualis sit sua doctrina (*Cai. Beelen, Maier*); vel non esse mirum quod Christi doctrinam nollent recipere, cum ne Moysis quidem legem quem tanti tamen facere

videri vellent observarent (*Ians.*); vel cum se veracem et iustum in doctrina et in operibus dixisset, eum nunc arguere Iudaeos iniustitiae et transgressionis (*Tol.*) vel cum illi se gerant et iactent custodes ac vindices legis, reprehendi a Iesu quod lege abutantur ad satisfaciendum furori et invidiae et cupiditati suae (*Schg.*). Cur dicatur : nemo facit legem, varie accipitur. Sat multi ita : lex dicit : non occides; vos autem vultis me occidere (*Chr. Theoph. Euth. Cyr. Theod. M. Rup. Thom. Tol. Ians.*); nemo observat legem sabbati, quia in sabbato circumciditis pueros (*Mald. Corl.*); sed circumcisio non est violatio sabbati; neque si esset, haec accusatio posset ad omnes proceres extendi, cum tamen non omnibus pueri ita nascantur, ut sabbato debeant circumcidi. Vel non servatis legem, quia me non iudicatis ex norma legis (*Weiss*).

Ex v. 15 respondet Iesus primoribus docens in templo adstante et audiente turba. Quae turba nihil scit de consilio illo sanguinolento procerum i. e. Iudaeorum. Unde homines indignati et male intelligentes quasi ad se directa esset reprehensio, quid me quaeritis interficere? acerbe in Christum invehuntur : *respondit turba et dixit : daemonium habes, quis te quaerit interficere?* non est is sensus, quasi eum esse a daemone possessum dicerent, sed : daemon te instigat, ut haec dicas; daemoni hoc tribuunt quia ipsius est mendacia et mala testimonia et calumnias imponere et propterea in eum quod daemonis spiritu ducatur convicium iactant (*Tol.*), maligno, insano agitaris spiritu (*Corl.*); vulgari sermone is daemonium habere dici potest qui insanire, absurda loqui, delirare videbatur (cf. *Ians. Mald. Schz.;* vide 10,21. Matth. 11,18. Luc. 7,33; *Fil.*). Iudaei optime sibi conscii quam vere de consilio caedis accusentur tacent. Iesus vero ita pergit, ut turba quoque intelligere possit se a primoribus ad necem quaeri, utique sine ulla causa v. 21 *respondit Iesus et dixit eis : unum opus feci et omnes miramini*, θαυμάζετε i. e. ταράττεσθε, θορυβεῖσθε (*Theoph.*), qua voce indicat etiam apud plebem aliquam exstitisse offensionem propter illud unum opus (5,8-10). Ab eo tempore Iudaei decreverunt Iesum interficere, neque diuturniore tempore cessavit illorum iniqua intentio, sed magis in eis augebatur; quare continua erat eius facti memoria, quemadmodum intentionem et consilium occidendi animo retinebant. Inde fit, ut Iesus eius operis mentionem post spatium temporis sat longum (intercesserat sesquiannus, *Tol.*) faciat, utpote causae et originis tam nefariae intentionis.

Eam autem offensionem esse plane iniustam neque ullam exsistere causam, cur sibi indignentur ostendit v. 22 *propterea Moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus;* uti textus vulg. est, explica διὰ τοῦτο ita ut ad subsequens referatur : *ideo*

dedit, non quia ipse illam primus praecepit et in morem induxit, sed *quia* iam a tempore patriarcharum in usu erat et a Deo praescripta circumcisio; tamquam signum pacti iam Abraham patri et eius familiae et posteris praecepta est Gen. 17,10; in lege mosaica praescribitur Lev. 12,3. Haud pauci adiungunt διὰ τοῦτο ad antecedens *miramini* (*Theoph. Mald. Patr. Schg. Schz. Keil, Weiss* etc.), alii aliquid supplendum censent ut nexus adstruatur (cf. *Rup. Fil.;* varia apud *Bar. Cai. Ians.*); verum potest retineri iunctio vulg. : ideo Moyses dedit circumcisionem, quia ex patribus est (cf. *Cyr. Bon. Tol. Corl.*); sensus enim aptus est, constructio in hoc libro satis usitata; vide 5,16. 18; 8,47; 10,17; 12,18. 39 et haec particula semper in initio sententiae, nunquam in fine reperitur apud evangelistam (cf. *Corl.*). Si itaque eo loco eam reliqueris, oportet parenthesin ne admiseris; *et in sabbato circumciditis hominem;* iam Abraham dictum est : infans octo dierum circumcidetur in vobis; item Lev. 12,3 : et die octavo circumcidetur; quare morem a patribus traditum et lege Moysis sancitum servabant et si die octavus erat sabbatum, circumcisio eo die fiebat neque reputabatur violatio sabbati, quia erat sacer ritus a patribus ante legem Moysis traditus et certo diei divino praecepto adnexus.

Unde Christus arguit v. 23 *si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi,* ἵνα μή, ne scil. lex Moysi (Lev. 12,3) de circumcisione solvatur, negligatur (ita *Theoph. Euth. Aug. Bed. Cai. Ians. Mald. Bar. Patr. Schg. Schz. Fil. Weiss, Keil*), *mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato?* dignior enim sabbato circumcisio erat; ego vero rem digniorem melioremque feci quam sit circumcisio (*Chr.*); proin nulla est ratio cur mihi indignemini! Cum dicatur *totum* hominem sanum feci, videtur requiri, ut in circumcisione pars aliqua sanetur; ita scil. habetur oppositio et progressus et argumentatio a minore ad maius. Christus loquitur de sanatione vel salute corporali, unde in circumcisione non licebit cogitare de signaculo salutis (cum *Aug. Bed. Thom. Rup.*), vix sufficiet inceptam vulneris sanationem, sanguinis cohibitionem (*Cyr. Schg.*) efferre, vel rem a contrario illustrare : si sabbato licet circumcisione dolorem inferre, a fortiore licet sanum facere (*Theoph.*) vel generatim dicere : circumcisio est opus nobile, ideo non solvit sabbatum; sed salus totius hominis opus est nobilius (*Bon.*). Debet itaque circumcisio considerari ut sanatio hominis partialis, sanatio in parte corporis[1]; itaque haec revera est; nam sine illa tale vitium est in corpore, ut propter

1. Praeputium est vitium in corpore, ita in Midrasch Bemidbar rabba (*Holtzmann*).

illud homo non pertineat ad populum Dei; morbus vero vitium est non partis, sed totius et insuper morbus in lege saepe ut poena a Deo inflicta propter peccata proponitur; morbo homo ineptus fit ad sacros ritus obeundos; proin uti circumcisione in parte corporis sanatur, ut sacra obire possit, ita curatione a morbo totus homo sanatur (cf. Lev. 26,16 seq. Deut. 28,16 seq.).

Alii explicant : si circumcisionem homo accipit in sabbato, ita ut lex Moysi non solvatur, quin lex de sabbato solvatur (*Alb. Bon. Tol. Calm. Corl.*). At duo obstant; nam haec non est notio genuina et nativa ἵνα μή; dein de lege sabbati a Moyse data in hoc contextu non fit mentio; commemoratur lex in universum v. 19 et lex circumcisionis quam Moyses dedit v. 22; proinde si de lege Moysi sermo fit in v. 23 haec lex de qua in antecedenti Christus loquebatur, debet intelligi, non autem alia lex de qua ne verbum quidem fit. Perperam pro ea explicatione proferuntur *Cyr. Ians.* (apud *Schz.*). Nam *Cyr.* ut nativam notionem retinere posset, censuit coniungendum ita esse : indignamini mihi ut non solvatur lex Moysis (lex scil. de sabbato a *Cyr.* intelligitur), quod totum hominem sanum feci in sabbato; insuper clare dicit *Cyr.* : nec enim circumcisionem homo accipit in sabbato, ut non solvatur lex Moysis; solvitur enim cessante propter circumcisionem sabbato; nam propter circumcisionem a patribus acceptam solvitur quodammodo lex Moysis de sabbato. Scribit *Ians.* : « ratio qua Dominus usus est, talis est : Moyses dedit vobis praeceptum circumcisionis octavo die fiendae; unde fit ut frequenter in sabbato circumcidatis hominem, cum in sabbatum dies octavus circumcisionis frequenter incidat. Si ergo homo circumciditur in sabbato, ut lex Moysis non solvatur quae octavo die circumcisionem fieri mandat, nec indignamini Moysi qui hoc ita fieri praecipit, nec mihi indignari debetis, qui non in aliqua parte hominem laesi aut laesum curare studui, sed totum hominem sanum feci in sabbato ». Ipse *Ians.* recte explicat verba *Cyr.* : Iudaeos fuisse indignatos in Christum ad eum finem, ut non solveretur lex Moysi, quam Dominum iam solvisse et solvere voluisse putabant.

Denique sententia generali reducit eos ad iustum examen sui (*Thom.*) v. 24 *nolite iudicare secundum faciem* κατ' ὄψιν secundum externam speciem, secundum id quod sub oculos cadit, *sed iustum iudicium iudicate;* proin monet ne secundum id iudicent quod statim apparet (*Thom.*), non secundum visionem oculorum (*Bon.*), sed ut merita rerum perpendant (*Rup.*). Opinionibus illis pharisaicis cum imbuti sint de observatione sabbati, secundum speciem externam illis sanatio sabbato facta erat offensioni, id quod ex synopticis quoque patet (Matth. 12,10. Luc. 6,6; 13,14). Quare dicit, ne ex tali apparentia iudicent, sed veram legis mentem percipientes de gestorum bonitate

sententiam ferant (cf. *Calm.*). Et cum miraculo patrato sanaverit et aliis quoque miraculis se Deo esse acceptum probaverit, eo magis sunt reprehendendi, si talem et tale opus miraculosum propter vanas illas opiniones de sabbato reprobandum existimant (cf. *Schg. Schz. Fil.*). Perperam aliqui explicant κατ' ὄψιν de acceptione personarum (*Chr. Cyr. Rup. Tol. Mald. Corl.*); de qua acceptione dicitur πρόσωπον; *Aug. Bed.* legunt : nolite iudicare personaliter.

Notandum est quam accuratam rerum notitiam evangelista prodat. Nam non solum distincte effert quid turba, quid primores senserint, dixerint, sed in ipsa turba distinguit aliquos ex urbe qui quod ceteri ignorabant bene perspectum habebant v. 25 *dicebant ergo* i. e. videntes Iesum adeo libere loqui neque impediri, *quidam ex Ierosolymis : nonne hic est quem quaerunt interficere?* v. 26 *et ecce palam loquitur* παρρησίᾳ, in omnium conspectu et maxima confidentia ipsum illud propter quod eum interficere volebant defendit et asserit, *et nihil ei dicunt!* Mirantur quod primores illi tacent, nihil reponentes ad Christi defensionem et suam ipsorum reprehensionem; item quod eum publice loqui permittunt neque usi opportunitate eum apprehendunt. Cur ita agant, rationem inquirunt; commune est omnibus insoliti et insperati eventus causam inquirere (*Tol.*); quare dubitantes dicunt : *numquid vere cognoverunt principes* οἱ ἄρχοντες synedristae, *quia hic est Christus?* μήποτε num fortasse revera illi sententiam mutarunt? exspectant responsum id factum non esse, at simul produnt se propendere fere ad credendum quod dubitanter quaerunt (cf. *Grimm,* Lex. ad h. l.). Ita enim eventu insolito haerent inertiam principum quomodo explicent nescientes. Potest inde colligi cur v. 13 nemo ausus sit de Christo palam loqui neque in bonam neque in malam partem (cf. *Cyr.*).

Verum illam melioris sententiae scintillam, eum posse esse Christum, statim exstinguunt; « nam velut metuentes ne forte principes cognoverint et acquieverint credere, protinus assumunt id quod essentiae Christi repugnare videatur » (*Rup.*); unde sibi ipsi obiiciunt v. 27 *sed hunc scimus, unde sit,* πόθεν hic non locum denotat (*Chr.*), sed originem, genus, parentes (*Thom. Tol. Ians. Patr. Schz.*); cf. 6,42; Matth. 13,55; Marc. 6,3. Merito notat *Tol.* : « magnam confessionem veritatis vis elicuit ab istis; nihil enim contra vitam et mores, nihil contra doctrinam opponunt, quia omnia Christo conveniebant; nihil in illo invenerant, quod Christum dedeceret, hoc solum invenerunt, quia sciunt, unde sit; si nescirent omnia recte se haberent. Attende hac obiectione eos inventam causam repulisse, nempe quod principes Christum agnoverint, ac si dicerent : cum hic non sit Chri-

stus, quia scimus unde sit, non est verisimile causam hanc quam excogitavimus veram esse »; *Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit* i. e. contra id quod de Iesu sciunt : nemo sciet eius parentes, sed repente ignotis progenitoribus mundo apparebit (*Tol.*). Hoc utique sciebant eum debere esse ex genere davidico et ex pago Bethlehem (cf. v. 42), ceterum autem originem eius terrestrem fore ignotam, eum subito quasi coelitus delapsum se manifestaturum. Ad quam vulgarem opinionem diabolus tentationem illam : mitte te deorsum, accommodavit (vide quae dixi ad Matth. 4,6, Luc. 4,9). Unde haec opinio orta sit, inquirunt. Saepe affertur Is. 53,8 generationem eius quis enarrabit et Mich. 5,2 (cf. *Cyr. Aug. Bed. Theoph. Thom. Bon.*) vel etiam Mal. 3,2 (*Corl.*) et Ps. 71,6 (*Ians.*). Ceterum si quis opiniones Iudaeorum cognoscere vult de subitanea Messiae apparitione, de eius absconsione, videat quae collegerunt *Lightfoot,* Hor. hebr. ad Matth. 2,1 et h. l., *Wetstein* ad h. l., *Edersheim*, The life and time of Iesus I p. 169, II p. 154. 739 seq.; vide quae notavi ad Mich. 4,8; Messiam venturum modo inexspectato ac subitaneo opinio est rabbinorum, cf. *Wünsche* ad h. l.

« Insusurrantibus sibi talia inter se Hierosolymitis (nec enim aperte et libere loqui audebant propter metum Iudaeorum, ut scriptum est) rursus Christus divinitus agnoscit quae dicebantur » (*Cyr.*) atque iterum testimonium de se reddit minime ambiguum voce in altum sublata quod est magni affectus indicium (*Thom.*), ut clare omnibus innotescat quis sit; omnes enim ad veram sui cognitionem vult adducere v. 28 *clamabat ergo Iesus in templo docens et dicens : et me scitis et unde sim scitis;* « excepto virginis partu totum noverant in Iesu quod ad hominem pertinet : facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat; recte ergo dixit : et me nostis et unde sim scitis, secundum carnem et effigiem hominis quam gerebat » (*Aug. Bed.*). Id igitur Iesus eis concedit (cf. *Cyr. Thom. Bon. Rup. Cai. Tol. Corl. Schg. Schz.*); alii censent per ironiam id dici (*Patr.*), aut per interrogationem esse legendum. Per negationem legunt *Tertullianus, Hilarius :* neque me scitis...; et addit Christus quod praeprimis eos scire oportet et quod origine sua humana nequaquam excluditur : *et a me ipso non veni,* alia in me origo est consideranda, *sed est verus qui misit me, quem vos nescitis;* ἀληθινός explicatur a graecis (*Chr. Cyr.*) oppositione ad ψεύστης, ergo verax; ceterum, uti distinguitur a voce ἀληθής, significat potius genuinum, qui revera est quod nomine profitetur; quare hic potest explicari : revera exsistit is qui me misit, minime a me fingitur; illi quidem eum nesciunt; cf. 5,37. 38; 6,45; nam si Patris testimonium acciperent et ab

eo audivissent, etiam in Christum crederent, uti l. c. declaratur.

Iterum asserit originem suam a Patre aeternam et missionem in tempore; ita explanans quis sit et unde sit praeter originem humanam quam illi se scire iactant v. 29 *ego scio eum quia ab ipso sum et ipse me misit;* scientiam suam de Patre repetit ab origine sua a Patre; παρ' αὐτοῦ ab eo genitus (*Theoph. Euth.*), ab ipso, quia filius de patre et quidquid est filius, de illo est cuius est filius (*Aug.*); unigenitus Filius totum in se Patrem contemplatur et generatoris substantiam in propria natura depingens eo modo ipsam novit quae dicendo exprimi non potest (*Cyr.*) et, ut *Thom.* dicit: omnis cognitio est per aliquam similitudinem; Filius autem perfectissimam Patris similitudinem habet, cum sit eiusdem essentiae et virtutis cum ipso; *ab ipso sum* refertur ad aeternam generationem; *ipse me misit* insinuat Patrem auctorem Incarnationis (*Thom.*), quia homo factus sum ab eo missus (*Tol.*).

Quam diversum effectum verba Christi habuerint narratur v. 30 et 31. Et Iudaei quidem i. e. primores, pharisaei, sacerdotes (*Chr. Cyr. Bon. Ians. Schg. Schz.*) v. 30 *quaerebant ergo* igitur irati quod originem et missionem divinam sibi attribuit, *eum apprehendere;* aliqui id explicant de Hierosolymitanis (v. 25; *Rup. Thom. Mald. Corl.*), id quod vix ad eorum mentem in v. 26 expressam convenit; si enim, uti putabant, principum non intererat eum capere, cur tandem ipsi sibi negotium facesserent? insuper de turba mentio fit postea; *et nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius,* qua scil. ex consilio divino Christus voluit tradi; nondum erat illa hora, de qua postea dixit : ecce appropinquavit hora (Matth. 26,45). Cur itaque illi non potuerint propositum exsequi, dicitur; quibus autem impediti fuerint non exprimitur. Plerumque occulta Christi potentia eos esse coercitos, ut non valerent eum aggredi sentiunt (cf. *Chr. Cyr. Theoph. Thom. Tol. Mald. Corl.*); at miraculum divina virtute factum esse verbis evangelistae non continetur; poterant illi impediri timore populi; multi enim Christo adhaeserunt, eum bonum ac beneficum habebant, praesertim ex Galilaeis, qui ad festum venerant. Quod impedimentum assignari videtur v. 31 *de turba autem multi crediderunt in eum,* ecce alter effectus verborum Christi plane contrarius, qui in plebe simplici cernitur; utique dicendum erit cum *Theoph.* eorum fidem non fuisse perfectam ; *et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* dicuntur credidisse in eum, i. e. eum agnovisse Messiam; quare eorum verba ita intelligi debent, ut, disceptatione de eo in turba exorta, aliis negantibus eum esse Messiam, hi obiecerint dicentes : ponamus eum non esse Christum, verum si Christus venerit, etc. Unde simul patet quid indicare velit

evangelista de sententiis turbae scribens : de turba multi crediderunt.

Apud populum itaque disceptabatur de dignitate messiana eaque dubitantibus valide suadebatur ex multitudine signorum quae talia sint, ut *plura* a Messia nequeant exspectari. Ipse evangelista pauca retulit, supponit itaque alia apud synopticos nota. Iam pharisaeis haec populi affectio reprimenda statim videbatur, si summa principum auctoritate Iesus palam a publicis ministris tamquam malefactor caperetur; ita turbam vel auctoritatis summae reverentia vel saltem timore a sententia esse recessuram; v. 32 *audierunt pharisaei,* de populi in Iesum affectione animoque solliciti, quae dicebantur, compererunt, *turbam murmurantem* γογγύζοντος, mussitantem, sermones clandestinos inter se conferentem; cf. v. 13, *de illo haec et miserunt principes et pharisaei ministros, ut apprehenderent eum,* proin decretum erat a synedristis, quorum duo ordines nominantur οἱ ἀρχιερεῖς et pharisaei, ut Iesus e media turba captus adduceretur; mittuntur ministri, qui tamquam lictores a synedristis deputati, proin illorum auctoritate muniti, vestium habitu aliisque a turba agnosci debebant.

Ad circumfusam multitudinem, in qua et primores quidam aderant (v. 35 Iudaei) et ministri, Christus machinationis illorum conscius loquitur v. 33 *dixit ergo eis Iesus : adhuc modicum tempus vobiscum sum et vado ad eum qui me misit,* ac si dicat : cur me interficere quaeritis? modicum exspectate et sine tanto vestro conatu me capiendum offeram (*Chr. Cyr.*). Egregie significat eos sine sua voluntate nihil posse; se ponere animam quando voluerit; tempus modicum vocat sex illos menses a festo tabernaculorum ad pascha usque; vado i. e. se terram relicturum et ad Patrem ascensurum indicat. Dicit *vado*, ὑπάγω, vobiscum *sum,* tempore praesenti, quo uti solet evangelista haud raro ad rem mox et certo futuram declarandam (*Schz.* cf. *Winer* 40, 2ª); v. 34 *quaeretis me et non invenietis;* minae sunt; « tametsi vitae largitorem invenire demum velitis, eo tamen frui non licebit » (*Cyr.*); alii verba referunt ad calamitatem et excidium urbis, ubi eius praesentiam expetierunt recordati miraculorum eius, ubi opem ferre Messiam quam maxime optarunt (cf. *Chr. Theoph. Euth. Thom. Bon. Ians. Corl. Schz. Fil. Weiss*). Neque obstat quod aliqui monent id ex nulla historia constare (*Mald. Schg.*); nam calamitatibus oppressos recordari eius qui tot miracula patravit, quid est magis ad naturam humanam factum et accommodatum. Alii in universum non de Iesu, sed de Messia accipiunt : quaerent Messiam neque invenient (*Tol.*); quae acceptio verbis non omnino satisfacit : quaeretis *me.* Alii sensu hostili : quaeretis me post resurrectionem etc. ad exstinguendum no-

men meum ; at frustra (*Rup. Cai.*); alii solum exprimi censent : etsi quaererent, tamen non inventuros esse; Iesum enim istis verbis enuntiare se de terris sublatum iri, ita ut inter vivos nequeat reperiri (ita *Theod. heracl.* in cat. Corderii, *Mald. Schg.*); *et ubi ego sum, vos non potestis venire;* explicat illud et *non invenietis* ulterius; quare patet hoc non dici de iis qui eum cum poenitentia quaesituri sunt; *ubi sum* scil. apud Patrem in coelo; videtur esse sensus; ubi tunc sum, quando scil. illi quaerunt (ita *Euth. Mald. Ians. Schg.*); alii cum *Aug. :* non dixit : ubi ero, sed ubi sum; semper enim ibi erat Christus quo fuerat rediturus; sic enim venit ut non recederet (cf. 1, 18; 3,13; *Thom. Tol.*); alii utrumque iungi posse arbitrantur : ubi ego sum semper et ubi tunc ero, in coelesti gloria (*Ians. Corl.*). Dixerat : vado ad eum qui me misit; eum Patrem, Deum esse clare significavit (cf. v. 28. 29; 5,37. 38 etc.); unde hisce verbis : vos non potestis venire, idem iis minatur, quod Matth. 8,12 filii regni eiicientur in tenebras exteriores, et 21,43 auferetur a vobis regnum Dei.

Iudaei inter se verba Iesu in calumniam et derisum trahunt (*Ians.*); illud : vado ad eum qui me misit, prorsus negligunt, quia missionem eius divinam non credunt et quia, si respicerent, non intellexissent verum sensum; unde iis omissis v. 35 *dixerunt ergo Iudaei ad semetipsos,* inter se : *quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est et docturus gentes?* hoc cum contemptu dicunt : quia apud nos nihil proficit, fortasse ad atheos et peccatores immundos ibit docturus; διασπορά dicitur apud LXX de Iudaeis inter alios populos dispersis, de exsulibus (cf. Deut. 28,25; 30,4. Ier. 34,17. Is. 49,6. Iudith 5,18; Ps. 147,2. 2 Mach. 1, 29; *Grimm,* Lex.). Quare διασπορὰ τῶν Ἑλλήνων explicari debebit eo modo quo grammatici loquuntur de genetivo chorographico vel topographico (cf. *Krüger,* 47,5,5. 7; *Winer,* 30,2) i. e. dispersio quae est apud gentes, ergo : Iudaei dispersi inter gentes. At quamvis de verbis ridere conentur, tamen omnino persentiscunt grave quid iis contineri; quare non sine animorum quadam inquiete et sollicitudine diutius verbis illis ruminando inhaerent v. 36 *quis est hic sermo, quem dixit : quaeretis me et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire?* volebant prius gravitatem verborum et comminationem dissimulare et quasi obruere ioco petulanti v. 35; sed id efficere non poterant. Haeret animis aculeus quidam.

c) Iesus in ultimo die festivitatis 7,37-53.

7,37. In novissimo autem die magno festivitatis, stabat Iesus et clamabat,

7,37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς, καὶ

dicens : Si quis sitit, veniat ad me et bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae.

39. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 40. Ex illa ergo turba quum audissent hos sermones eius, dicebant : Hic est vere propheta. 41. Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Numquid a Galilaea venit Christus? 42. Nonne Scriptura dicit : Quia ex semine David et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus?

43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum; sed nemo misit super eum manus.

45. Venerunt ergo ministri ad pontifices et pharisaeos. Et dixerunt eis illi : Quare non adduxistis illum? 46. Responderunt ministri : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis pharisaei : Numquid et vos seducti estis? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisaeis? 49. Sed turba haec, quae non novit legem, maledicti sunt.

50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis : 51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat? 52. Responderunt et dixerunt ei : Numquid et tu Galilaeus es? Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilaea propheta non surgit.

53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

ἔκραζεν λέγων, Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω· 38. ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος.

39. τοῦτο δὲ εἶπεν περὶ τοῦ Πνεύματος ὃ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν· οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα Ἅγιον δεδομένον ὅτι Ἰησοῦς οὔπω ἐδοξάσθη. 40. ἐκ τοῦ ὄχλου οὖν ἀκούσαντες τῶν λόγων τούτων ἔλεγον, Οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης. 41. ἄλλοι ἔλεγον, Οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός. οἱ δὲ ἔλεγον, Μὴ γὰρ ἐκ τῆς Γαλιλαίας ὁ Χριστὸς ἔρχεται; 42. οὐχ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαυείδ, καὶ ἀπὸ Βηθλεέμ, τῆς κώμης ὅπου ἦν Δαυείδ, ἔρχεται ὁ Χριστός;

43. σχίσμα οὖν ἐγένετο ἐν τῷ ὄχλῳ δι' αὐτόν. 44. τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν πιάσαι αὐτόν, ἀλλ' οὐδεὶς ἔβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας.

45. ἦλθον οὖν οἱ ὑπηρέται πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαίους· καὶ εἶπον αὐτοῖς ἐκεῖνοι, Διατί οὐκ ἠγάγετε αὐτόν; 46. ἀπεκρίθησαν οἱ ὑπηρέται, Οὐδέποτε ἐλάλησεν οὕτως ἄνθρωπος, [ὡς οὗτος λαλεῖ ὁ ἄνθρωπος]. 47. ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ Φαρισαῖοι, Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε; 48. μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτὸν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; 49. ἀλλὰ ὁ ὄχλος οὗτος, ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπάρατοί εἰσιν.

50. Λέγει Νικόδημος πρὸς αὐτούς, ὁ ἐλθὼν πρὸς αὐτὸν πρότερον, εἷς ὢν ἐξ αὐτῶν, 51. Μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, ἐὰν μὴ ἀκούσῃ πρῶτον παρ' αὐτοῦ, καὶ γνῷ τί ποιεῖ; 52. ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπαν αὐτῷ, Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ; ἐρεύνησον καὶ ἴδε, ὅτι ἐκ τῆς Γαλιλαίας προφήτης οὐκ ἐγήγερται.

53. Καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

In v. 37 εκραζεν ℵ D it vulg sah cop Chr; pler εκραξεν; sin om in novissimo; v. 38 sin omnis qui credit. In v. 39 πνευμα sine additam ℵ K T Π 42.91. cop arm Or Cyr Hesych dun fuld ger lind; add αγιον L X Γ Δ Λ unc 6 al pler Did Ath Chr Theod, med d f; αγιον δεδομενον B e q; tantum *datus* a b c ff² l r Aug, pler codd vulg; spiritus sanctus in eis f; sin nam usque ad id tempus non datus erat. In v. 40.41 sin aliqui ex populo dicebant : hic est vere Messias... nonne sic est scriptum. In v. 44 sin nemo poterat manus ei iniicere; v. 45 sin et reversi sunt hi satellites et venerunt ad tur-

bam et pharisaeos, et sacerdotes et pharisaei dicebant eis : non adduxistis eum? v. 46 quod locutus est vir hic; v. 49 sin om maledicti sunt. In v. 50 א* Ti om ο ελθων etc.; προτερον א^c B L T mu minusc sah Cyr; e primo tempore, a prius; add νυκτος (ante vel post προτ) mu minusc sin c ff^2 r cop arm aeth. In v. 52 add scripturas cav theod mt ken val wil steph sixt ox tol corp harl a c d (scrutina et vide script., uti D) e ff^2 l r; non surget e eg theod car rush val harl; exsurget l r, deest v. 53 in sin; pariter om in iis codd qui pericopen de adultera non habent; de iis postea agetur.

Videntur haec omnia a v. 14 gesta esse festo mediante. Certum tamen non est, cum v. 31 etiam longius spatium indicari non sit improbabile. Quae ultimo die festi acta sint, iam breviter perstringuntur v. 37 *in novissimo autem die magno festivitatis* i. e. die octavo (*Rup. Cai. Tol. Ians. Patr. Corl. Schz. Fil.*), uti patet quoque Lev. 23,36. Num. 29,35 die octavo qui est celeberrimus, omne opus servile non facietis; eo die coetus sacer erat celebrandus; eo itaque die magna hominum multitudo convenire solebat. Antequam qui ad festum ex omni regione ascenderant in urbem festo peracto domum redirent, voluit Iesus denuo omnium animis suam offerre salutem; unde *stabat Iesus* omnibus conspicuus *et clamabat*, ut cordibus verba tenacius infigeret, ut se libere atque intrepide loqui et docere significaret, ut surditatem et duritiem Iudaeorum in credendo reprehenderet; clamat quia hoc erat ultimum festum ex his quae in hoc saeculo celebravit, quando scil. multitudo ex variis regionibus convenire tenebatur (*Tol.*), *dicens : si quis sitit, veniat ad me et bibat;* probabile est Christum opportunitatem arripuisse ex ritu libaminum, qui iis diebus (etiam octavo?) observabatur; nam sacerdos quotidie mane vase aureo aquam ex fonte Siloe haustam sollemni ritu in templum ferebat et in cornu altaris vino mistam effundebat levitis interim hallel decantantibus et populo ingenti laetitia gestiente (*Corl. Schg. Schz. Fil. Weiss, Keil, Edersheim* l. c. II p. 156); eo ritu in memoriam revocabatur quanto beneficio in deserto populus aquam accepisset a Domino; fortasse verba prophetarum (Is. 12,3. Ioel 3,18. Zach. 13,1) eum ritum commendare iis videbantur. Christus itaque se esse verum fontem vitae, a quo omne desiderium animorum perfecte expleatur elata voce proclamat omnesque ad se invitat. Iis verbis iterum se eum esse clare significat quem prophetae annuntiarunt; cf. Is. 49,10 ad fontes aquarum potabit eos; pariter Is. 12,3; 44,3; 65,13; se igitur eum esse dicit qui omnem exspectationem temporis messiani ubertim adimplere possit; qui itaque bona illa a prophetis praedicta desiderat, accedat; insuper eo modo loquitur, quo Sapientia loquens inducitur Eccli. 24,29. Idem enuntiat Matth. 11,28.

Et quanta bona ab eo deriventur, proponitur v. 38 *qui credit in me,*

sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae; flumina ubertatem et copiam gratiae indicant; aqua dicitur viva, quae semper operatur; Spiritus enim gratia, cum in animam ingressa et stabilita fuerit, plus quam fons quivis scaturit, neque cessat (*Chr. Euth.*). Proin qui in eum credit, fiet in eo fons, a quo flumina aquae vivae fluent prae abundantia et copia fontis; quo verbo significatur credentes accepturos tale ac tantum bonum, ut non ipsis tantum sufficiat, sed in alios quoque derivetur et redundet (*Tol. Cai. Ians. Schz.*); « ita enim donis Spiritus cumulatus erit, ut non solum ipse animo pinguescat sed et aliorum corda possit alluere, instar magni fluminis missum divinitus bonum in proxima quoque derivantis; idipsum sanctis apostolis praecipiebat dicens : gratis accepistis, gratis date » (*Cyr.* sim. *Aug. Bed. Rup. Thom. Bar.*); fluminum impetu perrumpi obstacula, monet *Chr.*, ita quoque per Spiritum superari insidias et violentiam tyrannorum et furorem gentium. Sed ubi haec verba in Scriptura reperiuntur? Cum nullibi totidem verba legantur, putarunt aliqui iungendum esse : qui credit in me, sicut dicit Scriptura i. e. non tam ex signis quam Scriptura duce esse credendum (cf. *Chr. Theoph. Euth. Alb. Thom. Cai.* et ita fieri posse etiam *Patr.* concedit). Quae sane interpretatio subtilior est. Christus non verba, sed sensum Scripturae exprimit, uti iam *Cyr.* notat. Saepe enim sermo est de abundantia gratiarum tempore messiano conferenda et haud raro ista abundantia metaphora aquae exprimitur; unde generatim dicunt Christum eorum locorum sensum verbis illis explicasse; ita Is. 41,18; 44,3; 55,1; 58,11. Ez. 36,25; 39,29; Ioel 2,28. Prov. 10,11 (cf. *Ians. Mald. Corl. Schg. Schz. Fil.*); praecipue monet *Bar.* apta esse effata Eccli. 21,16 scientia sapientis tamquam inundatio abundabit et consilium illius sicut fons vitae permanet, et 24,40 seq. ubi Sapientia loquitur : ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquae immensae de fluvio etc. Minus bene aliqui provocant ad Prov. 5,15. 16 (*Tol.*). De ventre ἐκ τῆς κοιλίας, ex intimis hominis, ex eius animo; ponitur κοιλία apud LXX saepius pro hebr. בֶּטֶן; cf. Prov. 18,20 et 20,27 (lucerna Domini quae investigat omnia secreta ventris), Iob 15,35 (uterus eius praeparat dolos), Eccli. 51,21 (29 vulg.); unde colligitur κοιλίαν poni pro sede cogitationum et consiliorum et hominis interiora considerari eiusmodi sedem.

Atque ipse evangelista authentice explicat verba v. 39 *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, datus*, δεδομένον rectum est interpretamentum (vide lect. var.); nam quo sensu dicatur : nondum erat Spiritus, patet ex membro antecedenti : de

Spiritu quem accepturi erant; hic ergo Spiritus nondum erat acceptus, eo modo quo ipse eum largiturus erat in sua gloria constitutus, ita scil. ut multiplicia illa charismata darentur et visibilia illa signa praesentiae Spiritus apparerent in impositione manuum apostolorum. Intelligitur itaque descensus Spiritus in apostolos, discipulos, fideles, in quibus manifestius et abundantius, quam in vetere foedere, dona Spiritus reponuntur (cf. *Chr. Cyr. Thom. Bon. Cai. Tol. Corl. Schz.*). Nam, ut *Aug.* dicit et ex eo *Beda,* modus quidam futurus erat dationis huius qui omnino antea non apparuerat; de ipso hic dicitur. Voluit Deus merita Christi a Christo glorificato in Ecclesiae utilitatem et splendorem impendi; quare ipse dicit 16,7 expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos, et pari modo apostolus dicit : resurrexit propter iustificationem nostram (Rom. 4,25) scil. hominibus ut eam largiretur. Nam sedens in gloria ad dexteram Patris Ecclesiam regit, protegit, ditat, donec consummatione saeculorum facta tradiderit regnum Deo et Patri (1 Cor. 15,24).

Quid ex Christi doctrina secutum sit, narrat evangelista : variae turbae opiniones exstiterunt (*Tol.*) v. 40 *ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius,* quorum profecto evangelista solum retulit thema (*Corl.*), *dicebant : hic est vere propheta* ὁ προφήτης ille eximius qui exspectabatur veluti praecursor Messiae; cf. 1,21; v. 41 *alii dicebant : hic est Christus; quidam autem dicebant : numquid a Galilaea venit Christus?* v. 42 *nonne Scriptura dicit*, *quia ex semine David et de Bethlehem castello* τῆς κώμης, pago, vico *ubi erat David*, 1 Reg. 16, 1 seq. 17,58 *venit Christus?* hi itaque nescierunt[1] Iesum natum esse Bethlehem, quod utique mirum non est, cum Iesus post reditum ex Aegypto in Nazareth esset enutritus; pariter nescire videntur parentes eius esse de domo et familia David (Matth. 1,20. Luc. 1,27; 2,4). Cum evangelista rem notam supponat iam a synopticis clare traditam, hunc errorem non corrigit. Messiam fore ex semine David, vide 2 Reg. 7,16. Ps. 88,30. 37. 38, Is. 11,1. Ier. 23,5; 33,15. Ez. 34,24; Os. 3,5, Am. 9,11; ex Bethlehem Mich. 5,2. Tres itaque opiniones proferebantur; nulla praevaluit; inter se disceptabant v. 43 *dissensio* σχίσμα discidium *itaque facta est in turba propter eum;* nulla pars victoriam

1. Ex qua loquendi ratione turbarum, uti etiam ex modo loquendi 1,45. 46, sibi fingit « schola critica » negari ac reiici narrationes synopticas de nativitate Iesu (Galilaea gilt als Vaterland unter abermaliger Verleugnung der synopt. Geburtsgeschichten, Handcom. p. 125). Sed turbas nescire Iesum natum in Bethlehem, facillime explicatur, cum a teneris annis enutritus esset in Nazareth (Matth. 2,23. Luc. 2,51; 4,16) quod oppidum insuper erat domicilium Ioseph et Mariae (Luc. 1,26; 2,4). Et quia synopticorum narratio nota erat, evangelista hunc errorem turbarum minime corrigere debuit.

reportabat neque alteri suam persuadebat sententiam. Adnotat *Cai.* : universum hoc capitulum narrativum est dissensionum, usque adeo ut si supputemus, ad septenarium numerum ascendant. Elucet tamen ex his quam acriter quaestio de Messia agitata sit; at plerique praeiudicatis opinionibus erant impliciti, timore synedristarum continebantur, alii parum solliciti, ut dubitationes solverentur, parum cupidi verum discendi (*Chr.*), alii in id levissima quaque specie intenti, ut evincerent eum non esse Christum aliisque persuaderent. Atque hi suis argutiis vim addere tentabant v. 44 *quidam autem ex ipsis,* scil. qui dicebant : numquid a Galilaea venit (*Thom. Cai. Tol. Mald.* etc.), non ex ministris (*Cyr. Bon.*) qui in v. 45 demum nominantur, *volebant apprehendere eum,* ei ita quasi re ipsa demonstrare eum non esse Messiam; verum si intellexissent quod Is. 7,15. 16 dicitur minime offendi poterant eo quod Messias in Galilaea adolescebat (vide quae dixi ad Is. l. c.); *sed nemo misit super eum manus;* omnis conatus irritus factus est. Qua ratione non dicitur; vide ad v. 30.

Ministri a synedristis missi erant, ut videtur, iam quarto festivitatis die v. 32. Per dies itaque sequentes Dominum audiebant docentem exspectantes tempus et locum opportunum ad iussa exsequenda. At maiestate Iesu ac reverentia eius perculsi non ausi sunt manus ei inferre v. 45 *venerunt ergo ministri ad pontifices et pharisaeos,* ad synedristas, a quibus missi erant v. 32; *et dixerunt eis illi : quare non adduxistis illum?* « non parvam exspectationem vel attentionem evangelista innuit pontificum et pharisaeorum tam prompta percontatione dicentium : quare non adduxistis illum » (*Rup.*). Indignantur de re infecta; rationem exigunt; ardens produnt studium Dominum perdendi (*Ians.*); v. 46 *responderunt ministri : nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo;* intrepide fatentur se maxima quadam reverentia eius coercitos fuisse; neque verentur hanc suam venerationem coram iis libere profiteri, quos eius adversarios capitales norunt; neque iis curae est quod apud eos muneri suo maxime defuisse censendi sunt. Libertatem dicendi et ingenuam eorum indolem merito laudant interpretes; neque ullam aliam excusationem quam fingere facile poterant praetexunt : non potuimus prae turba quae eum ut prophetam audit (*Chr. Euth.*), neque quae placere possent synedristis dicunt, sed quae illis displicere quam maxime norunt (*Theoph.*). Vim fatentur sermonis Domini, quo ita transformati sint, ut quod decreverant iam non exsequi potuerint. Gloriosum de Christo reddunt testimonium; in eorum admiratione et stupore et reverentia praeclare elucet potentia Christi. Ceterum ut tale testimonium ab ipsis satellitibus, rudi hominum genere, exhiberetur synedristis, divina dispositione factum est, ad coar-

guendam eorum malitiam et caecitatem, ut quod illi moliebantur ad Domini ignominiam, proficeret ad eius gloriam (*Ians.*). Redduntur hi ministri, ut ait *Thom.*, commendabiles ex tribus : ex admirationis causa, quia non propter miracula, sed propter doctrinam Christum mirabantur, ex conversionis facilitate, ex animi securitate, quia ipsis pharisaeis adversariis scil. infensissimis talia dicunt de Christo. At longius aliqui procedunt putantes eos sic loquendo agnovisse divinam Christi naturam (*Cyr.*). Vim et gratiam sermonis Domini ita declarat *Bon.* : nunquam sic dulciter, doctrinaliter, sapienter, potenter, utiliter locutus est homo.

Iterum ergo Dominus adversariis dedit potentiae suae documentum. At illi indignabundi invehuntur in ministros v. 47 *responderunt ergo eis pharisaei : numquid et vos seducti estis?* μή i. e. ita quaerunt, ut tamen se exspectare ostendant eos non esse seductos; simul enuntiant quid de iis sentiant qui Iesum venerantur, eos esse seductos, a recta via abductos, in errores inductos. Et argumento ex auctoritate desumpto illam reverentiam eis convellere student. Animorum iram et commotionem ipsa interrogandi forma manifestant v. 48 *numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisaeis?* illi auctoritatem, hi pietatem, utrique scientiam habent opinione vulgari (cf. *Thom. Bon. Cai. Mald.* etc.); unde argumentum specie sat validum proferunt; idque ex opposito confirmant : qui sunt qui credant? v. 49 *sed turba haec quae non novit legem, maledicti sunt;* credunt plebeii, homines infimi, ignorantes legem, irae Dei obnoxii! maximo contemptu loquuntur hi populi duces et pastores. Non habent quod ministris opponant nisi suam ipsorum obstinationem, rabiem et contemptum aliorum omnium. Iam eam prae se ferunt indolis superbiam, arrogantiam, tumorem, quibus rabbini populum terrae (עם הארץ) insectari et proscindere solent (cf. *Wetstein* ad h. l., *Wünsche*) tamquam abominationem.

In tam frequenti concilio praeter unum non est repertus qui contra scelestas molitiones innocentiae et iustitiae patrocinaretur; per quem tamen declaratum satis est falso illos dixisse, neminem principum credere in Iesum (*Ians.*) v. 50 *dixit Nicodemus ad eos ille qui venit ad eum nocte*, cf. 3,2, *qui unus erat ex ipsis*, synedrista, βουλευτής (cf. Luc. 23,50), v. 51 *numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso et cognoverit quid faciat?* valde prudenter in tali animorum perturbatione et odio loquitur. Noscit enim eorum furorem, malitiam; unde prudenter non aperte Iesu patrocinium suscipit, non eius defensionem aggreditur; unum postulat quod ipsa lex fieri iubet; zelo legis ea solum loquitur pro Iesu quae pro pessimo quoque

viro, sed nondum legitime convicto dici poterant (*Ians.*), immo debebant. Legem unice appellat ut servent custodes et aemulatores legis; vide Ex. 23,1 seq. Lev. 19,15. Deut. 1,16; 13,14; 16,18; 17,4; 19,18; hisce inter alia diligentissima inquisitio praescribitur. Proin saltem hoc iuris tribuatur Iesu quod est commune omnium et quod a lege maleficis quoque conceditur. Ratione habita odii et furoris synedristarum profecto prudentissimum erat id solum in medium proferre; hoc ab eis evinci aliquo modo sperari poterat. Si aperte Iesum laudasset aut suum in eum affectum professus esset, quid effecisset aliud, nisi maius odii incendium impotentioremque eorum rabiem et insaniam? Proin ita debuit Iesum tueri, ut non statim id agere velle videretur; nam si suspectus esse coepisset, causam a limine perdidisset (*Mald.*). Quare non est assentiendum iis qui hoc loco Nicodemum timidum accusant quia non aperte se discipulum Iesu professus esset (cf. *Cyr. Aug. Bed. Thom.*).

Verum illi quod sano et aequo animo dictum erat et ipsa lege requirebatur, statim ex affectu vitioso profectum damnant et Nicodemo iniuriam inferunt v. 52 *responderunt et dixerunt ei: numquid et tu Galilaeus es* ἐκ τῆς Γαλιλαίας; proinde non Galilaeus, quasi a Galilaeo seductus, in Galilaeum credens, Galilaei imitator (uti ex solo textu latino explicant *Aug. Bed. Thom. Bon. Cai.*), sed: numquid et tu oriundus es ex Galilaea, ideoque ex amore patriae tueris Galilaeum? Optime sciebant eum non esse ex Galilaea; sed nolebant concedere eum sensu iustitiae et amore legis locutum esse, verum eum affectu praepostero deceptum illius patrocinium suscepisse. Adeo odio in Iesum et in omnes qui eum non abhorrebant praeoccupati erant. Immo invicte probare volunt Iesum quidquid miraculorum edat non posse esse ne prophetam quidem; *scrutare* (*Scripturas*) *et vide quia a Galilaea propheta non surgit;* non respondent ad id quod Nicodemus postulavit; etsi propheta non surgat a Galilaea, quid ad rem? nam legem sententiae ferendae ut servent monentur, ne quem sine inquisitione condemnent. Proin effugia quaerunt, pessimae conscientiae signa et indicia. Sentiunt aequum et iustum postulari; quod ut declinent ad aliena deflectunt. Ceterum unde sciunt prophetam non posse venire a Galilaea? Deus tribum nullam, nullam regionem exclusit; prophetam de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi (Deut. 18,15. 18); immo mulieres ea dignitate ornavit. Veteres saepius monent falsum locutos pharisaeos, cum Debora probabilissime fuerit a Galilaea, id quod valde incertum est; habitabat enim in monte Ephraim (Iud. 4.5). Sed Ionas filius Amathi erat propheta a Galilaea oriundus (4 Reg. 14,25) et de Nahum prophetae patria Elcosch scribit Hieronymus esse

viculum in Galilaea (Prolog. in Nahum; cf. *Corl. Schg. Schz. Fil.*). Demum infecto negotio (*Thom.*) domum redeunt v. 53 *et reversi sunt unusquisque in domum suam;* ad hoc profecit Nicodemi iustum, etsi non sufficiens patrocinium, ut eius interpellatione malignum hoc concilium in praesens dissolveretur (*Ians.*); hoc saltem obtinuit ut differrent sententiam (*Tol.*) et hoc voluit evangelista declarare, profuisse Nicodemi consilium, ut dissoluta congregatione in suam quisque domum abiret (*Mald.*) vel ut *Cai.* dicit hunc bonum fructum dissensione partum esse.

d) Adducunt adulteram ad Iesum 8,1-11.

8,1. Iesus autem perrexit in montem Oliveti; 2. Et diluculo iterum venit in templum; et omnis populus venit ad eum; et sedens docebat eos. 3. Adducunt autem scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio. 4. Et dixerunt ei : Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Quum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus; et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Iesus dixit ei : Mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? 11. Quae dixit : Nemo, Domine. Dixit autem Iesus : Nec ego te condemnabo. Vade, et iam amplius noli peccare.

8,1. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν· 2. ὄρθρου δὲ πάλιν παρεγένετο εἰς τὸ ἱερὸν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἤρχετο πρὸς αὐτόν· καὶ καθίσας ἐδίδασκεν αὐτούς. 3. ἄγουσιν δὲ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι γυναῖκα ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην, καὶ στήσαντες αὐτὴν ἐν μέσῳ, 4. λέγουσιν αὐτῷ, Διδάσκαλε, αὕτη ἡ γυνὴ κατελήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη. 5. ἐν δὲ τῷ νόμῳ Μωυσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι· σὺ οὖν τί λέγεις; 6. τοῦτο δὲ ἔλεγον πειράζοντες αὐτὸν, ἵνα ἔχωσιν κατηγορεῖν αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰησοῦς κάτω κύψας, τῷ δακτύλῳ ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν· 7. ὡς δὲ ἐπέμενον ἐρωτῶντες αὐτὸν, ἀνακύψας εἶπεν πρὸς αὐτοὺς, Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν πρῶτος τὸν λίθον ἐπ' αὐτὴν βαλέτω. 8. καὶ πάλιν κάτω κύψας ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν. 9. οἱ δὲ ἀκούσαντες (καὶ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι) ἐξήρχοντο εἷς καθεῖς, ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων· καὶ κατελείφθη μόνος ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡ γυνὴ ἐν μέσῳ οὖσα. 10. ἀνακύψας δὲ ὁ Ἰησοῦς, καὶ μηδένα θεασάμενος πλὴν τῆς γυναικὸς, εἶπεν αὐτῇ, Γύναι, ποῦ εἰσὶν ἐκεῖνοι οἱ κατήγοροί σου; οὐδείς σε κατέκρινεν; 11. ἡ δὲ εἶπεν, Οὐδείς, κύριε. εἶπεν δὲ ὁ Ἰησοῦς, Οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω· πορεύου καὶ μηκέτι ἁμάρτανε.

De hac parte eiusque authentia vide quae disputat *Cornely*, Introd. III. ed. 2 p. 233 seq. Legitur haec pericope in D F G H K U Γ (et cum asteriscis in E M S Λ Π al 15, in alq minusc arm codd pler), in minusc plus 300, uti Hieronymus dicit in multis et graecis et lat. codd, b* c e ff² g aeth syr (hr) vulg arr sl sax perss, Const. ap 2,24,4, Hier Ambr Aug, Euth Syn (inter opera Athan). Concedit *Ti :* a tertio inde saeculo in codd graecis et lat. legi coeptum esse locum; item apud Graecos ad sollemnia in memoriam sanctarum feminarum Pelagiae, Theodorae alex., Eudociae

Mariae aegypt. aliarum ex multis saeculis adhibitam esse istam pericopen certum est, uti permulta evangelistaria, numero fere centum, testantur. In aliquibus minusc. legitur in fine evangelii, in aliis ad Luc. 21,38; immo recentiores aliqui censent eam olim synopticis fuisse communem vel Marc. 12,17 vel Matth. 22,23 fuisse adscriptam (Hitzig, Wittichen, Holtzmann, Weiss, cf. *Schz.*). Quare etiam acatholici plerumque concedunt eam fluxisse ex apostolica traditione. Multo facilius explicatur quomodo sit omissa quam quomodo sit admissa et per orbem sparsa. Et *Aug.* quidem dicit nonnullos modicae fidei vel potius inimicos verae fidei metuentes peccati impunitatem dari mulieribus suis hanc narrationem abstulisse de codicibus suis (de adult. coniug. 2,7; *M.* 40,474), idemque Nicon affirmat de Armenis, quia noxia sit plerisque eam audientibus (de impia Arm. relig. 2; M. 1,655). Eam legerunt Pacianus (saec. 4, ad Sympr. 3,20) Leo M. (serm. 62, al. 60), Chrysologus, Sedulius, Cassiodorus; apud Syros fuisse notam testis est Iacobus sarug. qui eam in prolixo sermone exposuit (cf. *Corl.*). Porro eam a textu commode avelli non posse colligitur ex 8,20, ubi *docens in templo* plane abundaret, quia omissa hac parte, 7,53-8,11 Iesus non egreditur e templo et totum agitur die octavo scenopegiae; quod dicitur 8,15 potest esse allusio ad hanc narrationem.

Deest autem in ℵ A B C T X, L Δ spatium vacuum habent; deest in mu minusc plus 60 et in mu evang. (plus 30), in a f q go sah syr (sin cu sch) pler codd copt; deest apud Or Chr Cyr Apol Cosm Bas Ammon Nonn Theoph Tert Cypr Hil Iuvenc. Contra illam pericopen etiam diversitas generis dicendi affertur : ὄρθρου pro πρωΐ; πᾶς ὁ λαός pro ὁ ὄχλος; ἐνετείλατο, ἀναμάρτητος, κατακρίνειν; deest οὖν, eius loco δέ adhibetur. Sed adverte, textum primigenium in tanta lectionum varietate discerni non posse; ita v. g. pro ορθρου praebetur Γ 272 και οτε; πας ο λαος plures minusc om et λαος habetur 11,50.18,14; pro γραμματεις (qua voce Ioannes non utitur alias) alq minusc cop arm codd habent οι αρχιερεις; al om γραμμ.; pro ενετειλατο D habet εκελευσεν ceterum εντελλομαι legitur quoque 14,31 et 15,14.17; pro κατακρινειν in v. 11 sat mu κρινειν praebent. Porro δε alias quoque legitur, 7,37-44 quater; et in nostra pericope lectionibus var. δε saepius om, saepius eius loco ponitur και. Alibi quoque reperiuntur ἅπαξ λεγόμενα; cf. 9,21.22.28 ηλικιαν εχειν, συντιθεσθαι, λοιδορειν (*Corl.*).

Ex actis Concilii tridentini indubie patet Patres in decreto de canonicis Scripturis nomine partium ante omnia intendisse fragmenta, particulas evangeliorum et decretum in eam redegisse formam, ut dubia de quibusdam particulis evangeliorum tollerentur (cf. *Theiner*, Acta I p. 71 seq. 84 seq.). Quare tenendum est pericopen pertinere ad Scripturam inspiratam. Eam autem ab ipso Ioanne esse scriptam non est ullo modo definitum[1].

In v. 2 D om et sedens docebat eos. In v. 3 D αμαρτεια pro μοιχεια. In v. 4 D add εκπειραζοντες αυτον οι ιερεις ινα εχωσιν κατηγορειαν αυτου, sed om in v. 6; e sponte moechata est. In v. 8 τω δακτυλω D alq minusc Hier Aug ff²; in v. 6.8 codd sat mu vulg in terram, e super terram; et U al 20 fere add ad v. 8 ενος εκαστου αυτων τας αμαρτιας, eadem habentur in codice quodam alexandrino (cf. Assemani, bibl. or. 2,170) et apud Hier (Pelag. 2,17) et Barh. In v. 9 add E G H K S και υπο της συνειδησεως ελεγχομενοι. In v. 11 απο του νυν μηκετι D M S U Γ al 140 fere; ex hoc iam c d ff² r; a modo Amb Hier; deinceps iam Aug. Veteres commentatores in catenis

(1) De quaestione tum dogmatica tum critica fuse egit et solide *Corluy* in periodico Études religieuses Nov. 1876 et Januar. Febr. 1877. In commentario evang. corrigit ipse errorem in quem inductus erat a Le Hir, scil. istam pericopen probabilius adfuisse in syr cu·

ad evangelium Ioannis concinnatis nullam interpretationem afferunt ad pericopam hanc de adultera. Sed bene notat *Cramer*, qui catenas edidit in evangelia, tomo II p. VI : « cum autem omnes, uti mihi videtur, catenae, ad S. Chrysostomi interpretationem accommodatae sunt ut earum basin, id argumentum (contra authentiam illius pericopae) non ultra illius Patris silentium, licet hoc grave sit, extendere aequum esse videtur. Magis ex re foret scholiastarum anonymorum, qui notata exscripserunt in marginibus plurimorum exemplarium ev. S. Ioannis, de hac pericopa sententias recensere »; et ipse affert scholion ex codice qui ad saeculum decimum referendus videtur, in cuius margine scholion legitur ταῦτα μετὰ τοῦ κεφαλαίου τῆς μοιχαλίδος ἔν τισι τῶν ἀντιγράφων ὠβέλισται. — Notat *Barh.* inveniri in codice alexandrino sectionem de adultera.

Etiam in genere dicendi narratio haec de adultera satis accedit ad modum quem in usu vocabulorum apud evangelistam deprehendimus; ita v. 5 λιθάζειν (quae est lectio magis codicibus commendata), uti Ioan. 10,31.32.33; 11,8; et μηκέτι ἁμάρτανε, uti 5,14; apud Ioan. ἐρωτᾶν in notione interrogandi valde frequens est (c. 17 vicibus), et etiam hic in v. 7 ea notione reperitur. Si textum narrationis, uti in D habetur, accuratius inspexeris etiam alia invenies quae cum modo scribendi evangelistae congruunt; ibi enim habentur οἱ Ἰουδαῖοι, uti saepe apud Ioan.; ibi in v. 4 κατηγορία, uti 18,29, quae vox apud synopticos non legitur; ibi v. 4 οἱ ἱερεῖς uti 1,19. Invenitur eadem narratio in antiqua illa didascalia quae solum syriaca in versione ad nos pervenit sed quae est basis constitutionum apostolicarum. Verum qui eam pericopam evangelistae negant, statuunt eam ex evangelio apocrypho Petri in didascaliam et inde in constitutiones apostolicas esse depromptam. Sed de isto evangelio apocrypho paucissima reperta sunt ex historia passionis et resurrectionis; etsi in uno loco levis quaedam allusio deprehendatur ad evangelium Petri, certe non sequitur etiam illam narrationem, ut vult Harnack, inde esse desumptam; nam ipso Harnack fatente plura occurrunt in illa didascalia quae non possunt esse derivata ex illo evangelio, utpote ei plane opposita (cf. *Harnack*, Bruchstücke des Evangeliums Petri etc. 2 ed. p. 41 seq.). Cur itaque illa didascalia (oriunda ex priore parte saec. 3) non sit adnumeranda testibus istius pericopes in evangelio, non est ratio solida (cf. *Funk*, Die apostolischen Constitutionen, p. 64; in quo opere praeclare agitur de illa didascalia p. 28 seq.).

Narrationem hanc minime a contextu evangelii esse alienam, iam aliqui veterum adverterunt. Ita *Bon.* : quia non poterant occidere, quaerebant invenire occasionem, ut eum caperent in sermone; et *Rup.* : quia Nicodemus iniquitati eorum secundum legem fecerat obstaculum, nunc summo studio nituntur illum constituere legis adversarium, ut nemo deinceps contra ipsorum audeat mutire consilium; ex recentioribus autem narratione hac et sequentia praeparari et indolem Iudaeorum designari *Keppler, I. Grimm* ostendunt. Quare e contextu quoque authentia comprobatur v. 1 *Iesus autem perrexit in montem oliveti*, ut illi domum ibant, ita Iesus in eum se contulit locum, ubi postea quoque noctem transigere saepius solebat (Luc. 21,37); censet *Euth.* id eum fecisse, ut nocturnas insidias declinaret. Mons ob frequentes in eo plantatas olivas ita vocabatur; ab urbe situs erat

orientem versus, sabbati habens iter Act. 1.12. i. e. duo millia cubitorum, i. e. leucae fere quadrante distans. *Corl.*: inter urbem et montem erat vallis Cedron; v. 2 *et diluculo iterum venit in templum* τὸ ἱερόν, qua voce totus templi circuitus, totus aedificiorum, porticuum, atriorum ad templum pertinentium complexus designatur, dum ὁ ναός aedem sacram, duabus e partibus constantem significat (cf. *Grimm*, Lex.); *et omnis populus* i. e. magna multitudo, *venit ad eum;* sollemnitate illa et Iudaeorum insidiis omnium in eum oculi convertebantur; ipsa quoque opinionum de eo diversitate alii alliciebantur ad eum audiendum, *et sedens docebat eos*, scil. in atrio, vel in aliqua porticu (cf. 10,23); doctoris proprium erat sedendo docere (*Corl.*).

Ultimus festivitatis dies magna laetitia celebrabatur. Facile autem laetitia in lasciviam vertitur; v. 3 *adducunt autem scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam et statuerunt eam in medio* v. 4 *et dixerunt ei : magister*, rabbi, honorifico verbo eum appellant, ut fraudem contegant, neque enim esse vero simile malo rogare animo qui eum magistrum vocant seque quasi discipulos confitentur (*Mald.*), *haec mulier modo deprehensa est in adulterio* ἐπ' αὐτοφώρῳ i. e. αὐτελέγκτως, αὐτοφανῶς, προδήλως (*Euth.*); proprie in ipso furto deprehensa, dein generatim in ipso actu scelesto; hoc addunt, ne ulterior probatio requiratur; rem esse certam et compertam, quam ne ipsa quidem rea negare possit (*Mald. Tol.*); v. 5 *in lege autem Moyses mandavit nobis eiusmodi lapidare;* lapidatio praescribitur pro puella desponsata quae peccavit (Deut. 22,23. 24); pro adultera uxore solum poena mortis statuitur (Lev. 20,10); quare illa non uxor, sed desponsata fuisse videtur (*Calm. Schz. Weiss*); alii coniiciunt ex Ez. 16,40 mortem illam etiam uxori adulterae postea lapidatione esse illatam. Sed cum illi non usum qui forte aliquo tempore vigebat, sed legem appellent, priori sententiae erit assentiendum; *tu ergo quid dicis?* v. 6 *hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum;* putabant enim Iesum pro sua in peccatores benignitate et miseratione tali poenae eam non esse addicturum et ita aliquid legi contrarium pronuntiaturum (*Euth. Aug. Rup. Thom. Tol. Ians. Mald. Corl. Schz. Fil.*). Iam enim eum traducebant ut amicum publicanorum et peccatorum. Accusatione illa violati sabbati ob sanationem factam profecto non multum profecerant apud populum; sed multo maior spes illis affulgebat fore ut populum ei redderent infestum, si ea in re aperte contra legem sententiam ferret.

Quare ex hac quoque parte haec narratio contextui bene congruit. Norunt enim pharisaei partem populi bene sentire de Iesu, immo eum

considerare ut Messiam (7,12. 31. 40. 41), unde illis grata erat opportunitas quaevis famae eius detrahendi. Quam opportunitatem secundum alios ex duplici capite capere volebant; si enim diceret esse lapidandam, fore ut apud populum traduceretur ut rigidus et immitis et apud magistratum romanum ut is qui ius gladii sibi arrogaret (cf. *Bed. Cai. Lap. Calm. Schg.*). Verum qui capere volebant, ipsi capti sunt. Et primo quidem Iesus eis significat rem ad se non pertinere neque se opus habere aut velle iis respondere; *Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra* « quod frequenter faciunt qui respondere nolunt importuna indignaque rogantibus; cognita enim illorum machinatione fingebat se (προσεποιεῖτο) in terram scribere nec his attendere quae dicebant » (*Euth.*). Significat ad se non pertinere, ut illorum quaestioni satisfaceret (*Ians. Calm.*); nam ad scelera eiusmodi punienda adsunt iudices publici; etsi enim lege certa quaedam poena criminibus proponitur, tamen non uniuscuiusque est istam poenam statim alteri infligere; verum ad legem applicandam forum legitimum est institutum. Illi qui Iesum adiit petens : magister dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem, respondit Iesus : homo, quis me constituit iudicem super vos (Luc. 12,13. 14). Homini illi qui non animo tentantis eum rogavit, Iesus explicuit eiusmodi negotia forensia non ad se spectare; scribis autem tentantibus qui ipsi forum legitimum minime ignorabant responsum dare non dignatur, sed sese avertendo illos contemnit nec responsione aut attentione dignos ostendit. Quaerunt quandoque quomodo potuerit scribere in pavimento. Si pulvere erat oppletum potuit characteres efformare; ceterum suffecit ductu digiti quasi efformare litteras, ut quis digito etiam in aere efformare litteras et lineamenta potest (cf. *Mald.*).

Nolunt intelligere quid Iesus significatum velit incensi studio tentandi; v. 7 *cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se et dixit : qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat;* sagaciter illorum decepit machinationes, simul et servando legem et parcendo mulieri; siquidem ei qui ex ipsis a peccato immunis est permisit ut eam lapidare incipiat, sciens omnes esse peccatis obnoxios (*Euth.*). Responsi sapientiam mirantur omnes; « prudentissima responsio nec legi contraria nec a clementia aliena, sed via ad clementiam sine offensione legis cum confutatione malignantium » (*Cai.*). Illi Iesum non adeunt tamquam iudicem vi muneris constitutum; ipsi homines *privati* dicunt : mandavit Moyses *nobis* eiusmodi lapidare, cum tamen Moyses non obvio cuique id iniunctum voluerit. Urgent importune ut respondeat; accipiunt merito responsum, quo non solum ab exspectatione sua capiendi Iesum in sermone subito detur-

bantur, sed etiam magna sui confusione obruuntur palam et publice coram populo (v. 2); v. 8 *et iterum se inclinans scribebat in terra;* infixo in eorum conscientia responsionis aculeo voluit illis spatium dare clam discedendi (*Mald.*). Nemo ausus est se profiteri a peccato immunem et prudenter quidem, nam noverant Iesum etiam secreta animorum habere perspecta. Unde v. 9. *audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus*, i. e. ab aetate provectioribus, scribis scil. et pharisaeis (v. 3); hi enim utpote prudentiores perspexerunt unum quod relinqueretur esse discedere; plerumque hos graviorum noxarum sibi conscios priores recessisse addunt (cf. *Tol. Ians. Mald. Corl.*); abeunt *unus post unum,* « non simul ne victi atque confusi fugere videantur, sed sensim ac singillatim, quasi suo quisque consilio discederet » (*Mald.*).

Quaerunt quid Christus scripserit. Variorum sententias referunt *Mald. Bar.;* aliqui putant eum eadem scripsisse quae dixit scil. qui sine peccato est etc. (*Thom. Bon. Bar.*); alii verba Ier. 17,13, vel ea verba tamquam causam considerant, cur scripserit (*Aug. Bon. Tol.*) : recedentes a te in terra scribentur, quia dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum, qua actione simul Christus perditionem eorum et interitum significaverit (cf. *I. Grimm*). Alii ea scriptione Christum indicare voluisse opinantur ab ipso esse legem scriptam (cf. *Rup. Bon. Cai.*). Merito autem scribit *Mald.* : « mihi valde placet quod quidam dicunt nihil scripsisse quod legi possit, nullos enim certos formasse characteres, sed incertas nihilque significantes figuras delineasse, quales homines meditabundi facere solent; adde quod si aliquid significans scripsisset, nunquam id evangelista praeteriisset. Sobrii est ingenii hac sententia esse contentum ».

Illis itaque abeuntibus *remansit solus Iesus et mulier in medio stans;* « relicti sunt duo : misera et misericordia » (*Aug.*); *solus* non per exclusionem discipulorum, sed tentantium (*Cai.*); insuper neque concio quae frequens aderat et ad quam responsio Christi non pertinebat, sed soli scribae et pharisaei dicuntur alius post alium exiisse (*Mald.*); v. 10 *erigens autem se Iesus dixit ei : mulier ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit?* v. 11 *quae dixit : nemo, Domine. Dixit autem Iesus : nec ego te condemnabo,* qui solus scil. sum sine peccato; « quid est, Domine? faves ergo peccatis? non plane ita; attende quod sequitur : *vade et iam amplius noli peccare;* ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem » (*Aug.*); idcirco iudicium suspendit, ut vacet peccatori cum fructu poenitentiae recedere a peccatis; *vade* misericordiae est, *noli peccare* veritatis et iustitiae (*Rup.*), ut sic appareat quam dulcis est Dominus per mansuetudinem et rectus per veritatem (*Thom.*). Neque enim ipse officium iudicis publici

exercere tenebatur neque id ad eum spectabat, ut poenam per sententiam iudicis legitima inquisitione facta infligendam indiceret. « Nam non venit ut esset iudex externus scelerum, sed praeco misericordiae paternae. Sicut autem reliquis suis exemplis aut evangelicae suae doctrinae praeceptis nullum voluit Dominus facere praeiudicium eorum quae cuique ex officio pro salute reipublicae conveniunt, ita nec hoc suo facto; quod autem pharisaeis dixit, non voluit docere neminem alium punire debere qui ipse sit peccator; sic enim omnia mala impunita manerent; sed dolosos et arrogantes ita ut digni erant pudore afficere voluit » (*Ians.*). Et merito notat *Bar.* potuisse Christum respondere quod alias dixit : quis me constituit iudicem inter vos? neque enim missus erat, ut more iudicis sententiam ferret (cf. *Rup. Cai. Lap. Calm. Corl. Schz.*).

e) Iesus de se testatur 8,12-29.

8,12. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens : Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.

13. Dixerunt ergo ei pharisaei : Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Iesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de me ipso verum est testimonium meum, quia scio unde veni, et quo vado; vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis; ego non iudico quemquam. 16. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. Dicebant ergo ei : Ubi est pater tuus? Respondit Iesus : Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Haec verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo; et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius. 21. Dixit ergo iterum eis Iesus : Ego vado, et quaeretis me, et in pec-

8,12. Πάλιν οὖν αὐτοῖς ἐλάλησεν Ἰησοῦς λέγων· Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ὁ ἀκολουθῶν μοι οὐ μὴ περιπατήσῃ ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς.

13. εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι, Σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς· ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής. 14. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, ἡ μαρτυρία μου ἀληθής ἐστιν· ὅτι οἶδα πόθεν ἦλθον, καὶ ποῦ ὑπάγω· ὑμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε πόθεν ἔρχομαι, ἢ ποῦ ὑπάγω. 15. ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε· ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα. 16. καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθινή ἐστιν· ὅτι μόνος οὐκ εἰμὶ, ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. 17. καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, ὅτι δύο ἀνθρώπων ἡ μαρτυρία ἀληθής ἐστιν. 18. ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ.

19. Ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Ποῦ ἐστὶν ὁ πατήρ σου; ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Οὔτε ἐμὲ οἴδατε, οὔτε τὸν πατέρα μου· εἰ ἐμὲ ᾔδειτε, καὶ τὸν πατέρα μου ἂν ᾔδειτε. 20. Ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτὸν, ὅτι οὔπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ. 21. Εἶπεν οὖν πάλιν αὐτοῖς, Ἐγὼ ὑπάγω, καὶ ζητήσετέ με, καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε· ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. 22. Ἔλεγον

cato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Iudaei : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis : ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. 24. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei : Tu quis es? Dixit eis Iesus : Principium, qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, et iudicare. Sed qui me misit verax est : et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem eius dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Iesus : Quum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor; 29. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum : quia ego quae placita sunt ei, facio semper.

οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν, ὅτι λέγει, Ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν; 23. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστὲ, ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί· ὑμεῖς ἐκ τούτου τοῦ κόσμου ἐστὲ, ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. 24. εἶπον οὖν ὑμῖν ὅτι ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν.

25. Ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Σὺ τίς εἶ; εἶπεν αὐτοῖς Ἰησοῦς, Τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. 26. πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν. ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι, κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λαλῶ εἰς τὸν κόσμον. 27. οὐκ ἔγνωσαν ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγεν.

28. εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, τότε γνώσεσθε ὅτι ἐγώ εἰμι· καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδὲν, ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέν με ὁ πατήρ μου, ταῦτα λαλῶ. 29. καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστίν· οὐκ ἀφῆκέν με μόνον, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε.

In v. 12 b rursus autem congregatis illis loquebatur Iesus, e cum convenissent; codd pler vulg ambulabit; hub for car ox tol harl c l ambulat. In v. 13 sin dicunt ei Iudaei. In v. 14 και που ℵ E F G H L al sat mu a b c d e ff² r ger for st tol sin. In v. 16 om πατηρ ℵ* D sin. In v. 19 a q utique et patrem meum (sciretis) nossetis. In v. 20 sin et in templo, om docens. In v. 21 codd longe pler quaeritis; item it. In v. 22 dub rush dicebant inter se. In v. 25 principium *quia* am ben cav dun ept* fuld hub ing for ox ken rush st corp harl Aug Wordsw; principium quod dub eg ger theod med f ff² l q gat; initium quod a c; principium qui car mt val wil lind e; imprimis quia b. In v. 27 quia patrem eis dicebat Wordsw; de patre wil; de deo patre diceret eis b; *eius* for steph sixt; add deum car fuld cav mt tol a c e ff² l, deum dicebat eis dub; esse deum dicebat eg gat; add τον θεον ℵ* D; sin de patre loquebatur eis. In v. 28 add πάλιν ℵ D sim syr; B οτι οταν.

Docens in gazophylacio Iesus se lucem mundi dicit et contra pharisaeorum exceptionem vindicat veritatem sui de se testimonii (v. 12-20). Dein illis minatur fore ut moriantur in suis peccatis, nisi in se utpote Messiam crediderint; indolem eorum terrenam et mundanam reprehendit, qua verba ipsius ludibrio habeant; originem suam supernam, et unionem cum Patre et opem quam habeat a Patre affirmat simul praedicens illos aliquando haec ita esse cognituros.

In tractatu mischnico de tabernaculis narratur nocte prima festi ta-

bernaculorum in atrio mulierum poni candelabra aurea cum quattuor pelvibus aureis in capitibus et immitti in quamlibet pelvim cantharos olei centum et triginta logorum et tantam excitari lucem, ut non esset atrium in urbe quod non luceret luce illa; praeterea saltare ibi homines cum facibus lucentibus et canere et levitas ludere variis instrumentis musicis stantes in quindecim gradibus descendentibus ab atrio Israel ad atrium mulierum (tract. de tabern. 5,2. 3; cf. *Surenhusius* II p. 277). Uti Iesus 7,37 ex ritu libaminum occasionem cepit docendi, ita hunc ritum quoque respexisse videtur, qui etsi solum semel in festo peragebatur tamen propter magnam sollemnitatem et laetitiam animis omnium alte mansit repositus (cf. *Schg. Schz.*); immo in locis talmudicis etiam statuitur singulis noctibus illius festi eam illuminationem habitam esse (cf. *Edersheim* II p. 165). Haec caerimonia vocabatur gaudium festivitatis; v. 12 *iterum ergo locutus est eis Iesus;* non immediate post. v. 11; nam, uti ex v. 20 patet, Christus haec dixit in gazophylacio, proinde alio in loco ab eo qui 8,2 indicatur; *dicens : ego sum lux mundi; qui sequitur me non ambulat* (*ambulabit*) *in tenebris sed habebit lumen vitae;* iterum se clarissime et apertissime declarat Messiam; cf. Is. 9,2 et praesertim 42, 6; 49,6: ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Apud rabbinos quoque Messias nomine lucis, illuminatoris appellabatur et Dan. 2,22 lux cum eo est, explicabant de eo (cf. *Edersheim* l. c. p. 166, *Wünsche* p. 530). Eodem modo dixit Simeon : lumen ad revelationem gentium (Luc. 2,32); cf. Matth. 4,15 et supra 1,4 et vita erat lux hominum; v. 9 erat lux vera etc. 3,19 seq. Lucem se vocat totius mundi i. e. omnium hominum, uti apud prophetas salus messiana omnibus gentibus annuntiatur. Est autem lux secundum naturam divinam et humanam. Ut Deus mentes hominum gratiis illustrationum perstringit suggerens quae sunt salutaria; ut homo in assumpta natura verbo et exemplo fugatis tenebris ignorantiae et peccatorum docuit quae sunt iustitiae et per evangelium i. e. nuntium salutiferum mentes afflictas exhilaravit. Est quippe in Scripturis lux metaphorice quoque dicta pro laetitia et recreatione, uti tenebrae pro afflictione et angustiis. Cum emphasi *ego sum* i. e. praeter me nemo alius, et si quis est, per ipsum est participatione luminis : vos estis lux mundi (Matth. 5,14; *Ians.*).

Christus itaque est doctor qui efficaciter mentes illuminat et solus veram largitur beatitatem. Et bene notat *Rup.* : « ego, inquit, *sum* lux mundi, ac si diceret : quid vos impii noctis et tenebrarum filii, claritati meae suffragia mortalium tollere laboratis? numquid non deridendi essetis, si solem istum visibilem toti mundo lucentem exsuf-

flando exstinguere, vel aerem pugnis verberando de magno candelabro coeli deiicere et sub modio recondere conemini? Nempe huic simile est hoc quod nomen meum delere vel famam meam exstinguere contenditis ». Ea enim enuntiatione praeclare dicit omnes conatus adversarios ad Christum opprimendum fore vanos, irritos. At quia est lux : *qui sequitur me, non ambulat* (lege ambulabit) in *tenebris;* « solemus per obscura praeeuntem sequi facem, ne aberremus aut offendamus, et loquebatur Christus de hominibus per hanc vitam tamquam per viam quandam plenam tenebrarum et errorum in coelum tendentibus; sequi Christum est ei credere, obedire; ambulare est vivere, non ambulare in tenebris est vivere sine errore et peccato » (*Mald.*). Sol etsi est lux mundi non praebet lumen caecis et oculos suos claudentibus, ita spiritualis illa lux non praebet lumen illis qui eam nolunt amplecti (*Ians.*). Placuit aliquibus Christum alludere ad nubem illam in deserto quae praeivit Israelitis (*Cyr.*); qui Christo credit et obedit, ille per magisterii eius viam graditur, vestigia eius sectatur, exemplum eius imitatur (*Tol.*). Expulsis tenebris subditur fructus doctrinae (*Thom.*), *sed habebit lumen vitae,* ἕξει tempus futurum, quod post οὐ μή cum coni. aor. saepius sequitur (4,14; Luc. 10,19; 22,34; *Schz.*); ponitur autem futurum, non quasi iste fructus solum haberetur in futuro vel in altera vita, sed quia quisquis secutus fuerit Christum, eo fructu potietur; proin ponitur, uti saepius, de actione repetita, quae impleta conditione semper adest (cf. *Krüger* 53,10,4) vel si malueris, de effectu qui debet consequi et qui certissime consequitur (cf. *Winer* 40,6); habet itaque vel possidet in se lumen quod eum ducit ad vitam. Christo credens, eius obediens doctrinae continuo ita interna gratia illustrationis iuvabitur, ut a via verae vitae non aberret; habet lumen indeficiens et lumen istud dat vitam (*Thom.*). Ob latinum textum (qui nunc legitur) *ambulat, habebit,* nonnulli alterum ad futurum vel alteram vitam referunt; id quod ex textu graeco non consistere potest.

Talia dicit Iesus de se quae nullus homo sine summa absurditate enuntiare de se posset; « quis unquam sanctorum prophetarum in talem vocem prorumpere ausus est? cui id convenit dicere nisi ei uni tantum qui natura sua Deus est » (*Cyr.* sim. *Thom.*)? Verum pharisaei quo magis Iesus se ipsum manifestat, eo magis impotenti furore insaniunt. Quare magna importunitate eum interrumpunt et audacissima assertione impedire conantur quominus populus ei fidem adhibeat v. 13 *dixerunt ergo ei pharisaei : tu de teipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum;* cf. 5,31; id eo maiore malitia oggerunt, quamvis scirent Iesum iam antea provocasse ad testimonium

Ioannis et Patris (cf. 5,33. 36); neque continuo verum est, si quis de se testimonium perhibeat, hoc esse falsum (*Rup.*). Multa enim sunt de quibus homo testari solus potest et quae ab aliis ut vera recipi debent. Quare falso etiam obiiciunt, etsi solum dicere vellent : testimonium tuum non est idoneum ad fidem faciendam secundum normam legis (*Corl.*); v. 14 *respondit Iesus et dixit eis : etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum quia scio unde veni et quo vado;* exponit Christus, cur affirmare queat rem ita esse : scio Deum a quo sum et ad quem vado et me quippe qui ex Deo sim non posse mentiri (*Patr.*); « ex Deo sum et Deus et Filius Dei; Deus sibi fide dignus testis est » (*Chr.*). Nam lumen et alia demonstrat et seipsum (*Aug.*). Hisce verbis enuntiat Christus principium et finem adventus sui (*Tol.*) et omnia complectitur quae de se testificari potest : mysterium Incarnationis et eius fructum (cf. *Corl.*); *vos autem nescitis unde venio aut quo vado* vos ignoratis meam missionem, ignoratis unde sim et quo vadam opere in terra completo; ignorant utique culpa sua, quia apertissimis signis nolunt credere; ideoque testimonium Iesu de se ineptum esse clamant ad fidem faciendam.

Eius ignorantiae ratio indicatur v. 15 *vos secundum carnem iudicatis* κατὰ τὴν σάρκα non est iniuste (*Chr.*) sed « vos idcirco me non cognovistis quia nihil praeterquam quod apparet intelligere vultis » (*Ammon. Euth.*), propter carnem quia homo conspicior me contemnitis (*Cyr. Aug. Bed.*), secundum paupertatem et exiguitatem parentum meorum et propinquorum personam meam attenditis et supra id quod visibile est nihil audire vel intelligere vultis (*Rup. Thom. Mald.* et plerique). Tacite quoque hoc pharisaeorum iudicium falsum et carnale et malignum perstringit dicens : *ego non iudico quemquam;* cf. 3,17 non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum; arrogantiae pharisaeorum suam opponit modestiam et benevolentiam suam eorum perversitati. Non esse supplendum *secundum carnem* (quod aliqui supplent, *Aug.*), patet ex sequenti (*Mald. Schz.*). Aliis placet nexum ita adstruere : « cur non redarguis? quia non ad hoc veni; nam si iudicare vellem, ex damnatorum numero essetis » (*Chr. Cyr.*). Nexum etiam faciliorem indicat *Ians.* : secunda ratio qua etiam Dominus inter se et pharisaeos discretionem facit est : vos iudicatis de rebus et personis carnali et humano iudicio, ideoque vestrum iudicium frequenter non est verum. Ego vero etsi pro meo officio nunc neminem iudicem (non enim veni ut iudicem mundum sed ut salvificem), tamen si velim modo iudicare et si quando de me aut aliis iudicem, iudicium meum verum est; v. 16 *et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed*

ego et qui misit me, Pater; meum iudicium est simul iudicium Patris, ergo divinum, ergo verum; cf. 5,19; Filius enim illa facit quae Patrem videt facientem, quae Pater ei communicans demonstrat. Iam si iudicium eius verum est, testimonium eius quoque verum est.

Inde vero enascitur tertia ratio qua interpellationem pharisaeorum refutat v. 17 *et in lege vestra scriptum est : quia duorum hominum testimonium verum est;* cum emphasi dicit pharisaeis, aemulatoribus (quos se iactant) legis : in lege *vestra;* quare eo magis sunt arguendi, si suae legis statuta non attendunt. Iam igitur secundum legem illis impositam (*Rup.*) Iesu testimonium debent accipere v. 18 *ego sum qui testimonium perhibeo de meipso et testimonium perhibet de me qui misit me, Pater;* quomodo Pater perhibeat testimonium vide 5,36 seq.; « nam si Filium Dei sese profitendo mentiretur, profecto non gloria miraculorum clarificaretur » (*Rup.*). Obiiciet aliquis illud Deut. 17,6 et 19,15 intelligi de duobus testibus non computato eo de quo redditur testimonium. Verum est hoc. Quare explica cum *Tol. Ians. Mald. Corl.* : Christus erat homo et Deus; ratione divinitatis per opera divinitatis propria reddebat testimonium de se homine probando sub illa humanitate latere Deum. Unde testimonium duarum personarum divinarum habetur. Pro Iudaeis qui eius naturam divinam non agnoscunt vis probationis in eo est quod Iesus suo agendi loquendique modo de se testatur et quod hoc eius testimonium a Patre per opera illa miraculosa tamquam verum comprobatur. Christi enim vita ipsa, qua non suam gloriam quaerit sed unice Patris, non suam voluntatem, sed unice Patris (5,30,41), optima est testis pro eo; unde revera Iesus ipse sibi est testis et Pater est testis; ergo habetur duorum testium testimonium (cf. *Cai. Schz.*), neque pharisaei argumentum ex eo oppugnant, quod non sint duo testes.

Cum irrisione et malitia opponunt v. 19 *dicebant ergo ei : ubi est Pater tuus?* alter scil. testis; optime sciebant quem suum diceret Patrem; cf. 5,18. 36; cavillantur : ubi est, ut eius exquiramus testimonium; nusquam videmus eum, nullibi audimus eum! Fortasse etiam quaerunt, ut denuo eum blasphemiae accusare et mortis reum declarare possint. Christus primo redarguit illorum ignorantiam, dein ostendit quomodo possint ad veritatis cognitionem pervenire (*Thom.*); *respondit Iesus : neque me scitis neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis;* illud ἄν alias melius redditur *utique* (14,7. 28), neque enim sententia cum dubio enuntiatur. Interpretes latini *forsitan* explicant increpative (*Aug. Rup. Thom. Bon.*) vel tamquam particulam affirmantis i. e. utique (*Cai. Ians. Tol. Mald.*). Pharisaeis qui legis scientia et observatione se iactant iam negatur

cognitio Dei vera; cf. 5,40. 44. Indicatur illis cognitionem non haberi posse nisi per Iesum. Si enim Iesum agnoscerent eique vera fide se committerent, ipse iis scientiam Dei Patris largiretur gratia et illuminatione sua; nam neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare (Matth. 11,27); et 14,9 : qui videt me, videt et Patrem; nam per Christum et in Christo se Deus plenius ac perfectius cognoscendum praebuit operans et loquens per eum. Deus a nobis in terris in se ipso cognosci non potest, sed tantum in suis operibus et verbis; proinde qui opera et verba divina non agnoscit neque approbat pro divinis, Deum certe qui per illa cognosci debet declarat se non vere cognoscere, cuius scil. iustitiam, bonitatem, potentiam, sapientiam in operibus verbisque eius relucentem non agnoscit nec recipit (*Ians.*).

Quantis tenebris pharisaei iam sint obvoluti, qui se iactant duces caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditores insipientium (Rom. 2,19), Christus declarat, dum dicit eos nescire Deum neque uno illo uti remedio ad Deum cognoscendum; v. 20 *haec verba locutus est Iesus in gazophylacio docens in templo;* gazophylacium (ex voce persica gaza thesaurus, φυλάκειον) appellatio est cellarum in atrio templi quae erant et in quibus res sacrae, aerarium sacrum asservabantur (cf. 4 Reg. 12,10. Neh. 3,10 etc.); *Iosephus* etiam loquitur de gazophylaciis (Bell. iud. 5,5,2), ante quae porticus extendebantur; ea simul cum templo esse combusta, in quibus infinita pecuniae vis, infinitae etiam vestes et alia ornamenta et omnis quasi opulentia Iudaeorum erat congesta (l. c. 6,5,2); narrat Agrippam catenam auream intra conseptum templi ὑπὲρ τὸ γαζοφυλάκιον suspendisse (Antiq. 19, 6,1). Nostro loco, uti Marc. 12,41 et Luc. 21,1, designari dicunt locum in atrio mulierum, in quo secundum rabbinos tredecim arulae positae erant ad nummos qui offerrentur suscipiendos (vide quae dixi ad Marc. l. c.; cf. *Edersheim* II p. 165); at verum est quod *Patr.* monet apud Iosephum (Bell. iud. 5,5,2) nullatenus dici in atrio mulierum gazophylacia esse posita. Sed eiusmodi ibi fuisse planum est quia mulieres quoque offerebant, quibus ultra illud atrium non licebat progredi; verum solum ibi fuisse, utique nequit affirmari; unde dubium esse videtur, ubi gazophylacium fuerit, prope quod Christus docuit; *et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius;* cf. 7,30; quibus verbis indicatur inter eos qui eum audiebant fuisse qui eum capere volebant.

Ad eos itaque malevolos persecutores verba dirigit v. 21 *dixit ergo iterum eis Iesus :* refertur *iterum* quia eadem iam antea dixit 7,34 (*Rup. Cai. Tol. Ians. Mald. Schz.*). Cum in antecedentibus accurate

indicatum sit, ubi Christus illa locutus sit, haec iam non ibidem dici et dici aliquo intervallo interposito probabile est, dici autem in templo, ex v. 59 certum est, proin dici in atrio templi vel in aliqua porticu : *ego vado et quaeretis me;* significat se libere moriturum, quando ipse voluerit; eorum insidias nihil efficere posse, nisi ipse permiserit; quaerent eum, scil. talem opitulatorem in angustiis, in obsidione romana (cf. 7,34; *Ians. Corl. Schz. Fil. Weiss*); quaeretis me odio, persequendo fideles meos, mea membra (*Aug. Bed. Cai.*), quae explicatio subtilior est, *et in peccato vestro moriemini* i. e. in statu et conditione peccati, in incredulitate, non per peccatum (*Ians.*); haec dicere Christum comminando (*Bon.*) et conditione subintellecta, ex re ipsa et v. 24 manifestum evadit; et pariter quoque : *quo ego vado, vos non potestis venire;* vult eos perterrefacere (*Chr.*); morientur in peccato, proin exclusi erunt a regno Dei (*Cyr.*); vadit enim Christus ad eum qui misit eum 7,33; ad Deum igitur, i. e. ad Deum possidendum in regno gloriae illi non pervenient; cf. 7,34 et Matth. 8,12; 12, 41. 42; 21,31.

Etiam maiore quam antea 7,35 perversitate, odio, contumelia respondent Iudaei v. 22 *dicebant ergo Iudaei : numquid interficiet semetipsum, quia dixit : quo ego vado, vos non potestis venire?* ut huius contumeliae enormitas perspiciatur, recolenda sunt quae Iudaei de suicidio sentiebant. Et *Iosephus* quidem haec habet inter alia : « quorum manus in se ipsos insanierunt, horum animas orcus tenebricosior (ᾅδης σκοτιώτερος) suscipiet », esse crimen hoc contra omnium animantium naturam, impietatem in Deum et iuris divini impiam laesionem, esse animi pusilli et maxime ignavi etc. (Bell. iud. 3,8,5). Unde Iesum dicentem faciunt, ac si vellet ire in infernum tenebricosiorem, imum, quo Iudaei utpote gens electa nunquam detrudentur, quia eiusmodi criminis suicidii plane sint incapaces. Non respondet Iesus contumeliae quam Iudaei inter se proferebant, sed pergit in sermone incepto rationem reddens pro v. 21, qua utique simul aliqua assignatur causa cur de verbis eius cavillentur irridentes v. 23 *et dicebat eis : vos de deorsum estis, ego de supernis sum; vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo;* duo haec non sunt synonyma; priore membro : vos estis terreni, et terrena sapitis et qua tales in coelum ascendere non potestis; Christus est de supernis propter personam et divinam naturam. Eo in membro natura exprimitur; in altero vero qualitas (*Tol.*); in priore declaratur origo, terrena illorum, Christi coelestis; in altero indoles : vos quae mundi huius, a regno Dei scil. alieni eique inimici, sunt sapitis, quaeritis, ambitis; vos estis de mundo improbo ac perverso; proinde animos geritis Deo

rebusque Dei adversarios. Mundus enim, cuius princeps diabolus dicitur (14,30), regno Dei ubique adversatur; unde qui eius in se gerunt indolem, in coelum nequeunt ascendere, et si non desinunt esse de mundo, morientur in peccatis suis.

Vires naturae humanae de se non valent assequi regnum Dei, coelum; multo minus apti sunt coelo qui de mundo perverso sunt; unde consequitur v. 24 *dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris;* unica salus habetur in Messia qui coram illis adstat: *si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro;* sum scil. Messias, Filius Dei; scil.: quia ego ille sum quem me profiteor; et Iudaei bene intellexerunt quem se diceret; cf. 5,18. Subtilius est quod placuit *Aug. Thom. Cai. Patr.:* ego sum explicandum esse ex Ex. 3,13. 14: ego sum qui sum. Proinde Christus idem enuntiat quod postea Petrus: non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri (Act. 4,12). Ipsi ergo sibi sunt causa interitus; verum hac ipsa comminatione eis aperit viam modumque se salvandi. Enuntiat Christus de se quod olim de infante Simeon dixerat: positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel (Luc. 2,34).

Et quantopere idem positus sit in signum cui contradicetur, hac iam disputatione adumbratur. Pro sua enim malignitate et contradicendi contentione Iudaei, quamvis sciant quem se dicat, tamen eum interrumpunt iterum v. 25 *dicebant ergo ei: tu quis es?* modus interrogandi contemptum et irrisionem prae se fert; insuper impudenter quaerunt ac si nunquam Iesus dixisset quis esset aut illi nunquam id audissent; *dixit eis Iesus: principium qui et loquor vobis* τὴν ἀρχὴν ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν; lectionem hodiernam vulg. paucorum codicum suffragio niti, vide lect. var.; lectiones *quia, quod* sat multos habent testes. Sensus, uti patet, non ex versione latina, sed ex graeco eruendus est. Explicatio probabilissima est: omnino (id sum) quod et loquor vobis, et cum in seriore graecitate ὅστις etc. etiam pro interrogativo τίς etc. ponatur in directis interrogationibus, verti quoque eodem iure potest: omnino cur etiam loquor vobis? et hoc sensu[1] videntur graeci verba intellexisse. Nam *Chr.* ita scribit: indigni estis qui verba mea audiatis, nedum discatis quis ego sim; item *Theoph.; Euth.* sermonem esse defectivum ait; sensum autem esse: ὅλως ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν περιττόν ἐστιν; *Cyr.* hunc in modum: oportebat omnino non vos alloqui ab initio (ὅλως κατὰ τὴν ἀρχήν). Quae paraphrases interrogationem illam referunt: omnino cur etiam loquor vobis? Cum illi non studio di-

1. Et Clem. Hom. 6,11 habetur: εἰ μὴ παρακολουθεῖς οἷς λέγω, τί καὶ τὴν ἀρχὴν διαλέγομαι;

scendi quaerant, sed cum contemptu exclament : tu quis es? certe mirum non est si Iesus post tot de se enuntiationes verbis et rebus gestis factas eos repudiat nec ad quaestionem ullo modo respondet.

Variae explicationes praeterea propositae sunt. Dubium non est quin τὴν ἀρχήν adverbiali modo ponatur, uti apud profanos quoque usuvenit, quo sensu significat ab initio, omnino ὅλως. Porro quaeritur sitne legendum ὅ τι an ὅτι. Et si prius, sitne legendum per interrogationem necne. Inde variae enascuntur acceptiones. Ipsa quoque interrogatio concipi potest vel directa vel indirecta : quod ab initio vobis etiam loquar, hoc quaeritis a me? id iam diu scire debebatis! Sententiam legunt affirmatione sat multi : id sum quod ab initio etiam loquor vobis; ita *Nonnus* : ὅ τι περ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς ὀάριζον, quem sensum *Mald.* verissimum et simplicissimum dicit « quem Nonnus expressit et multi ante me docti et catholici interpretes approbavere »; ab initio sum quod etiam loquor vobis (cf. *Tol. Lap.*), sed tum sane exspectaremus ἀπ' ἀρχῆς potius, si aeternum suum esse voluisset exprimere. Aliis placet τὴν ἀρχήν accipere notione : primum dico quia et loquor vobis (*Cai.*), vel imprimis, omnino sic est ut et loquor vobis (*Ians.*), omnino id sum quod etiam loquor vobis (quam interpretationem, quia facilis est et expedita, amplexati sunt multi, ut *Mald.* ait); eam quoque probabilissimam censet *Schz.*, eam adoptant *Schz. Fil.* aliique (cf. Studien und Kritiken 1874 p. 843); interrogationem praefert *Corl.* : omnino, quid est quod adhuc etiam alloquor vos? qui me scil. nec audire nec intelligere vultis. Constat τὴν ἀρχήν adhibitum esse hic loco adverbii (*Patr.*); quare explicatio ex versione latina frustra petitur. Et *Aug.* quidem exponit : principium me credite, quia et loquor vobis; supplendum esse ait *credite* ob graecum; et « principium mutari non potest, in se manet, innovat omnia; principium est cui dictum est : tu autem idem ipse es et anni tui non deficiunt ». Quam interpretationem saepius proponit, uti *Bar.* latius prosequitur; eadem est Ambrosii, ut *Tol.* ostendit et *Salmeron* (tom. 8 tract. 40), eandem sequuntur *Bed. Rup.* (una eademque responsione simul et intemporalem incommutabilemque essentiam suae divinitatis et temporalem designans conditionem assumptae humanitatis) *Alb. Thom. Bon. Salmeron. Nat.*; ad quam sententiam ii quoque accedunt qui vertunt : ab initio sum (i. e. ab aeterno; cf. *Tol. Lap.*). Verum recte monet *Patr.* : « ceterum Christus satis de se dixerat e quibus, quinam ipse esset, quisque intelligere posset, non tamen apertius rem enuntiandam esse hucusque putaverat; quare nunc quoque, cum illa Iudaeorum interrogatione urgeretur, ita respondit, ut iis quae alias de se dixerat nihil adderet ». Alia quoque connexio tentata est, ita quidem, ut haec sententia arcte copuletur cum sequenti : imprimis quod loquor vobis, habeo multa etc., vel ante omnia, quia loquor vobis, habeo multa de vobis loqui et iudicare; cuius connexionis meminerunt *Ians. Corn.*; de ea vide quoque *Sch.*

Importuna Iudaeorum quaestione omissa pergit Iesus v. 26 monens

habeo de vobis loqui et iudicare, multa scil. quae reprehendam et condemnem, qua voce confirmat quae minatus est in v. 24 et indicat simul tandem aliquando se iudicem fore (*Cyr.*). Atque ut omnem eorum obiectionem praeoccupet, reiiciat et declaret se non loqui et affirmare a se solo, addit: *sed qui misit me verax est et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo;* proin explica : multa habeo quae condemnem, non a me, sed ea loquor quae audivi ab eo qui me misit qui verax est. Proinde etiam pro iis comminationibus quas in v. 24 protulit ad veritatem eius qui misit provocat; verum ad quem provocaret et cuius nuntium se mundo perferre affirmaret, illi non agnoverunt v. 27 *et non cognoverunt quia Patrem eius* (lege *eis*; vide lect. var.) *dicebat Deum,* explica ex graeco : non intellexerunt quod eis patrem dicebat i. e. quod de Patre illis loquebatur; malitia sua et contemptu et irrisione obcaecati sunt, ita ut prae vehementioribus animi perturbationibus, prout fieri solet, verba satis plana iam non capiant, quamvis Iesus haud raro de Patre sit locutus. Hac itaque ratione evangelista mentem eorum, qui v. 22. 25 suam perversitatem et impudentiam et odium aperte professi erant, hisce vitiis plane obnubilatam et praeoccupatam ad summam quandam percipiendi tarditatem depingit et nobis exhibet.

Illud ἀλλά, *sed* in v. 26 ingenia interpretum multum exercuit. Si usum illius particulae spectas, varia dici possunt. Nam praeter vim adversativam aliae quoque notiones ei insunt; immo vim quoque habet copulativam, ita ut solum significetur *aliam* rem esse, quam nunc dicturi sumus, et sic sententias inter se componit et coniungit (cf. *Klotz*, Dev. II p. 2). Et *Krüger* statuit medio in sermone ἀλλὰ significare *tamen*, *certe* (69,4,5). Porro etiam ellipsin indicat (*Klotz* l. c. I p. 7; II, p. 18). Particulae usum iam nostro loco eiusque explicationem perpendamus. Et *Patr.* quidem ea animos Iudaeorum praeoccupari ait ne negarent vera esse quae de ipsis loqui habebat; qua acceptione vis particulae adversativae omnino retinetur. Abrumpi sermonem, ita ut significet se non dicere multa illa, sed eos remittere ad veracem qui se miserit et a quo cuncta audierit, explicant sat multi. Quare varias sententias post ἀλλὰ supplendas esse dicunt; ita *Chr.* : sed Pater hoc non vult, scil. ut nunc vos iudicem; *Theoph.* sed non ad hoc misit me; *Euth.* : sed nunc nolo; *Cyr.* sed si videor importunus, verax est etc.; *Aug.* : sed ideo verum iudico, quia verax est etc.; *Ians.* sed omissis aliis unum dicam : verax est; *Mald.* sed nemo poterit me reprehendere; *Cai.* sed quoniam hoc servatur in futurum, dico praesens officium meum : verax est; *Tol.* sed nunc non iudico, quia qui verax est me misit prius ut salvem; *Bar.* sed illa relinquo in iudicium futurum; nunc illud solum dico de quo quaestio orta est : qui me misit, verax est; *Schg.* sed non possum tacere; nam etc.: *Fil.* particulam ita accipit, ut Iesus graviter opponat incredulitati Iudaeorum testimonium verax Dei; proin videtur suppleri debere : vos non creditis, sed verax est; — en quomodo haec particula sat multas pepererit sententias!

Uti ex v. 30 elucet, aderant non solum adversarii Iesu contumaces et

obstinati, verum alii quoque eum loquentem audiunt qui nondum animos gerebant ab eo plane aversos. Pro iis praecipue pergit Iesus docens, v. 28 *dixit ergo eis Iesus : cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum,* scil. Christus, Filius Dei (*Chr.*); cf. v. 24; morte Christi et iis quae post eius mortem fient manifestum evadet plurimis Iesum esse Messiam; exaltationem intelligi a Christo de sua morte in cruce, vide 3,14 et 12,32. 33; et quod h. l. dicit impleri coeptum est in eius morte; lege Luc. 23,48, Act. 2,37 etc.; tunc cognita quoque eius divinitate simul perspicient Iesum nihil fecisse nec locutum esse nisi quod sit a Patre : *et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater haec loquor;* si a seipso nihil facit, eandem cum Patre naturam profitetur (*Chr.*); omnia ipsius naturae communicatione accipit a Patre; quare *sicut docuit*, vel sicut audivi v. 26; ceterum vide 5,19. 20. 30. 36. Porro rationem missionis explicat; neque enim ita mittitur, ut a mittente discedat v. 29 *et qui me misit mecum est et non reliquit me solum;* intime mihi coniunctus est et manet et mecum operatur; « non solum ut Deus communem mecum habens naturam, sed etiam ut Deus cum homine mecum cooperans, me in omnibus rebus dirigens; itaque quidquid facio, eius auspicio, eius auxilio, eius opera et auctoritate facio, uti dicit 5,17 » (*Mald.*). Sententia haec non dependet a *cognoscetis quia* v. 28, quae coniunctio est impeditior ac magis languida, sed est effatum ab antecedente independens et illam sententiam illustrans; ita plerique; *quia ego quae placita sunt ei facio semper;* cum Iesus loquatur etiam de se ut homine, his verbis potest intelligi causa meritoria continuae gubernationis divinae in omnibus quae facit; « etsi enim iure personae divinae Christus habuit continuitatem divinae praesentiae et gubernationis, eandem tamen etiam habuit ratione meriti »; ita *Ians.* et monent *Chr. Cyr. Ians.* Iesum demissius de se loqui. Verbis hisce assignari causam seu rationem explicant *Aug.* (quare non me reliquit? quia ego, inquit, etc.) *Bed. Bon. Alb. Salm. Cai. Bar. Patr. Corl.;* bene notat *Rup.* nullum hominem de se profiteri posse se *semper* facere quae Deo sint placita. Etiam *Thom.* de Christo homine accipi posse verba iisque causam designari meritoriam concedit secundo loco; priore enim dicit illud *quia...* non poni pro causa meritoria, sed pro signo : hoc ipsum quod ego facio semper, quae placita sunt ei, est signum quod semper mecum est. Quam explicationem sequuntur *Tol. Mald.* : probat ex effectu se solum non esse relictum; hoc igitur esse signum eius quod dixit : mecum est (cf. *Ians.* et idem innuit *Rup.* dum scribit : maximum autem et firmissimum argumentum de seipso dedit, unde non derelictum illum perspicuum sit, dicendo : quia quae placita sunt ei, semper facio.

f) Iesus arguit Iudaeos 8,30-59.

8,30. Haec illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei Iudaeos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis;

32. Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahae sumus, et nemini servivimus unquam : quomodo tu dicis : Liberi eritis? 34. Respondit eis Iesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati;

35. Servus autem non manet in aeternum; filius autem manet in aeternum.

36. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

37. Scio quia filii Abrahae estis; sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis. 38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facitis.

39. Responderunt et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus : Si filii Abrahae estis, opera Abrahae facite. 40. Nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo; hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Iesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim ex Deo processi, et veni : neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia non est veritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater eius. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis ar-

8,30. Ταῦτα αὐτοῦ λαλοῦντος πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. 31. Ἔλεγεν οὖν ὁ Ἰησοῦς πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ Ἰουδαίους, Ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ·

32. καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. 33. ἀπεκρίθησαν πρὸς αὐτόν, Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε· πῶς σὺ λέγεις, ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε; 34. ἀπεκρίθη αὐτοῖς Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν δοῦλός ἐστιν τῆς ἁμαρτίας.

35. ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα· ὁ υἱὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα.

36. ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε.

37. οἶδα ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε· ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν. 38. ἃ ἐγὼ ἑώρακα παρὰ πατρί λαλῶ· καὶ ὑμεῖς οὖν ἃ ἠκούσατε παρὰ τοῦ πατρὸς, ποιεῖτε.

39. ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπαν αὐτῷ, Ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι. λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς, Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραάμ ἐστε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε. 40. νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, ἄνθρωπον ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ θεοῦ· τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν. 41. ὑμεῖς ποιεῖτε τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς ὑμῶν. εἶπον αὐτῷ, Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐκ ἐγεννήθημεν· ἕνα πατέρα ἔχομεν, τὸν Θεόν. 42. εἶπεν οὖν αὐτοῖς Ἰησοῦς, Εἰ ὁ Θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ· ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· οὐδὲ γὰρ ἀπ' ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, ἀλλ' ἐκεῖνός με ἀπέστειλεν.

43. διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν. 44. ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν· ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. 45. ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι. 46. τίς ἐξ

guet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et daemonium habes?

49. Respondit Iesus : Ego daemonium non habeo; sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quaero gloriam meam : est qui quaerat et iudicet. 51. Amen, amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

52. Dixerunt ergo Iudaei : Nunc cognovimus quia daemonium habes. Abraham mortuus est, et prophetae; et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. 53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? et prophetae mortui sunt? Quem te ipsum facis? 54. Respondit Iesus : Si ego glorifico me ipsum gloria mea nihil est; est Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. 55. Et non cognovistis eum; ego autem novi eum; et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, et sermonem eius servo. 56. Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Iudaei ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? 58. Dixit eis Iesus : Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se, et exivit de templo.

ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; εἰ ἀλήθειαν λέγω διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι;

47. ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει· διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστέ. 48. ἀπεκρίθησαν οἱ Ἰουδαῖοι καὶ εἶπαν αὐτῷ, Οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σύ, καὶ δαιμόνιον ἔχεις;

49. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. 50. ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου· ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων. 51. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν ἐμὸν λόγον τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα.

52. εἶπον αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, Νῦν ἐγνώκαμεν ὅτι δαιμόνιον ἔχεις· Ἀβραὰμ ἀπέθανεν καὶ οἱ προφῆται, καὶ σὺ λέγεις, Ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, θάνατον οὐ μή θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. 53. μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανεν, καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον· τίνα σεαυτὸν ποιεῖς; 54. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτὸν, ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν· ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστίν. 55. καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτὸν, ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν· κἂν εἴπω ὅτι οὐκ οἶδα αὐτὸν, ἔσομαι ὅμοιος ὑμῖν, ψεύστης· ἀλλ' οἶδα αὐτὸν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ. 56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν ἠγαλλιάσατο ἵνα εἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμήν· καὶ εἶδεν καὶ ἐχάρη. 57. εἶπον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς αὐτὸν, Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας; 58. εἶπεν αὐτοῖς Ἰησοῦς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί. 59. Ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν ἐπ' αὐτόν· Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ.

In v. 35 filius *autem* dub eg rush steph sixt a r; nam filius b; ο δε υιος D T. In v. 38 ηκουσατε ℵ^c B C K L X mu min Or; audistis f; του πατρος sine addit B L T Or Cyr. In v. 39 it si essetis... faceretis; uti ητε... εποιειτε C X Γ Δ Λ Π unc 8; praeterea εποιειτε ℵ* B D E F G H S T U al plus 80 Or Eus Cyr hr Epiph; mu add αν. In v. 44 υμεις εκ του διαβολου εστε K 44. Or sin (ex malo vos estis). In v. 45 codd vulg *quia* veritatem dico; si steph sixt. In v. 46 codd pler vulg arguit. In v. 49 inhonoratis am ben cav dub ger for med st lind f ff²; et sim tempore praesente a b c q (dehonorificatis, non hon. spernitis). In v. 52 B θανατον ου μη θεωρηση; al γευσηται. In v. 54 clarificavero c e ff² l Ambr; sim a q. In v. 54 θεος ημων A B² C L Γ Δ Λ Π unc 7 al 100,

deus noster f g codd vulg longe pler go sah cop syr (utr) arm aeth; υμων ℵ B* D F X al mu; deus vester a b c e ff[2] l q cav rush wil hent sixt; pariter Chr Cyr Tert; sin quem vos dicitis deum. In v. 57 ℵ* εωρακεν σε; item sah sin Abraham vidit te. In v. 59 sin et Iesus clam exiit e templo; add dub et transiens per medium eorum ibat sic; sim f q cop syr (utr) aeth go; quod addit habetur in mu codd graecis quoque.

Multi incipiunt credere. At cum Iesus dixisset sua doctrina cognosci veritatem « et veritas liberabit vos », qui ex Iudaeis crediderant offenduntur se iactantes semen Abrahae et nemini esse servitute subiectos. Iesus ostendit se loqui de servitute peccati, qua ex domo Dei eiiciendi sint et a qua per solum Filium sint redimendi. Mente sua operibusque nullo modo indolem Abrahae prae se ferunt, quem itaque falso patrem suum appellant; neque Deum patrem suum ullo modo nominare possunt; nam si Dei spiritu agerentur, eum diligerent quem ipse misit. Ex eo quod Iesum quaerunt interficere et veritati resistunt, efficitur eos esse ex patre diabolo, homicida et mendaci. Iesum nullius peccati accusare possunt; cur ergo ei non credunt? quia non sunt ex Deo. Hisce Iudaei in furorem aguntur opprobriis in Iesum iactis (v. 21-48). Iesus exsistere affirmat qui iniuriam sibi illatam vindicaturus sit et contra illorum incredulitatem asserit mortem non visurum eum qui doctrinam a se traditam observarit. Qua sunt malignitate explicant ac si Iesus de morte corporali loqueretur; unde iniuriis non parcentes irrisorie ex eo quaerunt, sitne maior quam Abraham et prophetae. Respondet Iesus Abraham et desiderasse et maximo gaudio vidisse diem suum. Unde iterum Iesum irrident quasi dixisset a se utpote homine visum esse Abraham. Respondet Iesus praeclarissimum edens suae divinitatis testimonium. Illi incredulitate et insania acti eum lapidare volunt; quod utique opere perficere nequeunt (v. 49-59).

Iesus de divina sua origine et missione clarissime testatur. At qua sunt superbia ferre non possunt quod a servitute peccati dicuntur debere liberari. Verum satis superque ipso suo contra Iesum agendi modo manifestant quantopere mente diabolica agitentur.

Sermonem Iesu non omni fructu caruisse narrat evangelista v. 30 *haec illo loquente multi crediderunt in eum;* credunt verbis eius; eum effectum verba eius habent, quem miracula non habebant. Censent *Chr. Cyr. Theoph. Euth.* ultima Iesu verba fuisse humilia et ad auditorum ingenium accommodata, ideoque multos credidisse; at vix in istis verbis deprehendes humiliorem locutionem, sed potius eandem ut antea dignitatem qua se a Deo missum Deique Patris Filium profitetur. Neque opus est *haec* ad ultima referre verba, sed potius ad totum sermonem spectare recte dixeris. Inter hos *multos* immo fuisse Iudaeos, nobiles, eius eousque adversarios, verum fidem eorum sat fuisse im-

perfectam et mox plane defecisse sequentibus docemur v. 31 *dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudaeos : si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis;* constantem itaque et firmum animum requirit, ut doctrinae a se acceptae obediant (cf. *Cyr.*); ea conditione sola poterunt esse vere discipuli; notat *Chr.* ad ἐὰν μείνητε Iesum indicare quid in eorum corde esset eumque scivisse illos quidem credidisse, at non perseveraturos. Non sine emphasi dicit : si *vos*, innuens quid in iis bono hoc initio facto praesertim requiratur et quam imperfectum sit illorum fidei initium. Dein ulteriorem fructum exponit quem capturi sunt ex constanti illa obedientia qua doctrinam perceptam in vita exprimeut v. 32 *et cognoscetis veritatem,* scil. cuius doctorem Iesus se profitetur et quam manentes in sermone eius i. e. constanter quoque Iesu docenti aures fideli mente praebentes addiscent, *et veritas liberabit vos,* haec doctrina quam a Iesu haurire debent eos reddet liberos. Duo dicit quae superbiam pharisaeorum, Iudaeorum, haud mediocriter laedunt; doctores legis et aemulatores se iactant et Iesus asserit a se tandem veritatem, veram de Deo et salute assequenda doctrinam esse discendam et tum tandem, si eam didicerint eos iri vindicatum in libertatem.

Et quam aegre id ferant, verum etiam quam labili fundamento fidem suam superstruxerint, statim produnt v. 33 *responderunt ei : semen Abrahae sumus et nemini servivimus unquam: quomodo tu dicis : liberi eritis?* satis arroganter respondent : « talis Iudaeorum fastus est » (*Chr.*); « o pellis inflata! non est ista magnitudo, sed tumor, et hoc ipsum secundum huius temporis libertatem quomodo verum dixistis » (*Aug.*)? Et veteres revocant in memoriam quoties Deus dicat populum a se liberatum esse e domo servitutis, quoties tempore iudicum alienigenis servierint, postea Assyriis, Babyloniis, tunc Romanis. Verum pharisaei fastu nationali inflati nullam dominationem, qua subiiciantur alienigenis, iure consistere posse arbitrati libertatem suam nationalem vindicant[1] et id valere continuo iactant quod Deus dixerat : non poteris alterius gentis hominem regem facere qui non sit frater tuus (Deut. 17,15). Insuper etiam sub imperio Romanorum quaedam iura propria iis erant concessa intuitu religionis; unde speciem quandam libertatis retinebant, quam pro sua superbia exaggerabant. Qualem libertatem Romani iis concesserint, *Iosephus* Titum facit loquentem (Bell. iud. 6,6,2). Iam Ioannes baptista eos monuerat, ne vane provocarent ad Abraham patrem (Matth. 3,9); at frustra.

1. Eum in modum loquitur Eleazarus : « cum olim nos statuerimus, viri fortes, neque Romanis neque cuiquam alii, nisi Deo, servire — is enim solus est verus et iustus hominum dominus — nunc tempus adest quod factis animi magnitudinem probare iubeat » (Bell. iud. 7,8. 6).

Iesus autem de alia plane libertate et servitute loqui se manifestat et qua funesta teneantur servitute haud obscure eos coarguit v. 34 *respondit eis Iesus : amen, amen dico vobis;* modus narrandi in v. 33 omnino exigit, ut qui Iesu obiiciant sint ex illis ipsis Iudaeis qui crediderant, uti *Or. Chr. Rup. Cai. Mald. Schz. Fil.* merito censent, dum alii arbitrantur eos respondisse qui increduli manserunt (*Aug. Bed. Tol. Ians. Bar. Lap. Schg.*); putant scil. eos qui dicuntur credidisse non potuisse tam cito iterum exsistere Christi adversarios. Sed evangelista non sine certo consilio addit sermonem fieri ad *Iudaeos* et modus quo Christus eos alloquitur qui crediderunt *Iudaeos* iam satis ostendit, eos pertinere ad illos quibus ipse Iesus se non credit (2,24) et eorum responsio nimium manifestat quanto tumore eorum animi sint impleti, eam scil. indolem produnt quam Iesus 5,44 reprehendit. Qua servitute teneantur (quam utique agnoscere nolunt) Iesus explicat : *quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati;* ei est subiectus a quo victus est et dum homo se subdit dominio peccati eiusque evadit servus, eo ipso cessat esse filius Dei. Bene notat *Aug.* quanto pondere Iesus loquatur: *amen, amen dico vobis*, « veritas dicit; iam quantum hoc commendatum sit, ex ipsa geminatione cognoscite; commendat, inculcat, dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult ». Et dicit *omnis*, ut nemo excipiatur, cuiusvis tandem sit dignitatis; inculcat ergo Iudaeis illis frustra eos gloriari de origine ab Abraham ducta. Et qualis futura sit eorum sors, parabola vel exemplo declarat : v. 35 *servus autem non manet in domo in aeternum*; potest a domino vendi alteri, ablegari; non habet ius manendi, nullo modo particeps est hereditatis neque in plenam possessionem bonorum heri ingreditur; proin servi peccati a regno Dei et bonis divinis i. e. a familia Dei et hereditate coelesti excluduntur; *filius autem manet in aeternum;* ius habet perpetuum manendi in domo, ius bonorum et hereditatis. Parem itaque cum patre honorem et servi a libero differentiam significat (*Chr.*); hac posita similitudine animadvertere promptum est quam terribiliter denuntiet Iudaeis quod ipsos exire oportet (*Rup.*). Iam omnes homines natura sunt servi, servi peccati, unus est natura Filius qui est in sinu Patris, qui est in coelo (1,18; 3,13); unde applicatio similitudinis facile patet; immo in altero membro iam transitus ab exemplo ad rem agnosci potest; ita ὁ υἱὸς de Filio Dei intelligitur a *Chr. Cyr. Thom. Schz.*, dum alii sermonem parabolicum in utroque membro retinent (cf. *Theod. M. Bed. Rup. Cai. Tol. Ians. Patr. Corl.*).

Filius vero dominus est et domini est servos liberare, manumittere; filius autem dominus eo quoque perhibetur, quia manet in domo in perpetuum iure nativo et proprio; unde consequitur v. 36 *si ergo vos*

Filius liberaverit, vere liberi eritis; libertatem a servitute peccati non obtineri posse indicat Iesus nisi a se Filio Dei in domo Dei; supra dixerat : veritas liberabit vos; hic : Filius; nam gratia et veritas per Christum facta est (1,17) et ipse est veritas (14,6). Falsae notioni libertatis quam illi affectant opponit *veram* libertatem, qua a servitute peccati erepti filii Dei adoptione constituuntur et in hac adoptionis dignitate servantur; ita *vere* sunt liberi; quam libertatem nemo nisi Filius largitur. A qua libertate quantopere absint et quam miseram ac pudendam subeant servitutem, sequentibus acerbe illis exprobrat : v. 37 *scio quia filii Abrahae estis;* minime opus erat, ut vos sententiae meae opponeretis : semen Abrahae sumus; scio vos originem ducere ab Abraham; verum indole et moribus longissime abestis ab Abraham; *sed quaeritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis;* « quomodo ergo ait in ipsum credidisse? verum, ut dixi, iterum mutati fuerant » (*Chr.*). Iam enim illa responsione v. 33 imperfectam illam fidem abiecerant; unde merito Christus eis pristinam indolem exprobrat, ad quam vel iam reversi sunt vel mox plene revertentur (vide v. 59). Eam autem indolem non expellunt, *quia* doctrina quam a Iesu audiunt οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν non capit incrementa in animis vestris, non eum quem debebat nanciscitur successum (cf. *Schz. Fil. Grimm,* Lex. s. v.); quod alii explicant : non invenit locum apud vos (*Corl.*), non capitur vestris mentibus (*Patr.*), minus apte dicitur de iis qui inceperunt fide eam doctrinam suscipere (v. 30. 31); assimilantur potius iis, apud quos semen verbi cecidit super petrosa; continuo exoritur, sed natum mox arescit quia non habet radicem (Matth. 13,5. 20; Luc. 8,6. 13). Ita hi prima statim veritate qua eorum laeditur superbia scandalizantur et recedunt, uti l. c. ipse Christus illam explicat parabolam.

Iesus praestantiam suae doctrinae praeclare exponit et simul rationem affert, cur talis doctrina apud illos nequeat incrementa capere v. 38 *ego quod vidi apud Patrem meum loquor* ἑώρακα quod vidi et visum habeo (cf. *Krüger,* 53,3,2; *Winer,* 40,4 b); unde sublimissimam doctrinae suae originem et auctoritatem declarat; cf. 5,20. 30; 8,56; iterum intimam suam cum Patre declarat unionem a quo cuncta accepta habet. Sed simul aperit, quantis tenebris haec lucis divinae doctrina sit obiecta : *et vos quae vidistis apud patrem vestrum facitis,* ἠκούσατε : eos plane alium patrem habere magistrum quem audiant et sedulo imitentur, clare edicit. Sentiunt stimulum et reprehensionem; quare perfracte v. 39 *responderunt et dixerunt ei : pater noster Abraham est;* repudiant insinuationem sibi alium patrem a Iesu adscribi et cum indignatione reponunt quod iam v. 33 protulerant. Sed ina-

niter id ab eis proferri contra accusationem Iesu, patet ex v. 37, quia Christus originem ab Abraham eis omnino concedit neque ea de re agitur. Unde Christus iam sine ullis ambagibus manifestat, qualem cognationem intelligat : *dicit eis Iesus : si filii Abraham estis, opera Abraham facite;* filii enim indolem patris in se exprimere debent et paternum referre characterem (*Theoph.*); opera Abraham sunt τὸ ἥμερον, τὸ ἐπιεικές, τὸ πειθήνιον (*Chr.*), sunt obedientia Dei voci praestita, fides inconcussa (*Cyr.*); ille sermoni Dei credidit, studiose coluit nuntios Dei, innocentes defendit, omnem humanitatem excoluit (*Ians.*); ergo probate vos non verbis, sed factis filios Abrahae (*Mald.*).

Quantum autem eorum mores et indoles distent ab Abraham, proin quam inaniter iactent Abraham patrem suum, uno eorum peccato et consilio luce clarius apparet v. 40 *nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum quam audivi a Deo;* nuntium se a Deo iis missum qui eos docuerit veritatem a Deo acceptam se profitetur et talem occidere quaerunt; *hoc Abraham non fecit,* Abraham non erat homicida (*Aug.*), Dei mandata summa reverentia et obedientia suscepit et exsecutus est (Gen. 12,4; 15,6; 18,19; 22,2 seq.). Proin in oppositione ad Abraham aperte exprobrat illis Iesus v. 41 *vos facitis opera patris vestri;* unde declarat eos non esse filios Abraham vita et moribus. Ex hisce intelligunt Iesum loqui non de patre secundum carnalem generationem, sed de patre spirituali, et de filiatione quae consistit in imitatione et morum similitudine et de eo cuius lege et institutione vita regitur; *dixerunt itaque ei : nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum;* provocant quasi ad verba prophetae : numquid non pater unus omnium nostrum, numquid non Deus unus creavit nos (Mal. 2,10)? et Deut. 32,6; fornicatio dicitur de idololatria; consideratur enim natio theocratica tamquam sponsa Domini, quae fornicari vel adulterium committere dicitur, si deum alienum colit (Ex. 34,16; 17,7; 20,5. Iud. 2,17; 8,33. Ier. 2,20. Ez. 16 etc.); unde negant se a Deo unquam recessisse vel mores et vitae rationem, opera idololatrarum expressisse; « si aliquando mater nostra synagoga a Deo recedens fornicata est cum idolis, nos tamen non recessimus nec cum idolis fornicati sumus » (*Thom.*); fornicationem de idololatria intelligunt *Alb. Bon. Cai. Mald. Ians. Tol. Bar. Lap. Schg. Patr. Corl. Fil.* in oppositione scil. ad reliquas gentes (*Schz.*), quae deos habent vitae morumque magistros.

Ad Iesu verba : vos facitis opera patris vestri, respondentes se unum habere patrem Deum, aperte indicare volunt se facere opera Dei, se exprimere in se indolem illam quae deceat eos qui Deum agnoscant et venerentur patrem, se proin regi spiritu Dei et in vitae institutione hanc cum Deo

spiritualem quasi cognationem profiteri. Unde in membro opposito, i. e. in fornicatione, ex qua negant se esse natos, sensus solum potest esse : non habemus nos alium deum patrem. Nam aperte inter se respondent verba : patrem habere et natos esse. Quare admitti nequit quod placuit aliis : nos non sumus filii Agar, vel Cethurae (*Rup.*), neque filii Sarae ex altero patre (*Erasmus, Weiss*, alii); neque dici potest eos velle tacite Iesum accusare quasi ex fornicatione natum, dicentes *nos* non nati sumus ex fornicatione (cf. *Or. Cyr. Euth. Thom.*); haec enim calumnia Iesu non est impacta nisi postmodum. Ceterum nullo modo congruum est dicere : nos non sumus nati ex Agar, vel non ex Ismael vel non ex altero viro, sed Deum habemus patrem. Necessario debet in utroque membro talis intelligi pater, cuius opera faciant, pater itaque non carnalis, sed spiritualis, cuius lege et institutione vita dirigatur.

Quam falso contendant se duci spiritu Dei, Iesus demonstrat v. 42 *dixit ergo eis Iesus : si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim ex Deo processi et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit;* nam quos Pater trahit, hi veniunt ad Iesum; qui a Patre audiunt et discunt, hi veniunt ad Iesum (6,44. 45); unde patet conclusio : si a vobis Deus revera haberetur et coleretur pater; i. e. si eius lege, institutione, spiritu mores vestri regerentur, me diligeretis; « omnes enim filii Dei invicem diligunt, utpote unum habentes adoptionis spiritum, siquidem nec aliter filii Dei esse possent, nisi habendo dilectionem ad invicem » (*Rup.*). Et si Deum colerent patrem, ergo ei obedientiam et amorem exhiberent, non possent non diligere eum qui ex Deo processit et venit i. e. adest hic et nunc; ἐξῆλθον intelligunt de aeterna a Patre processione et generatione *Cyr. Aug. Bed. Alb. Thom. Bon. Ammonius, Tol. Bar. Patr. Fil.;* alii de Incarnatione *Or. Theoph. Rup.* (processi, inquam, ex Deo factus visibilis, qui eram invisibilis) *Ians. Mald. Lap. Schg. Schz.* atque ipsa forma ἐξῆλθον qua de re olim facta instituitur narratio, magis congruit huic acceptioni; aeterna quippe generatione semper procedit a Patre. Nihilominus ex ipsa de Incarnatione explicatione recte omnino et necessario colligitur eius divinitas; nec enim ex Deo processisse diceretur ad eum finem ut humanam assumeret naturam, nisi ante assumptam humanitatem fuisset apud Deum, nec fuisset apud Deum antea, si Deus non esset (cf. *Mald. Ians.*) καὶ ἥκω : effectus eius a Deo processionis est, ut nunc adsit coram illis; neque sua propria voluntate, arbitratu suo, ad illos docendos se contulit, sed *ille me misit;* unde novus exsistit titulus : si Deum venerantur patrem et eius se spiritu duci sinunt, nuntium ab eodem Patre sibi missum non possunt non cum amore et gaudio suscipere.

Unde ex eo quod hunc nuntium non suscipiunt, immo iam non ferre et audire possunt, prorsus consequitur illos regi a spiritu qui Deo plane est adversarius; v. 43 *quare loquelam meam non cognoscitis?* ut loquelam legati Dei et Filii Dei; quare ex mea loquela et doctrina non me cognoscitis legatum, Filium Dei? et respondet rationem afferens : *quia non potestis audire sermonem meum*, οὐ δύνασθε non est solum illos noluisse (*Chr. Theoph. Euth. Thom. Tol. Lap.*), verum adeo a me estis alieno animo, ut aures vestrae meum sermonem ferre non possint (*Mald.*); « praeoccupati igitur vestris ad malum propensionibus et vestris affectibus obnoxii meos sermones audire non potestis » (*Cyr.*); non possunt scil. prae odii magnitudine (*Rup.*); malae eorum affectiones animi aures et sensus quasi occludunt, ut non possint audire et intelligere; non posse est itaque effectus causae quam causam utique removere possent, si vellent; sed quamdiu libere illam causam retinent, merito dicuntur non posse audire. Et cur non possint, ratio affertur (*Theod. M.*) v. 44 *vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere*, θέλειν in animo esse, decrevisse, constituisse; proin apud vos, in consiliis vestris constitutum est facere, explere desideria illa quae diabolus fovet et vobis inspirat; eius ductu et spiritu vos regimini; *ille homicida erat ab initio* i. e. fraude, mendacio, seductione invexit generi humano mortem corporis et animae; nam invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum (Sap. 2,24; cf. *Or. Chr. Aug. Bon. Thom.* etc.) *et in veritate non stetit* οὐχ ἕστηκεν non stat; in veritate non versatur actibus suis (*Corl. Schz.*), uti explicat *Euth.* οὐκ ἐμμένει i. e. in recta vita non acquiescit, sed odit eiusmodi conversationem (sim. *Or. Theoph.*); ἐν τῇ ἀληθείᾳ in veritate eius vitae ratio et agendi modus non versatur; veritas ab eo aliena est, neque secundum veritatem agit nec agere potest, *quia non est veritas in eo;* Deus est veritas; diabolus apostata factus a Deo, eo ipso a veritate defecit, unde omnis vitae eius ratio vagatur extra veritatem; idque necessario, quia in se non habet veritatem, corrupta eius natura abhorret a veritate et consequenter a veracitate. Quamvis itaque ex significatione ἕστηκεν nequeamus dicere cum plerisque (*Aug. Bed. Rup. Thom. Bon. Cai.* etc.) diaboli lapsum immediate et signate enuntiari, tamen lapsus ille et peccatum necessario supponitur; nam ex lapsu solum consequitur quod in veritate non stat et quod veritas et veracitas in eo iam non exsistit; nam *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater eius*, pater scil. mendacis (*Or. Corl. Schz.*) i. e. qui mentitur, diabolum imitatur et diabolus homines reddere tentat mendaces, quia mendacium ei quam maxime proprium est. Plerique tamen ad *eius* supplent *mendacii*, τοῦ ψεύδους

pater mendacii (*Tat. Theod. M. Theoph. Euth. Aug. Rup. Thom. Bon. Barh. Cai. Ians. Tol. Mald. Schg. Fil.*) i. e. primus inventor et auctor mendacii.

Notat *Aug.* : « non omnis qui mentitur, pater mendacii sui est; si enim ab alio mendacium accepisti et dixisti, tu quidem mentitus es proferendo mendacium; sed pater ipsius mendacii non es, quia ab altero accepisti mendacium. Diabolus autem a se ipso mendax fuit, mendacium suum ipse genuit, a nemine audivit »; et *Theoph.* mendacium nominat prolem diaboli (γέννημα). Iam veteres, *Or. Cyr. Aug.* advertunt ex hoc loco aliquos occasionem arripuisse inferendi sermonem de patre diaboli; « hic vero detestabilis error Manichaeorum invenit adhuc qua deciperet imperitos » (*Aug.*). Uti *Cyr.* concedit et res grammatice plana est, verba uti iacent possent hanc habere notionem : ipse diabolus est ψεύστης et pater diaboli est etiam ψεύστης. At eam sententiam esse absurdam neque ullo modo de patre diaboli in s. litteris esse sermonem evidens est. Inter recentiores eam explicationem de patre diaboli (vos ex patre diaboli estis, et pater eius scil. diaboli) recoxit *Hilgenfeld,* Einl. p. 725 et inde probare audet auctorem evangelii fuisse erroribus gnosticis implicitum. Gnostici enim Ophitae demiurgum et deum Iudaeorum faciebant patrem serpentis (*Irenaeus,* haer. 1,30,8; *Epiphanius,* haer. 38,4). Valentiniani quoque diabolum dicunt esse κτίσμα τοῦ δημιουργοῦ. Eandem explicationem adoptavit *Volkmar,* ut evangelio inferret calumniam. Verum ipsi acatholici eam ut a s. litteris alienissimam (cf. *Weiss*) et contextui ac sensui plane repugnantem (*Keil*) repudiant. Eam *Corl.* quoque pluribus explodit.

Duobus indoles diaboli est descripta : homicidio et mendacio. Duo haec Iudaei quoque in se imitatione exprimunt i. e. desideria diaboli, patris sui faciunt. Illud iam v. 37 expositum est; hoc eis exprobrat Iesus in v. 45 *ego autem si veritatem dico, non creditis mihi* ὅτι *quia* ego τὴν ἀλήθειαν loquor, vos non creditis; ita enim indolem diabolicam in se referunt cum ideo non credant ei, quia veritatem dicit; tanto scil. amore mendacii capti sunt : « nihil enim aliud in me potestis arguere nisi solam veritatem, et hinc est illa vestra contra me rabies, quia filii patris mendacii estis » (*Theoph.*); « nam si mendacium dicerem, crederetis utique mihi tamquam id dicenti quod proprium est patris vestri » (*Euth.*); *Aug.* quoque et codices vulg. praebent *quia* veritatem dico, uti etiam legunt *Rup. Bon. Ians. Mald.* et ita legi in antiquis latinis etiam notant *Salmeron, Lucas brug. Tol.* aliique. Et ad sensum huius *quia* advertit *Rup.* : « quid isto perversius... quid magis obliquum aut transversum quam non credere cuiquam eo quod veritatem dicat »? Et magis eos urget, quaerens ex eis audeantne af-

firmare ullum a se unquam mendacium esse dictum v. 46 *quis ex vobis arguet* (lege *arguit*) *me de peccato?* si autem nemo eum ullius peccati arguere potest, ergo fateri eo ipso coguntur Iesum semper verum de se dixisse et testatum esse; proinde *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* homo tamen natura duce verum desiderat, quaerit, amplectitur! Si itaque Iesum nullius peccati accusare possunt, eo ipso profitentur eum verum dicere; cur ergo non credunt? en indoles diabolica : odium veritatis. Merito notat *Or.* : « magnam habet fiduciam Servatoris oratio, nullo homine cum ea confidentia quae nascitur ex non peccasse (μετὰ πεποιθήσεως τῆς ἐπὶ τῷ μὴ ἡμαρτηκέναι) dicere valente : quis ex vobis me arguit de peccato? sed solo Domino nostro haec valente ad omnes qui illum cognoverunt ».

Quaestioni : quare non creditis mihi? ipse respondet v. 47 *qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* audire vide v. 43 ; « ex Deo esse ait eum qui per virtutem et vitae probitatem Deo conciliatus sit dignusque habitus aliqua velut cum illo affinitate (τῆς πρὸς αὐτὸν συγγενείας) » (*Cyr.*). Illi ex Deo sunt, qui spiritu Dei se ducere sinunt; nam qui spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei (Rom. 8,14). Fideles ex Deo esse ait quia ab ipso normam accipiant pietatis eiusque proprii sint, cum propter virtutem, tum propter sanctam vivendi rationem (*Ammonius*, cat. Cord.). Quos antea dixerat patrem habere diabolum, ex diabolo esse eiusque desideria facere, eosdem nunc ex Deo non esse affirmat ideoque verba Dei non audire, non admittere. Illi ex Deo sunt qui a Deo trahuntur et huic Dei invitationi et gratiae obsequuntur. Ex Deo non sunt qui gratiam oblatam respuunt et quamdiu eam repudiant. Notat *Aug.* : « iterum nolite attendere naturam, sed vitium; sic sunt isti ex Deo et non sunt ex Deo : natura ex Deo, vitio non ex Deo ». Ergo uti Dei gratia quae nulli mortalium negatur vitium sanari et auferri potest, ita qui nunc sunt non ex Deo, eadem gratia ut sint ex Deo sanari poterunt. Atque multi qui Iesu praedicanti non crediderunt, crediderunt postmodum apostolis in nomine Iesu praedicantibus, uti ipse Iesus indicat v. 28 et 12,32 : et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.

Solet convicta impietas, dum non habet quod respondeat veritati, converti ad convicia (*Ians.*) v. 48 *responderunt ergo Iudaei et dixerunt ei;* notat *Cai.* cum simpliciter Iudaei dicantur, alios designari ab iis qui antea crediderint; atque talia Christo obiiciunt quae ex odio in eum diabolico enata sint oportet; *nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu et daemonium habes;* iam igitur ea convicia saepius Christo impingebant, *dicimus*, dicere solemus, affirmamus; καλῶς praeclare, egregie; *nos* cum emphasi, in oppositione ad Iesum, qui

eos coarguit. Samaritanum, i. e. inimicum populi electi eum vocant; nam solum talis qui moribus et indole ad stultum illum populum (Eccli. 50,28) pertineat, de populo Dei ea proferre posse iis videtur, quae Iesus dixit; et insuper aiunt eum a daemone inspiratum tanto invehi furore; iis itaque plane furere et insanire daemone impellente videtur (*Chr.*); cf. 7,20. Christi in respondendo tantis conviciis mansuetudinem omnes praedicant; « quid ergo Christus, ἡ πραότης, ἡ ἐπιείκεια » (*Chr.*)? v. 49 *respondit Iesus : ego daemonium non habeo, sed honorifico Patrem meum;* maxima emphasi dicit *ego*... seipsum ab eis distinguens et eius convicii se immunem declarans, idque dictum in eos potius quadrare ostendit (*Cyr.*). Repellit eam calumniam aperte, ne animis infirmorum ex auctoritate nobilium scrupulus ingeratur; repellit eo quod Deum honorat, id quod daemonium nunquam neque facit neque suadet. Quaerere solent, cur Samaritanum se esse non repudiet. Varia afferuntur (ex notione custodis, ex parabola de misericorde Samaritano); *Thom.* ex *Or.*, quia iam advenisset tempus omnes gentes vocandi ad fidem, ideo Iesum non negare se esse Samaritanum, ut omnibus omnia fieret. Sed duo oportet attendi. Non obiiciunt eum esse genere vel nativitate Samaritanum; dein, ut bene notat *Tol.*, eum esse indole et moribus Samaritanum, luculenter refutatum est responsione Christi. Honore enim quo Deum prosequitur et confirmatur eum non habere daemonium neque esse studiis ac moribus Samaritanum.

Verum simul graviter monet quem culpae reatum incurrant *et vos inhonorastis me,* v. 50 *ego autem non quaero gloriam meam; est qui quaerat et iudicet;* de iniuria mihi illata ego quidem non capiam vindictam, quia non quaero gloriam meam tamquam homo; veni quippe ministrare, animam meam ponere, contumelias et iniurias pati, non repellere aut vindicare; haec dicit ne illi imbecillitati vel infirmitati tribuant, quod tantae iniuriae vindictam non faciat (*Tol.*). At minime impunes abibunt : *est*, exsistit, adest *qui* meam gloriam *quaerat*, qui scil. vult ut omnes me honorent, qui etiam me glorificabit coram cunctis gentibus et qui *iudicet*, qui scil. verbum olim iam editum de iis qui prophetas a Deo missos spreverint etiam opere complebit : qui autem verba eius quae loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor exsistam (Deut. 18,19; *Tol.*); atque eo magis iudex et ultor exsistet de tam horrendo opprobrio Filio impacto. Hoc iudicium non asseritur contra id quod 5,22 dicitur; nam nunc agitur non de iudicio universali omnium, sed de privato et quasi quotidiano quo solet Pater ignominiam et iniurias Filio et sanctis illatas vindicare (*Mald.*) et mox post Christi ascensionem improbi Iudaei hanc in se vindictam variis modis experti sunt (*Tol.*).

Terruit eos docens opprobrium illud punitum iri. At qua est cordis mansuetudine et misericordia, ad cohortationem vertitur et illis ostendit qua ratione non solum supplicium effugere, verum etiam vitam consequi possint aeternam (*Chr. Theoph. Tol. Schz.*) v. 51 *amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum;* vide ad 5,24 et 4,13. 14 et 3,16. Nexum tamen alii aliter adstruunt : cum malorum perversitas crescit, non solum praedicatio frangi non debet, sed etiam augeri (*Thom. Rup.*); ita ostendit Christus, cum lacessitus non desistat a praedicatione, se non quaerere gloriam propriam sed ea quae sint salutis humani generis (*Cai.*); Iudaei calumniantur sermonem eius esse insanum, a daemone profectum; Dominus e contra proclamat quam sit salutaris (*Ians.*); neque enim propter eorum contumeliam de sententia deiectus est, immo doctrinam suam etiam magis vult asserere eiusque fructum demonstrare; unde magna quoque asseveratione incipit (*Mald.*).

Sed quanto magis lux se illis manifestat, eo magis sese tenebris obvolvunt v. 52 *dixerunt ergo Iudaei : nunc cognovimus*, re ipsa videmus, quod antea opinando enuntiavimus, *quia daemonium habes; Abraham mortuus est et prophetae;* viri maximis Dei donis insignes, sanctitate eximii mortem obire debebant, sorte communi omnium minime exempti sunt; *et tu dicis : si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum;* en Abraham et prophetae sermonem Dei quam maxime omnium servarunt neque tamen mortem a se depellere poterant! pro Iudaeorum malitia verba Iesu ita detorquent ad mortem corporalem, ut eum absurda dicere et blasphema plebi evadat manifestum. Et uti est indignantium et insultantium, verba multiplicant, eadem repetunt v. 53 *numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est et prophetae mortui sunt; quem te ipsum facis?* Respondet Christus incipiens ab ultimo quo eum iactantiae et superbiae intolerabilis accusarunt; atque mansuetudine maxima reponit praemittens per modum *concessionis* quae apta est animis vel conciliandis vel ad pacatam rei considerationem invitandis v. 54 *respondit Iesus : si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est*, loquitur ut 5,31 (*Chr.*); ergo ut eos moneat rem serio perpendendam esse, dicit : si nihil aliud vobis proponeretur, nisi nudum meum hominis quem putatis verbum, utique possetis excusari; at quanta videtis et quot signa quibus Deus meam coram vobis gloriam apertissime demonstrat : *est Pater meus qui glorificat me quem vos dicitis quia Deus vester est;* proin vestra ipsorum assertione, Dei vestri quem ut talem profitemini, de quo gloriamini, testimonium saltem debuistis cum reverentia accipere! Verbis dicitis eum Deum vestrum; re vera autem

eum non nostis, quia testimonium eius non suscipitis neque ei obedientiam praestatis neque eius spiritu et ductu vos regi sinitis.

Immerito eos loqui de Deo *suo* illis exprobrat v. 55 *et non cognovistis eum;* proin non est Deus *vester*, cum sitis ab eo animis moribusque alieni (*Mald.*), affectu et voluntate non in eum ferimini (*Tol.*); *ego autem novi eum*, ideoque de eo et eius de me testimonio testari possum secundum rei veritatem, *et si dixero quia non scio eum ero similis vobis, mendax;* vide ad v. 44. 45 eo sensu eos vocat mendaces, quam indolem diabolicam statim prae se ferebant v. 48; insuper : qui dicit se nosse eum et mandata eius non custodit, mendax est (1 Ioan. 2,4). Hac sententia Iesus maximo pondere asseverat quod dixerat : ego novi eum; idque tertio affirmat : *sed scio eum et sermonem eius servo,* simul explicat, quomodo notio et scientia Dei necessario in vita manifestetur, dummodo vera cognitio eius animo inhaereat; cf. v. 46; illa quaestione demonstrat omnium suffragio et modo ad eorum captum idoneo se sermonem Dei, praecepta Dei et voluntatem servare.

Dein respondet ad id quod illi priore loco dixerant : numquid tu maior es patre nostro Abraham? v. 56 *Abraham pater vester*, quem ita appellantes imitari debetis ne vana sit et mendax haec appellatio et gloriatio vestra, *exsultavit ut videret diem meum;* ergo si filii Abraham, facite opera eius v. 37; gaudio ille exsultavit; dies Christi est dies quo apparet in terris: et Verbum caro factum est; per vaticinia sibi facta cognovit Abraham mysterium hoc, cognovit Messiam ex suis posteris oriturum; unde summa laetitia exsultavit, ἵνα ἴδῃ, in id exsultatio eius dirigebatur quasi in finem et terminum, ut hunc diem adventus Messiae (vel ut alii addunt, ut tempus Messiae, cf. *Mald. Patr. Fil.*, uti *Cyr.* quoque τὸν τῆς ἐπιδημίας καιρὸν καθ᾽ ὃν ἡμῖν τὸ φῶς ἔλαμψεν) aliquando videret. Quantopere igitur alieni sint ab indole patris quem iactant hisce iam manifestatur; non modo non gaudent de die Messiae; sed ipsum persequuntur, summo odio habent, interimere gestiunt. Sed quid Abraham? *vidit,* quod summo desiderio optaverat ei contigit, vidit adventum meum, vidit, ubi nunc est, in limbo; « vidit tempus adventus mei in limbo ubi est *et gavisus est* gaudio novo novaque exsultatione; prior exsultatio fuit spei, haec est rei; en duplex Abraham exsultatio » (*Bar.*) et similiter *Ians.* : quod desideravit assecutus est; vidit enim diem meum oculis spiritualibus, quia iam agnovit me in mundum venisse, ob id gavisus est quod per me sciat se et genus humanum redimendum et in coelos subvehendum; et eodem modo *Salmeron* : vidit ex limbo patrum, similiter *Mald. Lap.* (tertio et genuine), *Menochius, Tirinus, Patr. Corl. Schg. Schz. Weiss;* eius sententiae etiam mentionem faciunt *Sa, Estius, Calm.* Iudaei itaque

longissime distant ab Abraham qui dum esset inter vivos summe desideravit adventum Messiae, et qui mortuus corpore, sed vivus anima dum cognovit et vidit adventum Messiae novo gaudio est perfusus.

Diem Messiae explicat *Chr.* de die crucis; alii de die aeternitatis (*Aug.*); utrumque diem aeternitatis et incarnationis eum vidisse per fidem *Thom.* censet. Abraham inter vivos constitutum per fidem et revelationem *vidisse* diem Christi, non solum exsultasse, ut videret, constans est veterum sententia. Verum quando viderit alii aliter censent atque *Cyr.* putat tum vidisse quando viros tres hospitio excepit et promissionem a Deo accepit se fore patrem multarum gentium (Gen. 18,1 seq.), in quam sententiam etiam *Bed. Rup.* concedunt; *Bon.* ad Gen. 15 remittit, *Aug.* autem ad Gen. 24,2, *Thom.* eum vidisse diem Incarnationis probat ex Gen. 18 et 24 et ex oblatione arietis et Isaac, qua praefigurata sit passio Christi. *Cai.* intelligit Abraham vidisse visione certae notitiae claritatem divinitatis Christi; idque consequi dicit quia Iudaei dicunt : et Abraham vidisti? unde concludit verba quibus usus sit Christus significare praesentiam suam Abrahae, et Christum respondere de sua divinitate. At ex hoc non sequitur *diem meum* esse diem aeternitatis; neque ex Iudaeorum quaestione id efficitur quod *Cai.* vult. — Plura de hoc loco aliorum interpretamenta vide, si libuerit, apud *Bar.*

Iudaei pro sua malitia volunt verba Iesu quam maxime absurda demonstrare (*Ians.*) neque enim Christus dixit a se homine Abraham esse visum, sed Abraham vidisse diem suum; sed multa possunt certa notione cognosci antequam fiant et Iudaei bene norunt prophetas vidisse eventus futuros et de viris quoque vaticinatos esse qui postea in lucem erant edendi, proinde vidisse diem illorum (cf. Ios. 6,26. 3 Reg. 14, 14. Is. 42,1; 45,1 etc. Ier. 23,5. Ez. 34,23 etc.); verum ad calumniandum, ut ipsi putabant, accommodatius erat ita rem proponere ac si Christus diceret a se homine esse Abraham conspectum (cf. *Tol.*) v. 57 *dixerunt ergo Iudaei : quinquaginta annos nondum habes et Abraham vidisti?* cur 50 annos eum nondum habere dicant, cum tamen Iesus eo tempore solum triginta tres annos natus esset, ratio a plerisque ex eo petitur, quia ab anno quinquagesimo aetas virilis in senilem aetatem deflectere videatur; unde sensus esse potest : nondum senescere incipis et iam Abraham vidisti? vel adhuc es in aetate qua ministeria obeunda sunt (cf. Num. 4,3. 35. 39. 43. 47; 8,24); numerum itaque rotundum ponunt, ut significent etsi haberet aetatem multo maiorem quam ageret tamen non potuisse Abraham conspexisse (*Tol.*); spectasse ad morem sui saeculi, id est, iubilaei, censet *Ians.* : nondum saeculum implesti et audes dicere? de iubilaeo etiam Severus multa habet in cat. Cord.; ex hoc loco natus est error Irenaei de Christi

aetate (cf. *Patr.* de evang. dissert. 19 n. 40); *Euth.* censet Iesum ob gravitatem et iudicii maturitatem, doctrinam et experientiam habitum esse plus quam quadragenarium (*Chr.* legit quadraginta annos); sed certo Iudaei nolebant eum laudare. Aliis placet Christum ob labores et molestias ita corpore affectum fuisse ut merito quadragenario maior videretur.

Verum quod illi calumniando et rem ad risum trahendo dixerunt et dictum esse volebant, eo utitur Christus ut praeclarissimum suae divinitatis testimonium ac documentum edat eosque convincat eos verum dixisse, utique inscios, ad modum asinae Balaam; v. 58 *dixit eis Iesus : amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum;* voce *ego sum* significatur ipsum esse perpetuum, ab omni liberum tempore; « sicut illius Pater usus est illa voce *Sum* εἰμί, sic et ille » (*Chr.*) et bene ait *Euth.* τὸ μὲν γενέσθαι κτιστοῦ, τὸ δὲ εἰμ. ἀκτίστου; esse suum aeternum, nulli mutationi aut interitui obnoxium sollemni formula quasi iuramenti loco ad confirmationem dictorum asseverat (cf. *Cyr.*). Proinde clarissime docet se quamvis ut homo certam haberet ac definitam aetatem, esse tamen praeterea Deum qui ante omne tempus exstiterit (*Mald.* et simili modo omnes, etiam *Weiss,* qui agit contra eos protestantes qui explicare volunt de esse *ideali,* de eo quod in Dei consilio exstiterit; quo sensu omnes et omnia essent ab aeterno, quia Deus aeterna sua scientia omnia complectitur quasi praesentia).

Sed iterum quo magis lux divina eorum oculos perstringit, eo densioribus tenebris se committere student; Iesum ut blasphemum lapidare tentat (cf. Lev. 24,16) v. 59 *tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum; Iesus autem abscondit se et exivit de templo,* ἐκρύβη, id quod probabilissime explicandum erit cum *Cyr.* : « occultat autem se Christus non parietes subiens, non aliud quidquam proprio corpori obtendens, sed vi deitatis se minime conspicabilem quaerentibus reddens »; ita quoque *Theod. heracl.* in cat. Cord. et Cr. *Theoph. Euth. Thom. Cai. Tol. Ians. Mald. Lap. Calm. Nat. Schz.;* aliis tamen id videtur minus probabile, sed magis convenire, ut Iesus se subtraxerit sese turbis immiscendo vel in aliquam templi domum ingrediendo vel in locum aliquem absconditum divertendo; ita videntur intellexisse *Chr. Aug.* : tamquam homo a lapidibus fugit; ita *Bar. Corl. Schg. Fil. Weiss, Edersheim;* id utique in aedificio templi quod plurimis cubiculis, porticibus erat distinctum facile fieri poterat; praesertim si, ut *Ed.* vult, Iudaei in atrium gentilium se proripiebant ad lapides tollendos; cf. 2 Par. 24,21 miserunt lapides iuxta regis imperium in atrio domus Domini et Matth. 23,35 quem occidistis inter templum et

altare et Iudaeos in ipso templo lapidationem exsecutos esse, vide apud *Iosephum* (Antiq. 17,9,3; *Schz.*).

g) Iesus sanat caecum natum 9,1-12.

9,1. Et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate. 2. Et interrogaverunt eum discipuli eius : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes eius, ut caecus nasceretur? 3. Respondit Iesus : Neque hic peccavit, neque parentes eius; sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. 5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

6. Haec quum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos eius.

7. Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpretatur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns.

8. Itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est, qui sedebat et mendicabat? Alii dicebant : Quia hic est. 9. Alii autem : Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit : Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. 12. Et dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio.

9,1. Καὶ παράγων εἶδεν ἄνθρωπον τυφλὸν ἐκ γενετῆς. 2. καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, λέγοντες, Ῥαββεί, τίς ἥμαρτεν, οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ; 3. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Οὔτε οὗτος ἥμαρτεν οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ· ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. 4. ἡμᾶς δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νὺξ, ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι. 5. ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, φῶς εἰμὶ τοῦ κόσμου.

6. ταῦτα εἰπὼν, ἔπτυσεν χαμαὶ, καὶ ἐποίησεν πηλὸν ἐκ τοῦ πτύσματος, καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῦ τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμούς.

7. καὶ εἶπεν αὐτῷ Ὕπαγε, νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωὰμ (ὃ ἑρμηνεύεται, Ἀπεσταλμένος). ἀπῆλθεν οὖν καὶ ἐνίψατο, καὶ ἦλθεν βλέπων.

8. Οἱ οὖν γείτονες, καὶ οἱ θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον ὅτι προσαίτης ἦν, ἔλεγον, Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ καθήμενος καὶ προσαιτῶν; 9. ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι οὗτός ἐστιν· ἄλλοι ἔλεγον, οὐχί, ἀλλὰ ὅμοιος αὐτῷ ἐστίν. ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὅτι ἐγώ εἰμι. 10. ἔλεγον οὖν αὐτῷ, Πῶς ἀνεῴχθησάν σου οἱ ὀφθαλμοί; 11. ἀπεκρίθη ἐκεῖνος Ὁ ἄνθρωπος ὁ λεγόμενος Ἰησοῦς πηλὸν ἐποίησεν καὶ ἐπέχρισέν μου τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ εἶπέν μοι, Ὕπαγε εἰς τὸν Σιλωὰμ, καὶ νίψαι· ἀπελθὼν οὖν καὶ νιψάμενος ἀνέβλεψα. 12. καὶ εἶπαν αὐτῷ, Ποῦ ἐστὶν ἐκεῖνος; λέγει, Οὐκ οἶδα.

In v. 1 sin vidit caecum qui caecus erat ex vulva matris suae. In v. 2 sin om rabbi. In v. 3 ut manifestetur opus am ben dun fuld hub med st lind. In v. 4 ημας δει ℵ* B D L Cyr Nonn syr (hr) Ti W H. In v. 6 B επεθηκεν. In v. 7 sin lava faciem tuam... et cum lavisset faciem suam aperti sunt oculi eius. In v. 8 caecus et mendicus a c e l; τυφλος και πρ C^3 Γ Δ Λ unc 7 al pler. In v. 11 εις τον Σιλωαμ ℵ B D L X it sah syr (hr) arm Ir Cyr Ti W H.

« Postquam Dominus doctrinae suae illuminativam virtutem ostendit verbo, hic consequenter confirmat eam facto caecum corporaliter illuminando » (*Thom.*). In qua narratione merito laudatur nativa plane simplicitas ac pelluciditas (*Patr.*). In ea quam maxime depingi-

tur pharisaeorum malitia, contumacia, obcaecatio plane voluntaria, immo omnibus viribus accita. Ostenditur non solum odium quo Iesum prosequuntur, sed etiam quanto conatu impedire studeant ne quis in eum credat (9,22). Eorum tyrannide plebs a fide retinetur. Astuta eorum malignitas nativa simplicitate et sano iudicio mendici illius egregie confunditur. « Observandum in pharisaeis, quam indefesso studio impii veritatem obscurare nitantur, quanto furore, dum convincuntur, contra veritatis assertores exagitentur, quamque impotenti superbia non sinant ii qui se aliquid esse credunt meliora sibi suggeri ab iis quos prae se contemnunt; in caeco observandum, quanta sit veritatis vis, quamque haec fortes et intrepidos faciat etiam eos qui alioquin quosvis metuebant » (*Ians.*).

Haec narratio adeo arcte ad antecedentia adnectitur, ut vix dubium esse possit quin eventus hic Christo e templo egresso contigerit. Nam postquam evangelista narravit: *et exivit de templo*, immediate pergit et adiungit v. 1 *et praeteriens Iesus vidit hominem caecum a nativitate*, idque adeo cum 8,59 connectit, ut secundum editiones ne nomen quidem *Iesus* repetatur, sed ex antecedenti : Iesus autem abscondit se, suppleri debeat. Quare dicendum erit cum *Chr.* e templo egressus caecum sanavit (sim. *Fil. Mald. Schz.*) et vix cum *Fil.* aliisque longius intervallum assumi poterit. Neque valet quod *Ians.* urget pro longiore intervallo : exeunti e templo non adfuisse discipulos, nunc adesse. Nam incredibile videtur Christum sine discipulis comitibus cp. 8 in templum venisse, populum docuisse, cum Iudaeis disputasse. Nonne iam illa tam accurata narratio, qua singula quae disputabantur cp. 8 proponuntur, satis per se testatur evangelistam disceptationibus interfuisse? Homo ille ut caecus a nativitate notus erat, prout ex discipulorum interrogatione consequitur. Iesus *vidit* eum; sane non fortuito; voluit enim novo miraculo, ut *Chr.* notat, duritiem illorum immanitatemque emollire et fidem dictis conciliare. Atque eo modo oculos dirigit in eum eumque aspicit, ut discipuli reddantur ad eum attenti (*Chr. Theoph. Ians. Tol.*); unde v. 2 *et interrogaverunt eum discipuli eius : Rabbi, quis peccavit, hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur?* sunt itaque discipuli in eodem errore, in quo versantur v. g. amici Iob, afflictionem omnem poenam esse peccati. Morbos etiam infligi in poenam peccatorum certum est, uti colligere poterant ex eo quoque quod Iesus monuit 5,14 : iam noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat, quod addit, postquam dixit : ecce sanus factus es; unde morbum illum fuisse poenam peccatorum facile consequitur. Verum longius progressi omnem morbum rationem habere poenae pro peccato personali censent.

Facile discipulis in mentem venire poterat infantes puniri ob peccata parentum. Nam minatur Deus se iniquitatem puniturum usque in tertiam et quartam generationem (Deut. 5,9) et Gen. 19 propter vitia Sodomitarum etiam infantes perierunt; propter peccatum David parvulus mortuus est 2 Reg. 12,14 etc.; praeterea vitiis parentum fieri potest, ut filii nascantur variis defectibus morbisque infecti; insuper apud rabbinos pervulgatum est liberos ob parentum peccata nasci mancos, tortos, aliqua parte mutilos (cf. *Lightfoot*, Horae hebr. ad h. l., *Wünsche* p. 537, *Edersheim* II p. 178 seq.). Sed quomodo quaerere poterant, ipsene peccasset, ut caecus nasceretur? De praeexsistentia quadam animarum, in quo statu peccare possent (*Cyr.*) apud Iudaeos sermo esse vix potest, neque de migratione animarum ab uno corpore ad aliud, quam migrationem *Iosephus* quidem a pharisaeis affirmari contendit (Bell. iud. 2,8,14), at alio in loco iis eam opinionem negare videtur (Antiq. 18,1,3). Num putabant aliquem puniri propter peccata futura a Deo praevisa? haec opinio ab aliquibus explicationis gratia affertur (*Theod. M.*). Verbis ipsis suadetur, fieri posse ut quis peccet antequam nascatur; docent enim rabbini malum affectum incipere dominari a nativitate; nam Gen. 4,7 dici : peccatum cubat ad ostium (cf. *Lightfoot*, *Wünsche* l. c.). Cuius opinionis occasio vel fulcrum etiam esse potuit quod habetur Gen. 25,22 collidebantur in utero eius parvuli, et Os. 12,3 : in utero supplantavit fratrem suum. — Aliter *Chr. Thom.* quaestionem accipiunt : rogare discipulos quaenam sit causa caecitatis eo in casu, quia ipse caecus non potuerit peccare antequam natus esset, neque filius puniatur pro peccatis parentum (Deut. 34,16. Ez. 18,20 : filius non portabit iniquitatem patris). Sed manifestum est, si hoc voluissent exprimere, alio plane modo eos loqui debuisse. Quare verba nativa sua notione retinenda sunt et dicendum, discipulos obscuro aliquo et vago modo opinatos esse potuisse fieri ut ipse esset in culpa cur caecus nasceretur. Censet *Tol.* eam opinionem eos hausisse ex iis locis, in quibus dicitur : in iniquitatibus conceptus sum; non est mundus, nec infans unius diei, omnes esse peccatores. Addit insuper, propter peccatum originale Deum saepe poenis corporalibus infantes affligere, « quod recte docuit Augustinus lib. 22 de Civit. cap. 22 ». Quod eo sensu verum est, quia propter peccatum originale varii morbi, miseriae, scelera inducta sunt, ex quibus fieri potest, ut infantes gignantur multis etiam vitiis corporalibus infecti. Solum enim peccatum originale quod omnibus infantibus inest, non potest assignari causa, cur hic caecus natus sit.

Illum errorem quo censent omnem calamitatem infligi propter peccatum commissum Iesus responsione sua dispellit v. 3 *respondit Iesus :*

neque hic peccavit neque parentes eius, scil. ut caecus nasceretur, quae verba ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ apud *Chr. Theoph. Cyr.* ipsi textui inserta leguntur, *sed ut manifestentur opera Dei in illo* i. e. propterea caecus natus est, ut etc.; ostendendum erat in illo qualia essent Dei opera, quantae potentiae et quantae rursum bonitatis (*Ians.*). Nascuntur multi variis obnoxii defectibus, caeci, claudi. Vires enim naturales quandoque deficiunt vel aliae subsunt causae quibus impeditur ne partus ad debitam pertingat perfectionem. Quod ita causis naturalibus exsistit Deus pro sua providentia et bonitate ad finem altiorem dirigit. Permisit itaque in caeco illo caecitatem, ut ex ea opera Dei, gloria Dei, gloria Filii Dei (*Chr.*) manifestarentur; pro homine quoque iste defectus occasio erat boni spiritualis. Quia igitur eiusmodi defectus causis naturalibus oriuntur, non est hic quaerendum, quomodo Deus sine iniustitia talem poenam absque ulla hominis culpa infligere possit; neque opus est dicere hominem non habere ius, neque Deum negare debita, sed solum non omnia donare quae donare potuerit (cf. *Tol.*). Christus itaque indicat ad quem finem defectus ille directus sit a Deo; neque tamen inde sequitur caecitatem immediate et directe a Deo esse effectam. Putant aliqui ἵνα *ut* non posse bene accipi nisi de eventu (ἐκβατικῶς, *Chr. Cyr. Theoph. Mald.*); at nulla est ratio recedendi a nativa notione, uti iam *Thom. Tol.* ostendunt.

Quam manifestationem operum Dei Christum efficere oportet v. 4 *me oportet operari opera eius qui misit me*, graece saepe legitur ἡμᾶς, plerumque tamen solum in membro priore, quandoque utrobique (*Cyr.*) qua lectione Iesus apostolos suos in societatem operis assumit quo opera Dei perfici oportet et ostendit opus a se inceptum, qui missus sit a Patre ad illud inaugurandum, continuandum esse ab apostolis; oportet autem in iis operari *donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari;* « et diem quidem hic corporeae vitae tempus nominat, noctem vero diem mortis; dies enim tribuitur operibus, nox otio et somno; idcirco vitae tempus quo operandum est diem esse dicunt, noctem autem dormiendi tempus, quo ab omni opere cessatur » (*Cyr.*); dicit itaque Christus etiam pro se : dum vivo, operandum mihi est (*Chr.*) et diem vocat tempus corporalis suae in mundo praesentiae; noctem vero tempus mortis, quo ex decreto Patris vacaturus erat a doctrina et miraculorum operibus, sic ut ea per sese non corporaliter sit exhibiturus (*Ians. Tol. Mald.*). Et cum dicatur : venit nox, quando nemo... sententia et applicatio generalis iam satis enuntiatur vel pro singulis vel pro genere humano (cf. *Chr. Euth. Mald.*). Et cur Christum oporteat operari, donec dies est, i. e. dum in hac vita mortali versatur, ratio affertur v. 5 *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*,

est autem lux eo quod doctrina et operibus illuminat; lux autem non potest non lucere; eadem itaque necessitate Christus opera Patris peragit; « eos qui obtenebrati sunt, oportet illuminari per fidem, priusquam a mundo transeam; quid ergo, cum in coelo est, non est lux mundi? est utique, sed nunc de conversatione sua in terra dicit, simul et ad fidem adhortans et propinquam esse mortem suam significans » (*Euth.*). Verba haec de vita Iesu terrestri dici, plerique merito tenent (cf. *Cyr. Theod. M. Thom. Ians. Tol. Mald. Schz.*); alii tamen explicant de toto tempore usque ad consummationem saeculorum (*Aug. Bed. Rup. Schg.*). Sed cum Christus loquatur de operibus quae ipse debeat peragere ante suam mortem, etiam in v. 5 idem tempus intelligi debet, quod ipsa locutione ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ *quando sum in mundo* significatur; nam dicitur missus in mundum, venisse in mundum, loqui in mundo, transire ex hoc mundo, relinquere mundum et dum in eo est, ut relinquat mundum, dicit : iam non sum in mundo (17,11; cf. 3,17. 19; 6,14; 8,26; 11,27; 12,46; 13,1; 16,28 etc.). Iam hisce locutionibus indubius redditur sensus, etsi connexionem cum v. 4 non respexeris.

Et quia lux est, lucet (opera Dei peragit), etsi oculi male affecti lucis fulgore offendantur et excaecentur, neque enim propter illos reliquis beneficium lucis subtrahi potest. Unde ad miraculum patrandum progreditur v. 6 *haec cum dixisset*, proin quae in v. 3-5 continentur, nos docent qua ratione hoc miraculum oporteat considerare; iam saepius innuerat appropinquare finem vitae suae temporalis (7,33; 8,28; 9,4); quare modo quasi insigniore, quo quam maxime omnes percellantur, opus perficere vult, ita ut de eo quam firmissime constet eiusque veritas a nullo possit in quaestionem vocari; *exspuit in terram et fecit lutum ex sputo et linivit lutum super oculos eius* v. 7 *et dixit ei : vade, lava in natatoria Siloe* (*quod interpretatur Missus*); bene notat *Ians.* : « porro ne quis miretur quod sic a Domino caecus permiserit se tractari et luto oculos perungi, advertendum evangelistam brevitati studentem non omnia scripsisse quae circa ea quae narrat sunt dicta vel facta, verum multa nobis reliquisse intelligenda » (sim. *Tol.*); ita caecus scit quis lutum fecerit; ergo a discipulis vel turba ei dictum est; fortasse Iesus eum interrogavit, velletne visum recipere et alia huiusmodi, quae facile supplentur. Vario modo Iesus patrat miracula; solo verbo sanavit aegrotum 5,8; hoc loco non item. Efficit sanationem eo modo quo malevoli aemulatores traditionum humanarum offenduntur et mira stoliditate excaecantur (v. 16. 24) et quo fides et obedientia caeci elucet et ipsa quoque sanatio latius innotescit, dum caecus non sine multorum admiratione oculis luto illi-

tis pergit vel se ducendum praebet ad piscinam et mox videns revertitur. Quae singula conferunt ad opus Dei manifestandum quod Christus operatur, uti ipse indicat v. 39.

Aliae rationes afferri solent : Christum eo modo oculos restituisse, quo Deus corpus primi hominis plasmaverit et ita se probasse Deum ac Creatorem (cf. *Chr. Cyr. Theoph. Theod. M. Thom. Ians. Tol. Mald.*); eo modo sanasse qui effectui potius esset contrarius; luto enim oculos non aperiri sed claudi (cf. *Cyr. Ians.*); etiam hic voluisse Iesum ostendere corpus suum, in quantum sit divinitatis organum, virtutem quandam salutarem esse sortitum (*Thom.* sim. *Cyr. Schg.*); ea autem ab evangelista ideo quoque commemorari, ut errores illi gnostici de materia in se mala excludantur et explodantur (*Schz.*). — Mittitur ad piscinam Siloe; vallem Tyropoion usque ad fontem Siloe protendi ait *Josephus* (Bell. iud. 5,4,1); hodiernum Ain Silwân fere locum priscae piscinae Siloe occupare dicitur (cf. *Riess*, Bibelatlas); nomen legitur Neh. 3,15 שֶׁלַח, Is. 8,6 שִׁלֹחַ, שִׁילוֹחַ, unde explicatio petitur Missus, ἀπεσταλμένος. Evangelista alias quoque nomina hebraea graece explicat (cf. 1,38. 41; 11,16); unde quis suspicari possit eandem consuetudinem hic servari. At hoc loco tamen aliud quid indicare censendus erit; lotione illa visum recipit caecus, recipit visum postquam Missum adiit; unde nomine ipso innuitur verus ille Missus, beneficii largitor (cf. *Chr. Aug. Ians. Tol. Schz. Fil.*). Typica haec vel symbolica ratio eo facilius agnosci potest quia in festo tabernaculorum ex Siloe aqua hauriebatur sollemni pompa (vide ad 7,37) : haurietis aquas in gaudio de fontibus salutis (Is. 12,3).

Magna fide obedit homo : *abiit ergo et lavit et venit videns;* inutile est quaerere cum aliquibus, utrum prius domum tetenderit ad parentes, an ad templum Deo gratias acturus; prius aliqui concludunt, quia in v. 8 de vicinis sit sermo qui eum viderint; at isti vicini non desinunt esse vicini, etsi eum in templo vel alicubi in urbe viderint; v. 8 *itaque vicini et qui viderant eum prius quia mendicus erat dicebant : nonne hic est qui sedebat et mendicabat?* nominat evangelista eos qui caecum optime norant : vicinos, qui prope eius domum habitabant, eos qui frequenter eum propterea viderant quia mendicus erat (ὅτι explica causaliter, *Ians. Tol. Schz.*); mirantur itaque, quod nunc eum vident sanum oculis, quem eousque oculis captum noverant; *alii dicebant, quia hic est,* v. 9 *alii autem : nequaquam, sed similis est ei*, admiratione et quaestione illa facta alii affirmant, negant alii, uti fere in re insolita et creditu difficili fieri solet, prout scil. singuli vel rem conditionesque melius perspiciunt vel indole sunt ad credendum aut ad dubitandum negandumque promptiores. Hic vero eo maior suberat ratio

negandi pro eis qui hominem non frequentissime viderant, « quia, ut Augustinus dicit, oculi restituti mutaverunt vultum eius; quaestio determinatur per caecum » (*Thom.*); *ille vero dicebat : quia ego sum*, vox grata (*Aug.*); ego sum qui caecus eram et mendicabam et nunc video. Quo audito natura ipsa insitum est animisque insculptum, ut inquiratur causa; v. 10 *dicebant ergo : quomodo aperti sunt tibi oculi?* v. 11 *respondit : ille homo qui dicitur Iesus lutum fecit et unxit oculos meos et dixit mihi : vade ad natatoria Siloe et lava; et abii et lavi et video;* non dixit : exspuit in terram; nam tunc non viderat, sed lutum factum et oculis superpositum per sensum tactus didicit (*Thom.* sim. *Theoph. Euth.*). Audierunt : lutum fecit, unxit oculos meos; aderant, qui iam imbuti videntur prohibitione illa mischnica (de sabb. 24,3; *Surenhusius* II p. 75, *Wünsche* p. 538), licere quidem aquam infundere, neque tamen depsere; unde sabbatum esse violatum opinantes v. 12 *dixerunt ei : ubi est ille?* ipsa quaestio et modus quo Iesum designant animum eorum malevolum prodit; *ait : nescio.*

h) Inquiritur in caecum natum 9,13-34.

9,13. Adducunt eum ad pharisaeos, qui caecus fuerat. 14. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus et aperuit oculos eius. 15. Iterum ergo interrogabant eum pharisaei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video. 16. Dicebant ergo ex pharisaeis quidam : Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant : Quomodo potest homo peccator haec signa facere? Et schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo caeco iterum : Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit : Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Iudaei de illo, quia caecus fuisset, et vidisset, donec vocaverunt parentes eius qui viderat;

19. Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia caecus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes eius,

9,13. Ἄγουσιν αὐτὸν πρὸς τοὺς Φαρισαίους, τόν ποτε τυφλόν. 14. ἦν δὲ σάββατον, ἐν ᾗ ἡμέρᾳ τὸν πηλὸν ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀνέῳξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμούς. 15. πάλιν οὖν ἠρώτων αὐτὸν καὶ οἱ Φαρισαῖοι, πῶς ἀνέβλεψεν. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Πηλὸν ἐπέθηκέν μου ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ ἐνιψάμην, καὶ βλέπω. 16. Ἔλεγον οὖν ἐκ τῶν Φαρισαίων τινές, Οὐκ ἔστιν οὗτος παρὰ τοῦ Θεοῦ ὁ ἄνθρωπος, ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ. ἄλλοι ἔλεγον, Πῶς δύναται ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν; καὶ σχίσμα ἦν ἐν αὐτοῖς.

17. λέγουσιν οὖν τῷ τυφλῷ πάλιν, Τί σὺ λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἤνεῳξέν σου τοὺς ὀφθαλμούς; ὁ δὲ εἶπεν, ὅτι προφήτης ἐστίν.

18. Οὐκ ἐπίστευσαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι περ αὐτοῦ, ὅτι ἦν τυφλὸς καὶ ἀνέβλεψεν, ἕως ὅτου ἐφώνησαν τοὺς γονεῖς αὐτοῦ τοῦ ἀναβλέψαντος,

19. καὶ ἠρώτησαν αὐτούς, λέγοντες, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς ὑμῶν, ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη; πῶς οὖν βλέπει ἄρτι;

20. ἀπεκρίθησαν οὖν οἱ γονεῖς αὐτοῦ καὶ εἶπαν, Οἴδαμεν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱός ἡμῶν,

et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est; 21. Quomodo autem nunc videat, nescimus; aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus; ipsum interrogate, aetatem habet, ipse de se loquatur.

22. Haec dixerunt parentes eius quoniam timebant Iudaeos : iam enim conspiraverant Iudaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23. Propterea parentes eius dixerunt : Quia aetatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat caecus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus quum essem, modo video.

26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis : Dixi vobis iam, et audistis. Quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli eius fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit.

30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos. 31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit. 32. A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati. 33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos. Et eiecerunt eum foras.

καὶ ὅτι τυφλὸς ἐγεννήθη· 21. πῶς δὲ νῦν βλέπει, οὐκ οἴδαμεν· ἢ τίς ἤνοιξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς, ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν· αὐτὸν ἐρωτήσατε, ἡλικίαν ἔχει· αὐτὸς περὶ ἑαυτοῦ λαλήσει.

22. ταῦτα εἶπον οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ὅτι ἐφοβοῦντο τοὺς Ἰουδαίους· ἤδη γὰρ συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστὸν, ἀποσυνάγωγος γένηται. 23. διὰ τοῦτο οἱ γονεῖς αὐτοῦ εἶπον, ὅτι ἡλικίαν ἔχει, αὐτὸν ἐπερωτήσατε.

24. Ἐφώνησαν οὖν τὸν ἄνθρωπον ἐκ δευτέρου ὃς ἦν τυφλὸς, καὶ εἶπαν αὐτῷ, Δὸς δόξαν τῷ Θεῷ· ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτωλός ἐστιν. 25. ἀπεκρίθη οὖν ἐκεῖνος, Εἰ ἁμαρτωλός ἐστιν, οὐκ οἶδα· ἓν οἶδα, ὅτι τυφλὸς ὢν ἄρτι βλέπω.

26. εἶπαν οὖν αὐτῷ, Τί ἐποίησέν σοι; πῶς ἤνοιξέν σου τοὺς ὀφθαλμούς;

27. ἀπεκρίθη αὐτοῖς, Εἶπον ὑμῖν ἤδη, καὶ οὐκ ἠκούσατε· τί οὖν πάλιν θέλετε ἀκούειν; μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε αὐτοῦ μαθηταὶ γενέσθαι;

28. ἐλοιδόρησαν αὐτὸν, καὶ εἶπαν, Σὺ μαθητὴς εἶ ἐκείνου· ἡμεῖς δὲ τοῦ Μωυσέως ἐσμὲν μαθηταί. 29. ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι Μωυσεῖ λελάληκεν ὁ Θεός· τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐστίν.

30. ἀπεκρίθη ὁ ἄνθρωπος καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ἐν τούτῳ γὰρ τὸ θαυμαστόν ἐστιν ὅτι ὑμεῖς οὐκ οἴδατε πόθεν ἐστὶν καὶ ἤνοιξέν μου τοὺς ὀφθαλμούς. 31. οἴδαμεν ὅτι ὁ Θεὸς ἁμαρτωλῶν οὐκ ἀκούει· ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου ἀκούει. 32. ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, ὅτι ἠνέῳξέν τις ὀφθαλμοὺς τυφλοῦ γεγεννημένου. 33. εἰ μὴ ἦν οὗτος παρὰ Θεοῦ, οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν.

34. ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπαν αὐτῷ, Ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος, καὶ σὺ διδάσκεις ἡμᾶς; καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω.

In v. 15 sin quomodo oculi tui aperti sunt? sim syr (sch) arm sah c ff[2] q quomodo vidisti (b l vides, e lumen recepisti). In v. 16 quia sabb. non custodit f l am fuld mt, Wordsw (codd. plur., quod sic a b). In v. 17 sin et dixerunt ad eum qui sanatus erat : tu quid dicis de eo? dixit eis : ego dico, propheta est; v. 18 et Iudaei non crediderunt ei quod caecus fuerit et miserunt ad patrem eius et matrem eius v. 19 di-

centes: estne hic filius vester? nonne vos dicitis, quod caecus natus sit? quomodo igitur nunc videt? In v. 21 sin habet *nescimus* solum semel in fine; ecce ipse est dominus annorum suorum; ex eo potestis scire. In v. 22 sin nam scribae et pharisaei decreverunt; sim e, r. In v. 23 sin om aetatem habet; r ipse pro se loquatur. In v. 24 et 25 sin qui sanatus erat, et per eum video; in v. 26 sin sanavit te... v. 27 (et audistis) quare iterum interrogatis me? v. 31 vocem peccatorum non audit; v. 33 quomodo fecit hoc?

Cum Iesum pharisaeis, vindicibus legis de sabbato, sistere non possent, saltem caecum sanatum sistunt v. 13 *adducunt eum ad pharisaeos qui caecus fuerat,* « ut manifestum reumque faciant violatae legis Dominum, qui lutum in sabbato fecisset » (*Cyr.* sim. *Thom. Ians. Tol. Mald.*); quare explicationis gratia subiungitur v. 14 *erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus et aperuit oculos eius;* notat *Mald.* : videtur indicari non fuisse sabbatum, sed aliquem alium post sabbatum diem, cum eum ad pharisaeos adduxerunt. Quae tamen conclusio non videtur certa. Pharisaeis exponunt illi rem et modum; hi audientes quod sabbato factum erat, non magnitudine miraculi inducuntur ad denuo interrogandum, sed quo certius ansam habeant accusationis; id quod particulis *iterum ergo* indicatur v. 15 *iterum ergo interrogabant eum pharisaei, quomodo vidisset;* en, non miraculum, non beneficium collatum, non opus adeo stupendum, singulare curant; modum solum faciendi inquirunt; homo rem enarrat simpliciter : *ille autem dixit eis : lutum mihi posuit super oculos et lavi et video* καὶ βλέπω: v. 11 ἀνέβλεψα; quare in v. 11 fortasse licet illud ανα negligere, praesertim quia de visu *iterum* recepto apud profanos quoque dicitur πάλιν ἀναβλέπειν (Ar. Plut. 95,117 cf. *Pape,* s. v.); alii tamen monent haud inepte dici eum recipere visum, cui abfuerit vel solum in potentia adfuerit quod communiter naturae actu tribuatur (cf. *Schz.*).

Qui malitiose agunt, ut *Thom.* notat, tacent quod bonum est, malum si quod videtur, manifestant, etiam bonum in malum convertentes; ita quidam petulantiores (οἱ ἰταμώτεροι *Chr.*) bonum subticentes quod contra Iesum esse poterat manifestant v. 16 *dicebant ergo ex pharisaeis quidam : non est hic homo a Deo qui* (lege *quia*, ὅτι) *sabbatum non custodit;* quae tamen ratio aliis nimis stulta videbatur; *alii autem,* qui non ex illis erant delirantibus sed εὐμαθέστεροι aequius iudicabant (*Cyr.*), *dicebant : quomodo potest homo peccator haec signa facere?* merito monent non solum de uno, sed de plurimis signis agi atque etiam de iis quae sabbato facta sint (cf. 5,10); accedit quod Iesus ea patrat et ad ea provocat pro sua a Deo missione; unde quam maxime conveniens erat illis malevolis talem opponere quaestionem.

Opponitur itaque ab iis qui in Iesum credebant ex pharisaeis; nam etiam ex principibus multi crediderunt in eum; at non confitebantur palam propter metum Iudaeorum (cf. 12,42; 19,38). Opinatur *Schg.* illos *alios* fuisse ex plebe; verum narratio a v. 13 ea tractat quae pharisaei agunt; isti interrogant et quaestione posita et responsione data referri exspectamus, quid hi senserint qui interrogarant; *et schisma erat inter eos* i. e. inter eos qui interrogarant, inter pharisaeos. Proinde isti *alii* tantum fortitudinis habebant, ut non in aliorum sententiam concederent. Uti supra apud populum opiniones de Iesu erant divisae, ita nunc etiam apud pharisaeos (cf. 7,12). Eo magis obstinatio pharisaeorum culpae est obnoxia hoc in eventu, quia ne illam quidem umbram excusationis habent, quam praetendebant 7,48.

Ipsius sanati exquirunt sententiam v. 17 *dicunt ergo caeco iterum : tu quid dicis de illo qui* (lege *quia*, ὅτι) *aperuit oculos tuos?* cum schisma esset inter ipsos, obstinati illi hanc ponunt quaestionem, ut fortasse ex ipsa responsione novam capiant materiam calumniandi Iesum. Nam magnum iam praeiudicium in Iesum gigni videretur, si ipse sanatus a laude benefactoris abstineret et certe sperabant fore ut non auderet eum laudare, de quo ipsi iam aliud plane iudicium palam enuntiassent; « existimabant siquidem, se cum multi essent, unum eumque pauperem et vilem et mendicum in partes suas facile pertracturos; volebant eum inducere ad mali quidpiam de Iesu effutiendum » (*Apollin.* cat. Cord.). Ita similiter censent *Cyr. Aug. Bed. Mald. Schz.* quaeri id a malis illis pharisaeis, et bene dicit *Rup. :* nitebantur infirmitatem causae suae linguae eius baculo sustentare, multum sibi illo schismate valere arbitrantes, si de illo nec ipse boni aliquid sentiret qui tantum ab eo commodum percepisset. Alii autumant hoc quaeri a bonis, qui suae sententiae (peccatorem non posse talia signa facere) patronum accersere optent (*Euth. Thom. Tol.*); insistunt quia interrogatur de eo quia aperuit oculos, non quia fecit lutum. Sed prior acceptio multo est probabilior et commendatur quoque ex v. 18; homo autem eorum exspectationem fefellit neque ullo modo pharisaeorum auctoritate aut supercilio perterritus est : *ille autem dixit : quia propheta est* i. e. homo a Deo missus, qui nomine et mandato Dei loquitur et agit. En, simplex homo sana usus ratione id deprehendit facillime quod signo illo indubie manifestatur.

Aliud responsum acceperunt ac speraverant; unde v. 18 *non crediderunt ergo Iudaei de illo quia caecus fuisset et vidisset;* « notanda est particula *ergo,* nam ex superioribus deducit sequentia, ut sit sensus : audientes caecum favere parti Iesum a Deo dicentium, cum non

haberent aliud refugium negarunt factum » (*Tol.* sim. *Ians. Schz.*); « ecce per aliud foramen evadere contendunt vulpeculae, ne gloriam Filii Dei cogantur videre; ad hunc resilierunt exitum, ut non crederent et non credendo quasi dubium facerent quod caecus fuisset et vidisset; fama quippe tantae rei etsi non penitus abscondi, tamen utcumque per hanc dissimulationem posse videbatur obscurari » (*Rup.*). Cum homo ille statim aperte prophetam Iesum proclamaret, Iudaeos putasse fraudem subesse et sanationem confictam, ut Iesu auctoritas conciliaretur, aliquorum est sententia (*Chr. Theoph. Euth. Mald. Schg. Fil. Weiss*) ac si conspiratio inter hominem atque Iesum exstitisset; non crediderunt, *donec vocaverunt parentes eius qui viderat;* nolebant credere miraculum; proin nihil aliud relinquebatur ad hanc suam sententiam vestiendam nisi ut parentes accerserent; « sperarunt se eos adigere posse ut nihili veritatem facerent et ex sua sententia loquerentur » (*Cyr.*) vel saltem ut ex responsis parentum aliquid colligeretur ad obscuritatem eventui offundendam. Quare ferocius eos interrogant (*Cyr.*) v. 19 *et interrogaverunt eos dicentes : hic est filius vester quem vos dicitis quia caecus natus est? quomodo ergo nunc videt?* « metu percellunt adigere volentes velut ex vi et necessitate ut respondeant quod audire cupiunt non esse natum caecum » (*Cyr.*); tria quaeri censent *Chr. Theoph. Euth. Thom. Ians. Tol. Mald. Fil.;* sed ipsa phrasi et re sufficit dici duo inquiri (*Schg. Schz.*). Rigide interrogant; etiam illud quem vos dicitis etc. innuit atque notat eos id falso dicere solitos esse; nec dicunt simpliciter : quomodo videt? sed quomodo *ergo* nunc videt? quasi dicerent : aut falsum est quod nunc videt aut quod caecus natus sit; sed videre eum constat, ergo falsum esse necesse est quod caecus natus sit (*Ians.*).

Verum quo magis veritatem obscurare et oppugnare student, eo magis confirmatur et singuli eorum conatus evertendi rem, rem clarius et evidentius demonstrant; comparat eos *Cyr.* oppugnatoribus urbis munitae, qui eam undique circumvallant et omnibus modis obsident; sic eos ad omnem audaciam proiectos perversitate sua miraculum obsidere; at frustra, eo magis in aperto ponitur vis eius insuperabilis. Parentes ita respondent, ut factum plane confirment neque tamen ullam praebeant speciem vel ad rem obscurandam vel ad sui accusationem v. 20 *responderunt eis parentes eius et dixerunt : scimus quia hic est filius noster et quia caecus natus est;* v. 21 *quomodo autem nunc videat nescimus aut quis eius aperuit oculos nos nescimus; ipsum interrogate; aetatem habet, ipse de se loquatur;* ergo quod sciunt aperte fatentur ad id officii ratione invitati; nosse vero medicum ei convenit qui gratiam et beneficium in se expertus est;

quod igitur magis consentaneum erat eum referre, utpote qui haberet certiorem notitiam, hoc exponere ipsum iubent (*Cyr.*) et ita se extra periculum constituunt, cum iis non possit crimini verti quod quaestionem ad eum remittunt, qui ea in re erat fide dignior (*Euth.*). Et cur ita caute et circumspecte responderint, explicat evangelista simul docens ad quantum iam culmen odium synedristarum in Iesum pervenerit v. 22 *haec dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudaeos; iam enim conspiraverant Iudaei* συνετέθειντο convenerat inter eos, *Euth.* explicat συμφωνεῖν, de vero decreto synedristarum vocem non accipiunt; sed synedristis curae erat ut hoc suum consilium vel propositum omnibus innotesceret, quo fidem in Iesum efficacius coercerent, *ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret*, ἀποσυνάγωγος, a coetu sacro exclusus (cf. Esdr. 10,8); eius excommunicationis duo gradus seu ordines in talmude distinguuntur : nidduj expulsio et cherem, anathema, maledictum. Expulsus veste lugubri incedere debebat et plerumque sacris prohibebatur; maledicto onustus penitus sacris prohibebatur et ab omni cum aliis Israelitis consortio excludebatur. Incertum tamen est, uter modus excommunicationis tempore Christi in usu fuerit. Voce ipsa solum exclusio a synagoga, proin modus prior, indicatur (cf. *Schz. Wünsche* p. 539). Sed patet hac a sacris exclusione etiam pro vitae communis consuetudine atque commercio exstitisse incommoda haud parva, iis enim nota impietatis et infamiae erat apud pios inusta et homines habebantur sacrilegi. Unde profecto erat, cur parentes tale periculum avertere sedulo curarent. Excusandi sunt, quamvis animum minus gratum erga beneficii largitorem ostenderint; eos excusare videtur ipse evangelista addens v. 23 *propterea parentes eius dixerunt, quia aetatem habet, ipsum interrogate.*

Ipsa sua inquisitione duo constare manifestissime ostenderunt : hominem fuisse caecum natum et a Iesu visu donatum. Neutrum possunt negare. Quid igitur pro eorum indole malevola et obstinata relinquitur? Id saltem obtinere conantur, ne homo praeco exsistat laudis Iesu, ergo ut miraculum oblivioni detur; v. 24 *vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat caecus et dixerunt ei : da gloriam Deo; nos scimus quia hic homo peccator est;* formula : da gloriam Deo, est formula quasi adiurationis qua quis sollemni modo admonetur ad veritatis confessionem, se stare coram Deo, reverendam esse eius maiestatem, ne ergo coram illo mentiatur, sed affirmando veritatem Deum, ipsam veritatem, honoret (*Mald. Ians. Tol.*), quo sensu quoque legitur Ios. 7,19 et similiter 1 Reg. 6,5. Quod autem hac adiuratione ab eo extorquere volunt est, ut Iesum non dicat prophetam, sed ut

peccatorem eum fateatur. Quare sua abutentes auctoritate cum emphasi dicunt *nos* scimus, synedristae, doctores in Israel, magistratus. « Ecce fabricatores mendacii, quomodo circumeunt, ut hunc non proselytum aut hospitem, sed civem ac domesticum gratiae Dei, secum faciant filium perditionis, cogentes eum, ut in mendacium commutet veritatem Dei; quid enim agitant, nisi ut istum suo faciant contestari mendacio et dicere : quia hic homo non est a Deo » (*Rup.*)? Volunt itaque, ut secum affirmet Iesum esse peccatorem (*Cai. Tol. Lap. Calm.*). Saepius verba ita accipiunt, ut iubeatur negare quod acceperit beneficium (*Aug.*), vel fateri se sanatum a Deo, non a Iesu, Iesum nihil fecisse, vel praestigiis esse usum (cf. *Chr. Cyr. Thom.*), vel totam rem esse fraudem (*Mald. Fil.*). At eiusmodi vel similia verbis non exprimuntur; neque credi potest eos ad tantum insaniae procedere, ut vellent homini persuadere ipsum non accepisse beneficium neque fuisse caecum.

Valde prudenter respondet homo simplex et moderate etiam, ne eos irritare et ad iram concitare videatur v. 25 *dixit ergo eis ille : si peccator est, nescio; unum scio, quia caecus cum essem, modo video;* id quod est praecipuum et quod illi supprimere volunt graviter effert. Attamen, ut *Cyr.* advertit, sermonem coniuncta verecundia temperans et gradui praefecturae debitum honorem reddens apposite dicit: si peccator est nescio; quod in me cernitur miraculum, vestris assentiri sermonibus non me sinit. Neque id dicit dubitando, sed more dubitantis (ἐν σχήματι διστάζοντος) eiusmodi nugas repellens (*Euth.*); « nihil de ea re nunc dico, neque sententiam fero » (*Chr. Ians.*).

« Quia igitur rem gestam non poterant evertere vel abolere, rursus ad modum curationis explorandum redeunt, velut si quipiam feram undique pervestigantes modo huc, modo illuc accurrant » (*Chr.*). Sperant scil. repetita quaestione hominem fortasse rem aliter narraturum aut aliquid additurum, quod in calumniam trahere possent aut adhibere ad falsitatem demonstrandam (*Ians.*). Agunt ut iudices solent, qui reum iteratis quaestionibus perturbant, ut sibi ipsi contradicat et convinci possit; v. 26 *dixerunt ergo illi : quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* « quid ergo ille? illis devictis et prostratis non ultra remisse loquitur; donec enim res examine et perquisitione opus habuit, moderate rem declaravit; postquam autem illos cepit splendidamque victoriam retulit, audacter illos aggreditur » (*Chr.; sim. Theod. M. Theoph.*) et stomachans adversus duritiam Iudaeorum et ex caeco videns non ferens caecos (*Aug.*) v. 27 *respondit eis : dixi vobis iam et audistis*, graece οὐκ ἠκούσατε et non audistis (uti a f q gat) id est audire noluistis, vel uti aliqui minusculi codices habent οὐκ ἐπιστεύ-

σατε, οὐ πιστεύετε et non creditis (uti r praebet), sed graecum etiam per interrogationem legi potest : nonne audistis? quae explicatio probabilis est, quia ἀκούειν bis eodem sensu adhibetur; nam pergit : *quid iterum vultis audire?* repetita interrogatio etiam animum commotum et merito eis indignantem prodit; « vides mendici adversus scribas et pharisaeos confidentiam (παρρησίαν); tam firma res est veritas, tam infirmum mendacium » (*Chr.*). Immo audacter eos pungit (*Tol.*) et cum ironia quaerit : *numquid et vos vultis discipuli eius fieri?* dicit *et vos*, scil. cum admiratione ironica, quos nempe maxime infensos esse Iesu bene novit! aliqui *et vos* ita accipiunt, ut iam sese declaret discipulum Iesu; « quid est : numquid et vos? nisi : quia ego iam sum » (*Aug.* sim. *Chr. Ians. Mald.*). Sed sane homo mendicus talem honorem non sibi attribuit, ut iam putet se accipi a Iesu comitem ac socium. Et profecto *et vos* dicere poterat ratione eorum qui iam erant discipuli (uti *Ians.* etiam monet).

« Nihil pharisaeis scientiae opinione inflatis contumeliosius dici poterat quodque homines superbos magis ureret quam eos velle aut posse, non dico Christi quem tanto odio prosequebantur, sed etiam cuiuscumque hominis discipulos esse » (*Mald.*); v. 28 *maledixerunt ergo ei et dixerunt : tu discipulus illius sis; nos autem Moysi discipuli sumus,* v. 29 *nos scimus quia Moysi locutus est Deus; hunc autem nescimus unde sit; illius* per contemptum proferunt; ipsi vero intolerabili fastu elati stulte dicunt : nos, nos scimus (*Cyr.*). Eorum perversitatem aptissime perstringit v. 30 *respondit ille homo et dixit eis : in hoc enim mirabile est* ἐν τούτῳ videtur explicandum : in hac re, cum res ita se habeat, uti expositum est, in hac rei gestae conditione; alii referunt ad sequens *quia* (cf. *Schz.*); notio γάρ in responsione est nativa illa affirmandi significatio quae ex origine particulae γέ ἄρα derivatur; respicit enim ad ea quae alter antea dixerat et continet cum affirmatione conclusionem quae ex rebus ita comparatis facienda sit (*Klotz,* Devar. II p. 232. 242). Quare γάρ hoc loco poni pro *certe, sane* haud immerito *Ians. Tol. Mald.* asseruerunt (plenius dixeris : sane igitur); graecus articulus τὸ θαυμαστόν non caret emphasi; rem esse dicit plane miram, insolitam, quae debeat esse omnibus offensioni, rem fere incredibilem, *quia vos nescitis unde sit*, a quo scil. missus, *et aperuit meos oculos;* Moyses miraculo probavit se a Deo missum esse; hoc illi sciunt; inde credunt Deum ei locutum esse; Iesus quoque miracula patrat affirmans a Deo se esse missum; hunc autem nesciunt unde sit. Quam perverse et malitiose agant, mendicus ille optime perspicit; quare eos iis quae sana ratio dictat graviter perstringit v. 31 *scimus autem quia peccatores Deus non audit*, ego, homo idiota scio

et vos etiam scitis; frequenter enim sacris litteris legitur eiusmodi, orationem eius qui declinat a lege esse exsecrabilem; Deum non exaudire quia manus vestrae sanguine plenae sunt; iniquitates diviserunt inter vos et Deum; iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Deus; numquid Deus audiet clamorem eius (impii)? longe est Dominus ab impiis etc. cf. Prov. 15,29; 28,9. Ps. 65,18. Iob 27,9. Is. 1,15; 59,2 etc. (cf. *Rup. Ians. Mald. Schg. Schz.*). Revocat illis in mentem quod antea aliqui ex illis ipsis dixerant : quomodo potest homo peccator talia signa facere (v. 16; *Chr.*)?

Peccatores non audiri, quo sensu verum sit aliqui inquirunt. Advertunt, si peccatores petunt remissionem, iam non petere ut peccatores, audiri a Deo ut poenitentes (2 Par. 6,37. Luc. 18,14); etiam miracula fieri posse a peccatoribus patet (Matth. 7,22); at id nunquam permittere potest Deus, ut fiant ad sanctitatem hominis perversi comprobandam neque ad errores confortandos (cf. *Thom. Theoph.*); *sed si quis Dei cultor est et voluntatem eius facit, hunc exaudit;* nam : oculi Domini super iustos et aures eius in preces eorum; quoniam in me speravit, liberabo eum; clamabit ad me et exaudiam eum etc. (cf. Ps. 33,16; 90,14. 15. Eccli. 15,20 etc.). Nunc quantum ac quale miraculum Iesus in se operatus sit, effert v. 32 *a saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati;* nec Moyses nec ullus prophetarum eiusmodi patrasse dicitur vel fertur in sacris litteris; « non parum indignatus est tot conviciis impeti Iesum; unde festinat ei patrocinari et quodammodo gestis Moysi praeclara servatoris facta opponit, quanto maior sit in miraculis patrandis, tanto praestantiorem esse demonstrans » (*Cyr.* sim. *Mald.*). Sed iure dixeris haec caeco nondum esse obversata. Argumentandi seriem triumphantis in modum contra eos concludit v. 33 *nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam* scil. quod vires humanas excedens singularem Dei opem et interventum requirit, i. e. non poterat facere ullum miraculum.

Deprehensi sunt et convicti; respondere non possunt neque rem gestam, sanationem, negare; sed « cum ad respondendum lingua haereat, ad conviciandum soluta est » (*Mald.*) v. 34 *responderunt et dixerunt ei : in peccatis natus es totus et tu doces nos? et eiecerunt eum foras;* en, ita solvunt argumentum caeci nati. Utique nihil aliud iis restabat, quia apud eos iamdudum fixum ratumque erat odium letale in Iesum, a quo odio nolunt dimoveri; *totus* in anima et corpore, quia caecitas ut documentum peccatorum in corpore apparet (cf. *Thom. Tol.*); alii volunt insinuari simul eum a nativitate eousque peccatis addidisse peccata (cf. *Mald.*). Cum emphatica indignatione efferunt : *tu* doces *nos*, homo vilis, abiectus, totus in peccatis a prima aetate,

tu doces *nos* « sanctitatis et scientiae opinione praecellentes, ut uno verbo dicam, pharisaeos i. e. egregios, ab imperita multitudine segregatos » (*Mald.*). Voce *eiecerunt eum foras* ἐξέβαλον ἔξω significari videtur expulsio et eiectio a templo vel a loco, ubi inquisitio facta est (*Theoph. Ians.*), ἐκπέμπουσιν αὐτόν *Cyr.*, docentem proiecerunt (*Aug.*), e loco eiecerunt (*Mald. Bar. Schz.*); excommunicationem i. e. eiectionem e synagoga alii intelligunt (*Bed. Rup. Euth. Tol. Cai. Calm. Fil.*); hanc quidem a coetu religioso exclusionem aliter vidimus designari in v. 22; at ob v. 35 tamen videri potest plus indicari quam solam expulsionem a praesentia pharisaeorum. Impletur in doctoribus Israel, uti *Cyr.* adnotavit, illud : vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis (Luc. 11,52).

i) Iesus se caeco sanato manifestat 9,35-41.

9,35. Audivit Iesus quia eiecerunt eum foras, et quum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et dixit ei Iesus : Et vidisti eum; et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum.

39. Et dixit Iesus : In iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant.

40. Et audierunt quidam ex pharisaeis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos caeci sumus? 41. Dixit eis Iesus : Si caeci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

9,35. Ἤκουσεν Ἰησοῦς ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω· καὶ εὑρὼν αὐτὸν εἶπεν, Σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; 36. ἀπεκρίθη ἐκεῖνος, Καὶ τίς ἐστιν, κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; 37. εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Καὶ ἑώρακας αὐτὸν, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ ἐκεῖνός ἐστιν. 38. ὁ δὲ ἔφη, Πιστεύω, κύριε· καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ.

39. καὶ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Εἰς κρῖμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον, ἵνα οἱ μὴ βλέποντες βλέπωσι, καὶ οἱ βλέποντες τυφλοὶ γένωνται.

40. ἤκουσαν ἐκ τῶν Φαρισαίων ταῦτα οἱ μετ' αὐτοῦ ὄντες, καὶ εἶπαν αὐτῷ, Μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; 41. εἶπεν αὐτοῖς Ἰησοῦς, Εἰ τυφλοὶ ἦτε, οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν· νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν· ἡ ἁμαρτία ὑμῶν μένει.

In v. 35 εις τον υιον του ανθρωπου ℵ B D sah Chr sin; hominis dub'. In v. 36 sin dixit ei qui sanatus erat, v. 38 et cadens adoravit cum; v. 39 ad iudicium mundi huius veni, ut caeci...

Sed quem eiecerunt Iudaei, eum Christus maiore donat beneficio v. 35 *audivit Iesus quia eum eiecerunt foras, et cum invenisset eum, dixit ei : tu credis in Filium Dei?* graece (vide lect. var.) in Filium hominis i. e. in Messiam (cf. 12,34, quo loco patet etiam populo non fuisse plane ignotam hanc Messiae designationem). Animum promptum ac paratum ostendit v. 36 *respondit ille et dixit : quis est, Domine, ut credam in eum?* e sono vocis poterat cognoscere se interrogari ab eo a

quo sanatus erat; unde eum magna cum reverentia alloquitur, paratus verbo eius omnem adhibere fidem; animus exhibetur simplex et candidus, qui post multiplicem illam pharisaeorum malitiam et contumaciam obduratam legenti affert delectationem : v. 37 *et dixit ei Iesus : et vidisti eum* ἑώρακας, οὐ πρότερον, ἀλλὰ νῦν (*Euth.* sim. *Mald. Schz.*), est scil. tempus perfectum, quo actio completa perdurans declaratur : modo vidisti et etiam nunc vides (cf. *Fil.*) *et qui loquitur tecum, ipse est* ἐκεῖνος ille est; v. 38 *et ille ait : credo, Domine; et procidens adoravit eum;* Iesus qui externe ad eum loquitur, interna sua gratia eum docet et illustrat (cf. *Tol.*). Credit interius et exterius verbo et habitu fidem profitetur; corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. 10,10).

Iam subiungit Iesus quid in hoc quoque eventu manifestetur v. 39 *et dixit Iesus : in iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant et qui vident caeci fiant;* ipsa enim Christi praesentia, doctrina, operatio verum evadit iudicium, quo alii salventur, alii sua obduratione et contumacia pereant. Christus ad hoc iudicium efficiendum in mundum venit. Eandem sententiam iam enuntiavit Simeon : positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel (Luc. 2,34). Modus loquendi ex ipsa re modo gesta depromitur et transitus est a visu corporali ad visum spiritualem, ad illustrationem mentis per fidem. Illi qui vident et caeci fiunt sunt, uti ex re narrata patet, illi qui sibi ipsis sapientes videntur et ideo pro sua superbia clarissima illa Christi legati Dei documenta et argumenta repudiant. Iis opponuntur qui non vident, homines simplices, a fastu alieni; sententia et oppositio est eadem quae cernitur in illo : esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes (Luc. 1,53). Qui bona messiana desiderant suam agnoscentes pauperiem, eorum erunt participes; qui vero se nulla re indigere utpote divites et bonis caducis satiati arbitrantur, isti bonis veris carebunt; eodem modo loquitur Christus hic metaphora a visione petita : qui se agnoscunt carentes scientia et sapientia salutari, ea illuminabuntur; qui se sapientes iactant, in tenebris reiecta veritate in dies magis versabuntur. Eius effati demonstratio et exemplum luculentissimum in ipsa habetur narratione. Aliquibus illud ἵνα negotium facessit; recurrunt ad distinctionem illam, particulam non τελικῶς, sed ἐκβατικῶς esse accipiendam. Ex Christi adventu et doctrina consequi effectus contrarios; id utique verum est. Sed uti durum videtur prius membrum de effectu salutari ad meram consecutionem redigere, ita haud satis consultum est particulam ἵνα nativa sua notione privare. Verum attendere oportet, quod saepius usu venit, recte quidem nos dicere Deum *permittere* mala, *permittere* obcaecationem; at permissio

talis ita concipi debet, ut Deus qui liberum arbitrium dedit et abusum libertatis praevidit, etiam illa quae ex abusu hoc sequuntur, peccata scil. suae gubernationi subservire faciat i. e. ut res ita ordinet quatenus ipsa mala sapientiam, potentiam, iustitiam Dei patefaciant. Insuper ex modo loquendi Scripturae Deus etiam illa facere dicitur, quae quamvis conditionibus mutatis vel maiore gratia apposita non fierent, tamen conditionibus illis non inductis fieri sinit. Haec si considerantur, particula illa iam non potest esse offensioni (cf. quae dixi ad Is. 6,9-10); nam peccato hominis supposito Deus revera *vult* pro sua sanctitate et iustitia quae cum peccato nexu quodam interno ac necessario coniuncta sunt (cf. ad Marc. 4,12).

Aderant pharisaei hoc audientes; intellexerunt notari se, cum caeco adversarentur et Christus caecum qui ex caeco videns factus sit, aliis, id est eius adversariis opponeret, et animadvertunt caecitatem spiritualem iis impingi; v. 40 *et audierunt quidam ex pharisaeis qui cum ipso erant et dixerunt ei : numquid et nos caeci sumus?* animo arroganti id ab eis quaeri, ut Iesum irrideant, etiam ex responsione colligitur v. 41 *dixit eis Iesus : si caeci essetis, non haberetis peccatum; nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet;* qui invincibiliter ignorat, is utique non peccat; cui veritas non est annuntiata, is non habet peccatum reiectae veritatis; pharisaei vero se iactant sapientes et ob hanc suam sapientiam superbe reiiciunt apertissima veritatis a Christo enuntiatae documenta, ideoque peccatum eorum *manet;* declarat verbum hoc moram, habitum, inhaesionem eius quod antea iam adfuit (*Mald.*); non tollitur neque tolli potest quamdiu se videntes arbitrantur. Nam propter eam quam sibi confinxerunt scientiam illis contingit quod Paulus dicit : ignorantes iustitiam Dei et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti (Rom. 10,3); pariter ad eos applicari debet illud : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo, stultus fiat ut sit sapiens (1 Cor. 3,18) i. e. sapientiam suam mundanam et existimatam deserat, sese tradat animo simplici in disciplinam veri magistri; tum poterit evadere vere sapiens. Uti alibi pharisaei exhibentur qui se iustos existimantes poenitentia non indigeant (Matth. 3,9; 5,20. Luc. 18,9. 11. Ioan. 8,33), ita hoc loco ut tales qui scientia rerum divinarum praediti institutione Christi carere velint; nam « dicendo : videmus, medicum non quaeritis, in caecitate vestra remanetis » (*Aug.*).

Christus ipse in v. 39 sanationem caeci transfert symbolice ad illuminationem spiritualem. Quare mirum non est veteres praeter sensum litteralem etiam allegoricam proponere explicationem. Vident enim in caeco isto

repraesentari modo gentes (*Cyr. Rup. Mald. Theoph.*), modo genus humanum (*Aug. Bed.*), modo unumquemque hominem (*Theoph.*). Audiatur *Ians.* : « caecus iste aut gentilium populum aut electum quemque designat, qui cum a nativitate caecus esset, Christo ipsum oculis suae benignitatis aspiciente, pro gloria Dei in ipso declaranda visum recipit, dum agnoscens peccati sorde mentis oculos oblitos esse accedit ex praecepto Christi ad fontem baptismatis atque in eo abluitur. Qui ubi baptizatus fuerit et illuminatus, cogitare debet se tentationibus expositum fore et Christi nomen sibi constanter coram hostibus eius confitendum esse, nec propter metum eorum negandum, etiamsi ob id opus fuerit excommunicatum fieri iuxta illud : odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum etc.; quodsi autem quis constanter Christum praedicet et confiteatur, Iesus talem ab hominibus propter se reiectum et in hac vita inveniet et consolabitur, perfectiore sui cognitione eum donans, et post hanc vitam recipiet ad se ostendens ei suam divinitatem ».

Ita simul ostensum est, quomodo haec narratio utiliter ad doctrinam et mores transferri possit.

Veteres rei veritate retenta allegoricam vel moralem explicationem addere solebant. Sed recentiorum aliqui rem vere gestam negantes totam narrationem ad allegoriam trahere conati sunt. Clavem quasi ad narrationem aperiendam praeberi v. 39; describi itaque ficta quadam narratione modum quo caeci spiritualiter efficiantur videntes, dum increduli magis obdurentur et obtenebrentur. Aliis placuit adumbrari allegoria hac vel parabola pugnam prisci coetus christiani cum doctrina et oppositione pharisaeorum; alii malunt ostendi in caeco, quomodo coetus christiani per apostolatum perveniant ad illuminationem, ad communicationem spiritus Christi. Verum sufficit narrationem legere, ut quis perspiciat evangelistam minime velle formam quandam doctrinae mente comprehensam litteris consignare, sed rem vere gestam secundum singula accurate ob oculos ponere. Aliis videtur vita Iesu adeo vacua fuisse rebus gestis et iners vel evangelista ita rerum cognitione omni destitutus, ut necesse duxerint asserere hanc narrationem derivari ex Marc. 7,33 quasi ex suo fonte, vel confictam esse secundum similitudinem narrationis cap. 5, vel Act. 3,11 et 5,12, vel ita ut res mira Marc. 8,23 narrata denuo referretur modo tamen magis ad admirationem facto et composito. Si tenuis quaedam similitudo duorum eventuum sufficit ad alterutrum negandum, quid iam restabit ex rerum gestarum historiis? Quot rerum scientiam se habere conscius sibi fuerit evangelista, satis declarat 21,25 et iam 20,30; qui tantam rerum copiam habet in mente repositam, non opus habet materia ab alio deprompta neque finget ad alterius rei gestae exemplum, quasi suam tegens pauperiem.

k) Iesus pastor bonus 10,1-21.

10,1. Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed

10,1. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν

ascendit aliunde, ille fur est et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt; et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. 4. Et quum proprias oves emiserit, ante eas vadit; et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

6. Hoc proverbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Iesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones; et non audierunt eos oves.

9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur et pascua inveniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.

12. Mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit et dispergit oves. 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus.

14. Ego sum pastor bonus; et cognosco meas, et cognoscunt me meae. 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere et vocem meam audient; et fiet unum ovile, et unus pastor.

17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.

19. Dissensio iterum facta est inter Iudaeos propter sermones hos.

τῶν προβάτων, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, ἐκεῖνος κλέπτης ἐστὶν καὶ λῃστής· 2. ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας ποιμήν ἐστιν τῶν προβάτων. 3. τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει, καὶ τὰ ἴδια πρόβατα φωνεῖ κατ' ὄνομα, καὶ ἐξάγει αὐτά. 4. ὅταν τὰ ἴδια πάντα ἐκβάλῃ, ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται· καὶ τὰ πρόβατα αὐτῷ ἀκολουθεῖ, ὅτι οἴδασιν τὴν φωνὴν αὐτοῦ. 5. ἀλλοτρίῳ δὲ οὐ μὴ ἀκολουθήσουσιν, ἀλλὰ φεύξονται ἀπ' αὐτοῦ· ὅτι οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν.

6. Ταύτην τὴν παροιμίαν εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· ἐκεῖνοι δὲ οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς. 7. Εἶπεν οὖν πάλιν Ἰησοῦς, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐγώ εἰμι ἡ θύρα τῶν προβάτων. 8. πάντες ὅσοι ἦλθον πρὸ ἐμοῦ, κλέπται εἰσὶν καὶ λῃσταί· ἀλλ' οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα.

9. ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰσέλθῃ, σωθήσεται, καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει. 10. ὁ κλέπτης οὐκ ἔρχεται εἰ μὴ ἵνα κλέψῃ καὶ θύσῃ καὶ ἀπολέσῃ· ἐγὼ ἦλθον ἵνα ζωὴν ἔχωσιν καὶ περισσὸν ἔχωσιν. 11. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν ὑπὲρ τῶν προβάτων.

12. ὁ μισθωτὸς καὶ οὐκ ὢν ποιμήν, οὗ οὐκ ἔστιν τὰ πρόβατα ἴδια, θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησιν τὰ πρόβατα, καὶ φεύγει· καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει, 13. ὅτι μισθωτός ἐστιν καὶ οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων.

14. ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός· καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, καὶ γινώσκουσί με τὰ ἐμά, 15. καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα· καὶ τὴν ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.

16. καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης· κἀκεῖνα δεῖ με ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσιν, καὶ γενήσονται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν.

17. διὰ τοῦτό με ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ, ὅτι ἐγὼ τίθημι τὴν ψυχήν μου, ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. 18. οὐδεὶς ἦρεν αὐτὴν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτὴν ἀπ' ἐμαυτοῦ. ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτήν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρός μου.

20. Dicebant autem multi ex ipsis; Daemonium habet et insanit. Quid eum auditis?

21. Alii dicebant : Haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?

19. Σχίσμα πάλιν ἐγένετο ἐν τοῖς Ἰουδαίοις διὰ τοὺς λόγους τούτους.

20. ἔλεγον δὲ πολλοὶ ἐξ αὐτῶν, Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται· τί αὐτοῦ ἀκούετε;

21. ἄλλοι ἔλεγον, Ταῦτα τὰ ῥήματα οὐκ ἔστιν δαιμονιζομένου· μὴ δαιμόνιον δύναται τυφλῶν ὀφθαλμοὺς ἀνοίγειν;

In v. 3 sin aperit portam... et gregem suum, oves, vocat etc. In v. 4 τα ιδια παντα ℵ[ca] B D L X aliq minusc sah cop arm, add *omnes* a b c e ff[2] l r. In v. 5 non sequentur am dun fuld ger hub theod med st lind, Wordsw; fugient am ben big dun ept fuld ger theod med ox st corp harl. In v. 8 ηλθον προ εμου ℵ[c] A B D K L X Λ Π al 60 fere cop aeth arr al Or Did Isid Hesych Cyr Lcif Hier Nonn; ante me gat; *sed* non audierunt Wordsw; *et* sixt. In v. 9 sin ostium ovium. In v. 10 περισσοτερον X Γ 69.157. 20 ev. Ath. In v. 11 animam suam ponit a e f l car ox ken harl. In v. 13 non habent : mercenarius autem fugit ℵ B D L alq minusc arm sah cop aeth syr (hr, sin) Lcif Thdrt e. In v. 14 sin coniungit utramque lectionem : cognoscunt me meae (oves) et cognitus sum ab eis. In v. 16 et fiet unus grex a b c d e f ff[2] l Cyr Aug Hier. In v. 19 sin et cum haec loqueretur, facta est divisio inter Iudaeos v. 20 quia erant ex iis qui dicebant... quid statis attendentes eum? v. 21 num daemon potest caecum aperire?

Iam veteres adnotarunt hunc sermonem arcte cohaerere cum antecedentibus et continuare ea quae 9,39 seq. dicta sunt (*Cyr. Chr. Aug. Bed. Rup. Cai. Tol. Ians. Bar.* etc.). Quare *Cai.* minus perspicaciter eum qui distinxerit textum per capita inchoasse hic novum caput ait; sed eum rationem habuisse parabolae ideoque fecisse capitis initium *Mald.* observat. Quamvis igitur nexum et cohaerentiam omnes concedant, tamen quomodo parabola haec cohaereat, varie concipiunt. Verum si consideramus eventum modo narratum et argumentum allegoriae, nexus haud difficile comprehenditur. Pharisaei Iesum Messiam agnoscere nolunt, immo qui eum confitentur, eos eiicere ex coetu statuunt; se esse solos duces ac doctores populi iactant; contra quos hoc sermone Iesus demonstrat eos non esse pastores gregis Domini, verum corruptores ac deceptores, se esse, per quem veri pastores debeant constitui, se esse bonum pastorem, qui vitam suam ponit redemptionem pro suis et gregem dominicum ex Iudaeis et gentibus constituit (cf. *Tol. Ians. Schz.*). Proin etiam continetur quod *Cyr.* vult pharisaeos principatu et dignitate iri spoliatum, vel quod *Chr. Theoph. Euth.* volunt, Iesum occurrisse tacitae eorum cogitationi, qua ipsum tamquam seductorem repellerent neutiquam caeci, verum bene videntes; etiam quod *Aug. Bed.* proponunt, aliqua ratione tangitur, scil. dici haec propter superbiam et arrogantiam eorum.

Allegoriam Dominus ex vita pastoritia depromit. « In Palaestina enim primo verno tempore oves ad pascua ducebantur ibique perpetuo re-

manebant usque ad initium temporis pluviae. Nocte tamen congregabantur in septa a superiore parte aeri exposita, clausa tamen in circuitu et ostio munita, cui ostio praeerat ostiarius. Plures aliquando greges in una caula noctu concludebantur. Pastores per hoc ostium in septum seu ovile intrabant singulis diebus mane, oves quisque suas ad se vocabat et ad pascua ducebat. Oves evocatae ad suum quaeque pastorem veniebant » (*Corl.* cf. *Schg. Fil.*). Unde sermo Domini figuratus facile intelligitur v. 1 *amen, amen dico vobis*, quibus verbis iam apparet continuari sermonem; nunquam enim ab iis sermo inchoatur; pariter qui designentur hic *vobis* et v. 6 *eis*, non hic, sed 9,40 habes declaratum; *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro;* is qui mittitur a domino gregis et qui ius habet ingrediendi ad caulas, intrat per ostium; qui autem scala apposita ascendit et conscendit septum, inde se demittens, ille fur est qui clam et fraude, vel latro qui aperta quoque vi et caede commissa oves rapere intendit. Cum Iesus v. 7 dicat se esse ostium, illi designantur qui non vocati ab eo sibi munus docendi et regendi arrogant, vel generatim qui sine vocatione divina eiusmodi dignitatem usurpant; v. 2 *qui autem intrat per ostium, pastor est ovium,* v. 3 *huic ostiarius aperit,* quis sit in applicatione ostiarius, multi quaerunt; sed varia est responsio : esse Moysen (*Chr. Theoph. Euth. Theod. M.*), esse angelum vel salvatorem (*Cyr.*), ipsum Christum (*Aug. Bed. Rup. Bon.*), Spiritum sanctum (*Aug. Theoph. Cai. Ians. Mald.*), gratiam vel Deum (*Schg.*). Sed Deum vel Christum vel Spiritum sanctum munere fungi θυρωροῦ ianitoris, quo servi fungi solebant, non placet. Melius est id applicare quod in allegoria et in parabola saepe attendi oportet, saepe aliquid dici ad allegoriam et parabolam perficiendam et exornandam, cuius applicatio minime quaerenda sit; proin ostiarium nominari quia revera in caulis ovium adsit, neque tamen eius munus vel nomen requiri in applicatione (cf. *Schz. Fil.*); *et oves vocem eius audiunt et proprias oves vocat nominatim;* vocem pastoris cognoscunt eique obediunt et quod pastor ovibus nomina imponit et suo quamque nomine singulas vocat, pastoris curam diligentem ostendit (*Euth.*), *et educit eas,* ἐκβάλλει manu prehensas per ostium emittit; exire cogit.

Plures greges e caulis educti sunt. Iam unusquisque pastor seligit viam qua gregem suum ad pascua ducere vult et voce sua oves suas ad se vocans incipit procedere et vocem eius oves norunt, ab aliis recedunt, eum sequuntur v. 4 *et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit et oves illum sequuntur quia sciunt vocem eius;* v. 5 *alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt*

vocem alienorum, quod pariter experientia constat (cf. *Fil.*); v. 6 *hoc proverbium dixit eis Iesus* παροιμίαν, מָשָׁל; *illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis*, ad quid tenderet oratio. Se describi non intellexerunt; nam cum essent aemulatores legis et cum aliis praeirent, ut ipsi arbitrabantur, in legis observatione et se duces ac doctores a multis coli viderent, nullo pacto distinctionem illam inter pastorem et furem, inter pastorem et alienum ad se spectare existimabant.

Quid sibi velit allegoria, Christus declarat v. 7 *dixit ergo* quia illi non intelligebant, *eis iterum* cf. 9,39. 41, *Iesus : amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium,* quia Christus loquitur de pastoribus veris et falsis (v. 1 seq. v. 8), explicari oportet *ostium ad oves* ostium per quod intratur ad oves; « explanat rursus nos per eum ad principatum et ad greges ratione utentes moderandos devenire secundum illud : nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo » (*Cyr.* et sim. *Rup. Cai. Bar. Schg. Schz. Fil.*); alii generatim explicant per Christum et pastores constitui et fideles in Ecclesiam admitti (*Aug. Alb. Thom. Tol. Corl. Schg.*); vel de solis ovibus, quae per Christum in ovile introducuntur, accipiunt (cf. *Theod. M. Euth. Bed. Ians.*). Utique verum est Christum esse ostium pro omnibus quia est doctor et largitor salutis per fidem et gratiam. At quo sensu hoc loco se vocet ostium, ex contexta oratione determinandum est; id vero satis patet ex v. 8 *omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones et non audierunt eos oves;* isti igitur non per ostium ad oves introierunt (v. 1); venerunt praeter me (*Aug.*), non a me missi; « nemo quippe eorum qui tunc venerant et tunc in ovili tyrannizabant, intraverant per ipsum, quia non venerant praedicando et servando Dei verbum, sed venerant negando et blasphemando Dei Filium. Et de his qui tunc erant eum dixisse manifestum est, quia praesentis temporis verbo fures sunt et non praeterito dixit : fures fuerunt »; ita bene *Rup.* et de scribis et pharisaeis esse verba explicanda docent *Patr. Corl. Schz. Fil. Weiss, Keil* aliique. Hi enim suo arbitratu se duces constituebant, praeceptis et traditionibus humanis populum onerabant (Matth. 23,4. Luc. 11,46), eos retinebant a fide in Christum, claudentes regnum coelorum neque alios introire sinentes (Matth. 23,13. Luc. 11,52); fures et latrones eos vocat, quia qui ab iis regebantur « erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem » (Matth. 9,36); fures sunt quia suis commodis inhiant etiam domos viduarum comedentes, pleni rapina et avaritia (Matth. 23,14. 25. Marc. 12,40. Luc. 16,14; 20,47); latrones quia vi et tyrannide in alios dominantur (cf. 2,2; 7,13. 49; 9,22. 34); nec audierunt

eos oves, utique illi qui vere Israelitae Iesu adhaerebant non obstante odio, persecutione, calumnia pharisaeorum et scribarum. Ita non eos audivit, non eis obsecutus est caecus natus. Vi verborum non opus est comprehendere quoque pseudoprophetas et haereticos doctores (*Cyr. Ians. Schz.*), quamvis hi utique non intrassent ad oves per ostium et vere fuissent fures. Ante Iesum nemo se dixit Messiam, quare ad pseudochristos (*Tol.*) verba trahi nequeunt, neque ad Theudam et Iudam (*Chr. Theoph. Euth.*).

Uti alias (6,41. 48. 51) Iesus sententiam emphasis gratia repetit v. 9 *ego sum ostium; per me se quis introierit, salvabitur et ingredietur et egredietur et pascua inveniet;* uti in v. 8 ita quoque in v. 10 sermo certe est de furibus i. e. de malis pastoribus, de iis qui in gregem male dominantur; proinde etiam in hoc versu 9 non de ovibus in universum agitur, sed de pastoribus. Dicitur itaque ostium eodem sensu quo in v. 7, et qui intrat per ostium eodem sensu quo v. 2; σωθήσεται hoc loco ante reliqua positum non potest intelligi de aeterna salute, sed de securitate a periculis et de protectione divina; igitur incolumis evadet, etsi multis modis impugnabitur; tuto itaque ingredietur et egredietur pastor scil. oves ducens in ovile vespere, educens eas mane (uti habetur simili modo in v. 3) et pascua inveniet salubria. Proin quia a Christo vocantur ad gregem pascendum i. e. per Christum intrant, eiusque spiritu reguntur et ducuntur, habebunt protectionem divinam : nolite timere, ego vici mundum; ego vobiscum sum etc.; isti prospicient gregi, id quod exprimitur eo quod oves vespere in ovile ducunt, mane educunt ad pascua, et illis nunquam deerunt quibus prosperitati et saluti providere possunt : pascua inveniet, Christus doctrina sua et gratiis et sacramentis abunde suppeditat ea quibus homines erudire, confortare, ad salutem adducere valeant. Verum qui non intrat vocatus a Christo, gregem misere vexat et perdit et suam solum utilitatem et libidinem quaerit v. 10 *fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat;* qui non intrat per ostium, est fur v. 1; vide v. 8; ille turpis lucri gratia agit, ut ditescat; non utilitatem gregis promovet, sed partim mactat, alias oves ut hero gregis damnum inferat pro suo in eum odio perdit, mutilat, occidit. Damna describuntur spiritualia, pernicies, ruina animarum, quae fures isti, mali pastores, in Ecclesia Christi efficiunt, ad quos applicatio facile fit et qui in ipsis scribis et pharisaeis tamquam in typo quodam nobis exhibentur. Quomodo pharisaei furentur et mactent, vide ad v. 8; quomodo perdant, vide Matth. 12,24; 15,7. 14; 16,12; 23,13. 15. 34; perdunt, dum populum a fide Iesu retrahunt. Aliter Iesus : *ego veni ut vitam habeant et abundantius* (*abundanter*) *habeant;* ipse lar-

gitur vitam veram et omnia abundanter quae ad hanc vitam conservandam, promovendam, ditandam requiruntur, ut περισσὸν habeant, « non solum vitam, sed aliquid amplius, ut omni bonorum genere cumularentur; hoc autem praeclarius sive honoratius accessionisque et cumuli vicem habens consentaneum est dicere perfectissimam Spiritus participationem » (*Cyr.* sim. *Mald.*); vide 1,16; 6, 35. 58.

Haud pauci v. 9 explicant de ovibus i. e. de omnibus fidelibus, Christum esse ostium per quod omnes debeant in Ecclesiam, ad gregem dominicum intrare (*Theoph. Euth. Rup. Thom. Bon. Cai. Tol. Mald. Lap. Corl. Fil.*), id quod utique verum est; at concinnitas orationis perit et contextus. Praeterea varie accipitur ingredi et egredi. Recte *Bar.* concipit de pastore qui ante oves ingreditur, ante eos egreditur ducens ad pascua; bene etiam *Mald.* ingredi in locum ubi recubent, egredi ad pascua. Alii autem explicant ex hebraismo de vitae negotiis et operibus secundum illud : Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum (Ps. 120,8; cf. Deut. 31,2. 1 Reg. 18,13. 2 Reg. 3,25 etc. *Ians. Tol.*). Varia proponit *Aug.* : ingredi esse interius aliquid cogitare, egredi exterius operari; ingredi vitam agere temporalem, egredi ad vitam aeternam, eodemque modo vitam habere explicat de vita in fide, abundantius habere de vita aeterna in coelo, de qua illud abundantius multi accipiunt (cf. *Rup. Bed. Thom. Bon. Cai.*). Cum Christus hoc loco dicat in universum : ego sum ostium, posset videri notionem extendere, ut significet se ostium et pro pastoribus et pro ovibus (uti etiam *Aug. Bed. Schg.* concipiunt). At propter v. 8 et 10 etiam haec explicatio improbabilis est, quamvis utique verbis accommodari possit.

Quod de se iam enuntiaverat in oppositione ad fures : ego veni, nunc verbis propriis et maxime significantibus proponit v. 11 *ego sum pastor bonus* ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς unus ille et vere bonus, qui officio suo praeclare fungitur; cf. 1 Petr. 2,25 et 5,4 ἀρχιποιμήν. Populus Dei saepe grex Domini dicitur, oves manus eius, oves pascuae eius et Iahve pastor (cf. Ps. 23,1 hebr. LXX Κύριος ποιμαίνει με, Ps. 78,13; 94,7; 99, 3. Ez. 34,5 seq. Mich. 7,14. Zach. 10,3). Porro Messias praedictus erat tamquam pastor Is. 40,11 et praeprimis Ez. 34,23 et 37,24 et Zach. 13,17 (vide quae dixi ad hos locos in Comment.). Quare Iesus hoc quoque nomen adoptans se Messiam declarat. Et quam καλός, quam eximius et praeclarus pastor sit et quam perfecte impleat pastoris officium (*Thom.*) explicat simul indicans quo pretio daturus sit vitam suis : *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* τίθησιν vitam suam *ponit* i. e. uti dictionem iam *Rup.* bene explicat : « talentum hoc, animam meam, pro sanctificatione antiquae praevaricationis persolvam » est scil. vitam impendere, illam deponere tamquam λύτρον pretium

redemptionis, uti *Nonnius :* ψυχῆς ἰδίης οὐ φείδεται, ἀλλὰ ἐθήσει λύτρον ἑῶν οἵων (cf. *Schz.*). Pastor revera se periculo obiicit, ut gregem tueatur et defendat; Iacob v. g. suam curam gregis describit : die noctuque aestu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis (Gen. 31,40) et David narrat Saul regi, se persecutum esse leonem et ursum et percussisse arietemque de eorum ore eruisse, « et illi consurgebant adversum me et apprehendebam mentum eorum et suffocabam interficiebamque eos » (1 Reg. 17,35; cf. Is. 31,4). Iam Christus loquitur de pastore animarum immortalium, pro quarum salute bonus pastor vitam profundere non dubitat secutus exemplum Christi; « quanti, putas, pro ovibus semetipsos impenderunt? respersa sunt ovilia sanguine pastorum, maduerunt campi caedibus pastorum, cruentata sunt pascua vulneribus pastorum, sacrata est terra corporibus pastorum, ditatum est coelum animabus quas pastores pro ovibus suis posuerunt. Claret igitur imitabilem esse pastoribus hanc suae humilitatis formam quam proposuit Pastor bonus » (*Rup.*).

Boni pastoris indoles illustratur a contrario, uti antea ab indole furis, ita nunc ab indole mercenarii, servi alicuius mercede conducti, v. 12 *mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae*, designari duos censet *Cai.;* verum quae adduntur solum ad quandam quasi mercenarii descriptionem et a pastore distinctionem referuntur, *videt lupum venientem et dimittit oves et fugit et lupus rapit et dispergit oves;* mercenarii illi sunt doctores et praesules qui sua quaerunt (*Aug.*); pastor quaerit utilitatem gregis, habet sollicitudinem eius, exponit se periculo pro grege; mercenarius autem principalius quaerit commodum suum; cum oves non sint propriae, earum sollicitudinem et amorem non habet, ideoque eas relinquit in periculo (*Thom.*). Mercenarios vocat Ezechiel pastores qui seipsos pascunt (34,2; *Euth.*) et quia non erat pastor, oves factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri et dispersae sunt (Ez. 34,5). Et quod Ezechiel ducibus populi exprobrat eorum culpa populum esse in exsilium abductum, id suo iure etiam pharisaeis obiicitur qui bellum contra Romanos provocarunt, plebem caedibus obiecerunt, seipsos salvare studebant (cf. *Schz.*). Mercenarios describit Paulus 2 Cor. 11,12. 20, Phil. 2,21; Tit. 1,11 (cf. 1 Tim. 3,8. 1 Petr. 5,2). Nomine lupi omnes designantur qui fidelibus in fide vel moribus struunt insidias; persecutores, homines perniciosi, doctores haeretici, et cum in sacris litteris diabolus describatur princeps huius mundi, leo rugiens qui circuit quaerens quem devoret (14,30; 1 Petr. 5,8), ille praeprimis lupus est (*Euth. Aug. Rup.*), cuius quasi ministri sunt reliqui qui fideles impugnant. Debet bonus pastor, ut *Thom.* dicit, subditum gregem tueri,

dum videns lupum, id est tentationem diabolicam, deceptionem haereticam et saevitiam tyrannicam, sese opponit. Lupus in gregem irruens unam alteramve ovem rapit, discerpit; totus grex terrore insano correptus dispergitur. Lupum ii quoque imitantur, qui dissensionum auctores sunt; hi dispergunt et ipsa dispersione et gregi et pastori non minimum infertur damnum. Cur mercenarius oves non tueatur, ratio redditur v. 13 *mercenarius autem fugit* (quae sententia plerumque non repetitur, vide lect. var.), *quia mercenarius est et non pertinet ad eum de ovibus* οὐ μέλει non est ei curae grex, non est sollicitus de grege; duae referuntur rationes: quaerit utilitatem suam propriumque commodum et non afficitur ad gregem per amorem et sollicitudinem (*Thom.*); mercenarius enim lucra animarum non quaerit, ut ait S. Gregorius (hom. 14 in ev.; *Mald.*). Hoc loco tractant quandoque etiam quaestionem, quando pastori animarum liceat fugere (cf. *Mald. Tol.*).

Mercenarii indole descripta cum emphasi repetit v. 14 *ego sum pastor bonus*, repetit non solum ut magis affirmet, sed etiam ut ad se omnes conditiones quas supra posuerat accommodet (*Mald.*); ita ex v. 3 *et cognosco meas et cognoscunt me meae*, uti in v. 3 nominatim vocare declarat amorem pastoris, ita hic Iesus suos cognoscit cognitione amoris, qua eos ad se vocat et attrahit et efficit, ut ab ipsis quoque cognoscatur et ita exsistit « inter Christum pastorem et fideles, oves, mutua amoris communicatio quae mutua cognitione nitatur et vicissim ad intimiorem cognitionem impellat; amor ex cognitione, cognitio ex amore crescit » (*Corl.*). Et quam intima sit haec cognitio, quam sublimis et excellens, insigni declarat comparatione v. 15 *sicut novit me Pater et ego agnosco Patrem* (γινώσκω, uti in priore membro), Pater et Filius intime inter se cognoscunt, uniuntur, amant, quia unam eandemque naturam habent; gratia sanctificante anima fidelis complantatur cum Christo, in eum inseritur, uti palmes in vitem est insitus, ita ut Christus in ea vivat et intima quaedam unio efficiatur, ex qua cognitio et amor firmiter consistat. Uti igitur in Deo communicatione naturae illa habetur inter Patrem et Filium summa cognitio, ita similitudine quadam habetur per communicationem gratiae unio illa et cognitio inter Christum et animam fidelem. Notitia est intellectualis et affectiva (*Cai.*). Pater enim sic novit Filium, ut Deus est, quia intelligendo et cognoscendo totam suam ei communicavit substantiam et vitam; ut homo autem est, sic Christus homo a Patre cognitus est, quia humanitatem summis donis et perfectionibus affecit; sic et Christus novit suos affectu et efficientia. Filius autem ut Deus est, recognoscit quod accepit a Patre et redamat ipsum, non tamen aliquid ei

communicat; ut homo autem novit Patrem eius voluntatem in omnibus adimplendo, ipsius honori consulendo, nomen eius celebrando; sic et fideles cognoscunt Christum amando, reverendo, colendo, obediendo; at nihil ei vitae aut perfectionis addunt (*Tol.*). Unde merito dicit *Cyr.* hic cognitionem non meram scientiam esse accipiendam, sed necessitudinem ac coniunctionem, familiaritatem et participationem honoris et gratiae; vocamur quippe nos genus eius secundum illud : ecce ego et pueri quos dedit mihi Deus (Hebr. 2,13).

Secundum interpunctionem vulg. haec sententia videtur trahi solum ad subsequentem : et animam meam pono pro ovibus meis. Et ita iungunt *Bed. Thom.* : in hoc constat quia et cognosco Patrem et cognoscor a Patre, quia animam meam pono i. e. ea caritate qua pro ovibus morior, quantum Patrem diligo ostendo (*Bed.*); in hoc ipso quod cognoscit Patrem, cognoscit eius voluntatem, in qua erat ut Filius pro salute humani generis moreretur; causa igitur quod animam suam ponit pro ovibus est notitia quam habet de Patre (*Thom.*). Verum facile patet, hac explicatione membrum prius : sicut novit me Pater, non tangi, sed omitti; dein ne haec sententia ad subsequentia trahatur, obstat quoque coniunctio illa *et* animam meam, dum comparatio duobus membris constans ipsa sua forma ad duo illa membra in v. 14 pertinere ostenditur et illam sententiam mirifice illustrat. Quare longe plerique comparationem ad antecedentem v. 14 adiungunt; ita v. g. *Cyr. Chr. Rup. Alb. Bon.* (sicut novit me Pater... sic, supple, agnosco meas etc.) *Cai. Tol. Ians. Mald. Bar. Lap. Calm. Patr. Corl. Nat. Schg. Schz. Fil. Keil*, *Weiss* aliique. Eam sententiam addi ad v. 14 censent *Chr. Theoph.* ne quis putet illam cognitionem in v. 14 esse aequalem; « sed ubi est aequalis cognitio? in Patre et in me ».

Et quanto amore suos complectatur testatur, in se exhibens boni pastoris indicium, quod in v. 11 assignavit : *et animam meam pono pro ovibus meis;* vide ad v. 11; vitam *ponit* ut pretium redemptionis, vitam impendo, trado pro ovibus; ita scil. τίθημι ὑπὲρ τ. πρ. Et uti apud prophetas mentione facta Messiae in regnum Dei et salutem gentes quoque assumptum iri constanter praedicitur (cf. Is. 2,2; 11,9. 10; 14,1; 40,5; 42,4; 49,6. Am. 9,12 etc.), ita Iesus quoque fructum vitae suae pro ovibus impensae et oblatae in omnes valere nationes affirmat v. 16 *et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili*, habet, quia : postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam etc. (Ps. 2,8); cf. Is. 49,18; 52,15; 53,12; 55,4; hoc ovile theocratia est iudaica, nam populus Israel grex est Domini; proin tota eius institutio, legislatio, quasi ovile est quo grex Domini concludebatur; neque ex *hoc* ovili sequitur, quod *Tol. Bar. Mald.* volunt, indicari alterum esse ovile quo gentes continerentur, verum *hoc* solum designat praesentem illam

Israelitarum congregationem ex qua iam habet aliquas oves; neque enim gentes simili quodam legum, rituum apparatu coercebantur neque unquam grex Domini appellantur neque Iahve pastor earum. Sed per Messiam regnum Dei pervenit ad gentes : *et illas oportet me adducere et vocem meam audient* gratia sua eos vocabit; vocem eius audient in praedicatione apostolorum : qui vos audit, me audit; pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos (Luc. 10,16; 2 Cor. 5,20) *et* ita ex fidelibus Iudaeorum et gentium *fiet unum ovile*, unus grex, (*et*) *unus pastor*, cui ovili unus ille pastor praeest, de quo Ez. 34,23 et 37,22. 24 iam annuntiatur, scil. ἀρχιποίμην Christus (1 Petr. 5,4). Istud unum ovile est ipsa Ecclesia Christi, unum ovile, quo impletur illud : ut duos condat in semetipso in unum hominem (Eph. 2, 15; ita *Chr. Theoph.*), ex duabus gentibus, iudaico et gentili populo, fiet una Ecclesia fidelium (*Thom.*), in qua itaque iam propter unum pastorem una aderit fides et doctrina, una potestas regendi et dirigendi omnes ad finem propositum ab uno illo pastore instituta et derivata.

Adnotat *Mald.* : « fore ut ante mundi consummationem omnes simul Iudaei et gentes Christiani fiant itaque unum sit ovile et unus pastor, error est ex hoc loco natus pessimo interprete vulgo. Nec enim sensus est omnes esse in Christum credituros et venturos ad Ecclesiam, sed inter eos qui ex Iudaeis et eos qui ex gentilibus credituri sunt, nullum fore discrimen, rumpendam esse maceriam, quae antea eos duos populos dividebat, Christum lapidem angularem, ut Augustinus interpretatur, futurum esse. Quod non ante finem mundi faciendum exspectatur, sed iam factum cernitur ». Et *Bar.* ad quaestionem eandem, num ante extremum diem unum futurum sit ovile, ita ut omnes credant in Christum, dicit : « respondeo me in SS. Patrum libris huiusmodi opinionem non reperisse illique obstare verba Domini apud Lucam 18 : Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra? Hic autem locus quem explicamus (scil. v. 16) minime favet, ut liquet ex eius explicatione; significat enim unum fore ovile ex duobus populis conflatum, non vero unum fore ita, ut nulli extra ovile sint homines qui in Christum non credant; Gregorius hom. 14 in ev. hodie (inquit) quasi ex duobus gregibus unum ovile Dominus effecit ». Ceterum pro illa quaestione quam hodie aliqui tanto fervore affirmant perpendendae sunt cumprimis parabolae Christi de zizaniis, quae relinquenda sint usque ad messem (Matth. 13,25-42; 47-50; pariter in sagena sunt pisces boni et mali), et quae de persecutionibus Christus suis praedicit et de tempore adventus quo res erit sicut diebus diluvii ingruentis (cf. Matth. 24,37. Luc. 17,26; vide quae dixi in Comment. Ez. p. 510-516 et expende Rom. 11,25. 26).

Ita agens, uti in v. 15. 16 dictum est, Christus diligitur a Patre v. 17 *propterea me diligit Pater,* διὰ τοῦτο, uti alias (5,16. 18; 8,47; 12,18.

39. 1 Ioan. 3,1: *Schz. Weiss* ad antecedentia refertur; dein sententia adiecta, cur diligat Pater, accuratius effertur et determinatione explicatur, *quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam* ἵνα sua notione nativa relinquatur oportet: « propterea me diligit Pater, quia morior, ut resurgam » (*Aug.*), vel potius : quia vitam meam pro meis trado, ut iterum eam assumam. In morte Messias manere nequit. Id esset contra eius dignitatem, contra vaticinia, contra eius munus. Filium Dei videre corruptionem non decuit (Act. 2,24-27); eius ad vitam reditus praedictus est Ps. 15,10, Is. 53,11. 12; munus ei assignatum (Is. l. c. Ps. 109, 1) pariter requirit, ut redeat ad vitam. Quare dicit : pono animam ea intentione et voluntate, ut iterum eam sumam. Neque ullo modo opus est notione particulae relicta explicare : pono ita, ut (*Theod. M. Euth. Tol.*) vel ea conditione pono, ut (*Patr. Corl.*). Pater itaque eum ideo quoque diligit, quia vitam tradit pro suis et hanc vitam iterum sumit, ut suos sanctificet, regat (cf. Rom. 4,25 resurrexit propter iustificationem nostram). Cum magno pondere, inquit *Aug.*, dictum est : *ego* pono; non glorientur Iudaei; saeviant quantum possunt, si ego noluero ponere animam, quid saeviendo facturi sunt? Christum haud invitum mortem adire idque amoris esse vinculum et quam maxime Patris beneplacitum, *Chr.* quoque ex hisce verbis eruit.

Plenissimam hanc libertatem, qua ab omni humana potestate exemptus est, etiam magis affirmat v. 18 *nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a meipso et potestatem habeo ponendi eam et potestatem habeo iterum sumendi eam;* « ita potestatem habeo ponendi eam, ut nemo possit me nolente id facere » (*Chr.*). Multa cum emphasi hoc effert negatione : nemo tollit; dein assertione : ego a me ipso, meo arbitrio, et iterum sibi inesse eam vim ac potentiam, qua tradat vitam pro suis et qua iterum redeat ad vitam corporalem; cf. 2,19. In eo autem quod vitam tradat et eam iterum assumat, ut opus messianum perficiat et gregem Domini constituat (cf. v. 15. 16) Patris mandatum exsequitur : *hoc mandatum accepi a Patre meo* ταύτην ἐντολήν; proin docet se non temere officium pastoris et animam suam ponendi usurpasse; nihil enim se facere nisi quod a Patre praeceptum sit (*Mald.*), quod mandatum ut homo accepit. Quaeritur inter theologos, habueritne Christus homo mandatum, praeceptum moriendi a Patre, quam quaestionem ad h. l. *Tol.* pluribus tractat et omnino affirmat. Et profecto, si modus loquendi de revelatis ex ipsa revelatione discendus est, non apparet ratio, cur negetur mandatum. Nam uti hoc loco, ita alias quoque Christus de mandato sibi facto loquitur; vide 12,49 et 14,31 et ἐντολήν eam notionem habere et frequentissime ita usurpari,

etiam apud Ioannem, constat. Huic concordat quod Paulus de Christi obedientia docet (Rom. 5,19. Phil. 2,8. Hebr. 5,8); neque obstat Hebr. 12,2 ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς ὑπέμεινεν σταυρόν, nam verbis *sustinuit*, confusione *contempta*, iterum v. 3 *sustinuit* sane non *electio* designatur et particula ἀντί tum ex 12,16 tum ex aliis locis (17,1. Phil. 2,9) explicatur et ex ipso illius loci 12,2 seq. contextu. Porro considerari quoque potest Dei agendi modus qui in vitis Sanctorum cernitur; nam quo maioribus donis et favoribus vir sanctus a Deo hisce in terris cumulatur, eo graviores quoque perpessiones ei imponuntur. Iam humana Christi natura ad sublimissimum culmen quo altius et magnificentius nequit excogitari, ad culmen favorum divinorum, ad ipsam cum Verbo unionem personalem evecta est; unde mirum non est, si Deus huic naturae etiam in terris onus grave praecepto imposuit. Quare ex hac quoque parte non est, cur diligens verborum interpres a nativo verborum sensu recedat.

Uti supra 9,16 inter ipsos pharisaeos schisma factum est (*Rup.*), ita hoc quoque loco; declaratur quem effectum habuerit sermo Christi v. 19 *dissensio iterum* (scil. ut 9,16) *facta est inter Iudaeos*, nobiliores, pharisaeos; quare *iterum* non referri debet ad 7,12 ad dissensionem turbae, *propter sermones hos;* v. 20 *dicebant autem multi ex ipsis : daemonium habet et insanit* (cf. 8,48) *quid eum auditis?* daemonio arreptus insanit; ne audiendus quidem est; quis verba furentis attendit? Hi itaque *multi*, quo magis veritas iis a Christo proponitur, eo magis sese tenebris involvunt; evenit quod 9,39 dictum est; v. 21 *alii dicebant : haec verba non sunt daemonium habentis; numquid daemonium potest caecorum oculos aperire?* alii numero pauciores causam Christi bono argumento tueri incipiunt ex verbis eius et ex sanatione caeci. — Quanta animorum commotio et in populo et inter nobiles, synedristas exstiterit de Christo hisce capitibus (5 seq.) satis declaratur; odium adversariorum cernitur crescens, quod sane illa aliorum oppositione et contradictione (licet minime forti) non potest non augeri.

6. *Manifestatio Iesu quarta in Iudaea* 10,22-11,56.

In festo encaeniorum Iesus iterum clare suam cum Patre aequalitatem asserit provocans ad opera sua. Eum iterum volunt lapidare. Se subtrahit insidiis eorum abiens in Peraeam. Mox resuscitatione Lazari maximum Iudaeis praebet signum se esse vitam et resurrectionem. Cum eo signo permoti multi in eum credant, synedristae eum interficere constituunt.

a) Iesus in festo encaeniorum 10,22-42.

10,22. Facta sunt autem Encaenia in Ierosolymis; et hiems erat. 23. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Iudaei, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Iesus : Loquor vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. 27. Oves meae vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et sequuntur me. 28. Et ego vitam aeternam do eis; et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est; et nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego et Pater unum sumus.

31. Sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Iesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Iudaei : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; et quia tu, homo quum sis, facis te ipsum Deum. 34. Respondit eis Iesus : Nonne scriptum est in lege vestra, quia Ego dixi : dii estis? 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : 36. Quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : Quia blasphemas : quia dixi : Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

39. Quaerebant ergo eum apprehendere; et exivit de manibus eorum. 40. Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum; et mansit illic. 41. Et multi venerunt ad eum, et dicebant : Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. 42.

10,22. Ἐγένετο τότε τὰ ἐγκαίνια ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, χειμὼν ἦν, 23. καὶ περιεπάτει Ἰησοῦς ἐν τῷ ἱερῷ ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶνος. 24. ἐκύκλευσαν οὖν αὐτὸν οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ ἔλεγον αὐτῷ, Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις; εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὸν ἡμῖν παῤῥησίᾳ. 25. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς Ἰησοῦς, Εἶπον ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐπιστεύσατε. τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, ταῦτα μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ· 26. ἀλλ' ὑμεῖς οὐ πιστεύετε· ὅτι οὐκ ἐστὲ ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν. 27. τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούουσιν, κἀγὼ γινώσκω αὐτά· καὶ ἀκολουθοῦσίν μοι, 28. κἀγὼ δίδωμι αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον· καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου. 29. ὁ πατήρ μου, ὃ δέδωκέν μοι, πάντων μεῖζόν ἐστιν καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός. 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. 31. Ἐβάστασαν πάλιν λίθους οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν. 32. ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Πολλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν καλὰ ἐκ τοῦ πατρός· διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον ἐμὲ λιθάζετε; 33. ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, Περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ περὶ βλασφημίας, καὶ ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὢν ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν. 34. ἀπεκρίθη αὐτοῖς Ἰησοῦς, Οὐκ ἔστιν γεγραμμένον ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν, ὅτι Ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε; 35. εἰ ἐκείνους εἶπεν θεοὺς, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο, καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή· 36. ὃν ὁ πατὴρ ἡγίασεν καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, ὑμεῖς λέγετε, ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, Υἱὸς τοῦ Θεοῦ εἰμί; 37. εἰ οὐ ποιῶ τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, μὴ πιστεύετέ μοι· 38. εἰ δὲ ποιῶ, κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, τοῖς ἔργοις πιστεύετε· ἵνα γνῶτε καὶ γινώσκητε, ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί.

39. Ἐζήτουν πάλιν αὐτὸν πιάσαι· καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῶν. 40. Καὶ ἀπῆλθεν πάλιν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, εἰς τὸν τόπον ὅπου ἦν Ἰωάνης τὸ πρῶτον βαπτίζων· καὶ ἔμενεν ἐκεῖ. 41. καὶ πολλοὶ ἦλθον πρὸς αὐτὸν, καὶ ἔλεγον, ὅτι Ἰωάνης

Omnia autem quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

μὲν σημεῖον ἐποίησεν οὐδέν· πάντα δὲ ὅσα εἶπεν Ἰωάνης περὶ τούτου, ἀληθῆ ἦν. 42. καὶ πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν ἐκεῖ.

In v. 22 sin erat festum in Ier. quod vocatur gloria sanctuarii. In v. 24 animam nostram suspendis c f; manifeste l r; aperte a. In v. 25 λαλω υμιν D it Tert; dixi a; tempus praesens sin quoque exhibet; ουκ επιστευσατε B 157. credidistis f; add μοι D alq minusc sah arm Chr; mihi car. In v. 26 add in fine καθως ειπον υμιν A D X Γ Δ Λ unc 6 al pler sin a b e f ff² r go syr (utr, hr) aeth. In v. 29 ο δεδωκεν ℵ B* L 15 ev it go cop Hil Ambr; μειζον A B X it go cop syr (hr) Tert Hil; alias ος, μειζων. In v. 31 sin cum haec dixisset, tulerunt; v. 32 multa opera Patris ostendi vobis, propter quod ex operibus his lapidatis me? v. 36 quia dixit vobis : Filius Dei... In v. 38 και γινωσκητε B L X aliq minusc sah cop hr arm aeth Ath Hil; al πιστευσητε; sed om D a b c e ff² l Tert Cyp sin. In v. 39 pler codd habent παλιν; non habent ℵ* D pauci minusc it (excipe f) vulg hr Chr. In v. 42 om εκει Chr it vulg syr (sch, sin); add ibi dub.

In festo encaeniorum Iesus interrogatus sitne Messias provocat ad opera exprobrans Iudaeorum incredulitatem et docens de salute credentium, quos ipse una cum Patre divina potentia servabit. Iudaei eum propter blasphemiam lapidare volunt. Iesus probat se minime blasphemasse et monet, ut operibus credant, quibus divina potentia et natura demonstretur. Frustra conantur eum apprehendere; abit trans Iordanem, ubi multi in eum credunt. — Contumacia Iudaeorum et perversitas iterum magis patefit. Iesus divinam suam naturam adeo clare manifestat, ut Iudaei aperte dicant : facis teipsum Deum.

Festum dedicationis templi celebrabatur, non in memoriam dedicationis templi Salomonis (*Cyr. Nonn.*) neque in memoriam dedicationis templi sub Zorobabel (*Chr. Cyr. Theoph. Euth. Cai.*), sed est illa sollemnitas quam Iudas Machabaeus instituit agendam per octo dies a 25 die mensis casleu, mensis noni (cf. 1 Mach. 4,59, 2 Mach. 10,5-8), uti iam viderunt *Theod. M. Bed. Rup. Thom. Bon. Tol. Ians. Mald.* etc. quibuscum sentiunt recentiores. Testatur *Iosephus* quoque ex tempore Machabaeorum usque in hodiernum diem illam agi festivitatem, cui nomen Φῶτα, Lumina (Antiq. 12,7,7); v. 22 *facta sunt autem encaenia*, ἐγκαίνια ita enim Esdr. 6,17 et Neh. 12,27 legitur pro hebr. חֲנֻכָּה dedicatio, 1 Mach. 4,59 ἐγκαινισμός habetur, *in Ierusalem;* explicat vocem *Aug.* : « graece enim καινόν dicitur novum, quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum Encaenia vocantur; iam et usus habet hoc verbum; si quis nova tunica induatur, encaeniare dicitur »; sed vox est solum biblica. Pro graecis lectoribus additur : *et hiems erat*, ut simul et tempus illis explicaretur et ratio redderetur pro v. 23 *et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis*, « cum hiems esset et tunc plueret, cuncti ut par erat ad porticum confluebant; quare et Christus illuc

venit » (*Cyr.*); ambulabat ob frigus ἐν τῷ ἱερῷ, qua appellatione atria et porticus significantur, et in qua parte τοῦ ἱεροῦ moratus sit additur in porticu Salomonis, quam plerumque putant esse porticum orientalem, de qua *Iosephus* scribit : erat porticus exterioris templi, profundae valli imminens, proinde subnixa muris quadringentorum cubitorum et saxis quadratis constructa valde candidis..., opus Salomonis regis » (Antiq. 20,9,7). Inde quoque ratio nominis petita est (cf. Act. 3,11). Alii tamen malunt intelligere regiam porticum quae triplex erat et longitudine ab orientali valle ad occidentalem usque pertinebat (cf. Antiq. 15,11,5).

Solum duo anni tempora in s. litteris distinguuntur : aestas et hiems (aestus et frigus) קַיִץ וָחֹרֶף Gen. 8,22, Ps. 74,17 (ubi in vulg. aestas et ver legitur) Is. 18,6; Zach. 14,8; sementis adscribitur hiemi et messis aestati Gen. 8,22.

A festo tabernaculorum usque ad encaenia duo fluxerunt menses. Nihil de eo temporis spatio nobis refert Ioannes. Verum quid Iesus eo tempore egerit, colligi potest ex iis quae Luc. 11,1-13,22 narrantur (vide quae dixi in Comment. Luc. p. 21.22 et cf. *Cornely*, Introd. III 2 ed. p. 293). Eo tempore videtur Christus in Iudaea moratus esse et fortasse etiam in Peraea; nam quod 10,40 dicitur : et abiit *iterum* in Peraeam i. e. trans Iordanem, videtur commodius referri ad commorationem, non illam tribus annis antea factam, de qua 1,28, sed ad propiorem (cf. *Corl.* ad 10,40).

Etiam in animis Iudaeorum frigus erat, neque enim veritatem desiderabant, sed calumniam praeparabant (*Aug. Bed.*) v. 24 *circumdederunt ergo eum Iudaei,* « veluti ex condicto convenientes adversus eum circumcinxerunt eum, ne scil. elabi et effugere posset, ni prius eorum voluntati satisfecisset » (*Ians.*); et commode *Rup. Mald.* illud commemorant : circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me (Ps. 21,13) *et dicebant ei : quousque animam nostram tollis* αἴρεις; excitas, commoves, proin : animam nostram suspendis (*Ians.*), nos suspensos incertosque relinquis (*Tol.*); *si tu es Christus, dic nobis palam!* παρρησίᾳ, i. e. φανερῶς, ἀπαρακαλύπτως (*Euth.*), sine ambagibus, aperte, libere. Iesus quidem se esse Christum dixit mulieri Samaritanae, ut Messias a suis quoque discipulis est agnitus (1,41; Matth. 16,16); at palam coram plebe hac voce ipsa se non designavit, immo praecepit discipulis, ut nemini dicerent se esse Christum (Matth. 16,20). Quia enim nomine Messiae intelligebant et exspectabant regem qui expulsis Romanis regnum davidicum restitueret et gentes dominationi iudaicae subiiceret, profecto erat, cur hac ipsa voce adeo male intellecta Iesus publice se nollet designare, ne vanam illam exspecta-

tionem fovere et magnam populi commotionem excitare videretur. At se esse revera Messiam, pro pharisaeis et scribis clare edixerat, cum et se filium hominis (Dan. 7,13) appellaret et omnia illa sibi attribueret quae a solo Messia exspectari poterant (cf. 6,35 seq. 7,38; 8,12; 10,11); insuper habebant testimonium baptistae de eo. — Difficile est in hac quaestione Iudaeos non accusare mendacii et hypocrisis. Dixerant antea de Iesu : daemonium habet, non est a Deo, a Galilaea non surgit propheta; nunc vero se fingunt quasi anxios, dubios, suspensos, ut sciant sitne Christus; quaerunt ac si nihil unquam de se testatus esset; expetunt eius de se testimonium, cum tamen alias dixerint : tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum (8,13).

Erat mens interrogantium, ut *Chr.* ait, corrupta et subdola. Volunt ut se Messiam profiteatur, ea profecto intentione, ut eum usurpatae dignitatis accusent et quasi regnum appeteret deferant ad magistratum romanum (cf. *Bed. Rup. Thom. Cai. Tol. Ians. Mald. Schz. Fil.*). Bene adnotat *Chr.* : « nunc vero illorum perversitatem considera : cum concionatur et verbis docet, aiunt : quod signum ostendis? cum autem operibus demonstrationes profert, dicunt : si tu es Christus, dic nobis. Dum opera clamant, verba requirunt, et cum verba docent, ad opera confugiunt. Quod enim non discendi causa interrogarent, exitus demonstravit; quem enim ita fide dignum putabant, ut de se ipso testificantem admitterent, vel pauca loquentem statim lapidibus impetunt ». Eorum impudentiam et procacitatem graviter perstringit v. 25 *respondit eis Iesus : loquor vobis et non creditis*, εἶπον dixi vobis, i. e. iam clare dixi vobis me esse Christum, at vos non creditis; cf. 5,32 seq. 7,38 et ita locutus est, ut essent qui dicerent : hic est Christus 7,41; 8,12 etc.; proin dicendo : εἶπον ὑμῖν... explicite iterum affirmat se esse Christum et ulterius provocat ad testimonium operum : *opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me;* cf. 5,36. 37; in nomine Patris i. e. in unione cum Patre et virtute ab eo accepta et eius mandato seu vi missionis a Patre; vide 5,19. 36. 43; v. 26 *sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis;* explicant aliqui : quia non estis praedestinati (*Aug. Bed. Thom. Cai. Tol.*); verum praestat cum *Mald.* aliisque verba ita concipere, ut ratio reddatur a Iesu non ex omissione divinae praedestinationis, sed ex ipsa illorum culpa i. e. eos non credere quia nolunt, quia maligno in Iesum sunt animo.

Quem sensum esse verum, ex sequentibus patet; v. 27 *oves meae vocem meam audiunt et ego cognosco eas et sequuntur me*, vide supra v. 4. 14. 16. Cur ita pergit? « animadverte quomodo ἐν τῷ ἀπαγο-

[illegible] eos incitet ut se sequantur: vos, inquit, non auditis me: qui vero sequuntur sunt ex ovili; haec porro dicebat, ut aemularentur illi et conarentur oves fieri ἵνα [illegible] »; ita praeclare *Chr.*; indolem suorum proponens et docens quae bona iis contingant, eos provocare studet, ut etiam ad talia aspirent. Proinde qui ita loquitur, certo antea non dixit: vos non creditis quia non estis praedestinati. Etiam magis id elucet ex sequentibus v. 28 *et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum et non rapiet eas quisquam de manu mea;* « deinde ubi quid consecuturi sint exponit, incitat illos, ut sequendi desiderium inferat » *Chr. Theoph.*. Haec enim loquitur, ut homines ad sui sequelam attrahat: vitam dare aeternam magna est potentia, praemium magnum ovibus Christi exhibitum *Tol.* cf. *Patr. Corl. Schz.*. Quod si hoc non allicit, terrore eos ad meliorem frugem reducere studet ostendens quo in periculo sint non credentes: si oves non sunt, peribunt in aeternum: proin illis non solum vita aeterna negatur, sed interitu aeterno mulctabuntur. Proin promissis et terrore eos, ut resipiscant, adhortatur cf. *Mald. Lap.*. Dicit Iesus *do*, quia vita gratiae i. e. gratia sanctificans revera de se est initium vitae aeternae et ius dat ad vitam in aeternitate beatam; *et non rapiet...*, declarat potentiam suam, neminem esse fortiorem se, ut eas de manu sua eripiat: si pereunt, sua ipsorum voluntate, non ipsius infirmitate perire (*Mald.*); conabuntur homines eos avertere, ipse daemon tentabit multis modis: at confidant: nemo de eius potestate eos poterit tollere, nisi ipsi sponte ab eius se protectione ac potestate subtraxerint. Deus enim neminem deserit, nisi ipse prius ab homine deseratur: nam sicut coepit ipse opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere, nisi ipsi illius gratiae defuerint, ut ait Tridentinum (sess. 6 cap. 11 et 13); quare ibidem iubemur in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere.

Quod dixerat, egregie confirmat v. 29 *Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est, et nemo potest rapere de manu Patris mei*, v. 30 *ego et Pater unum sumus;* quod in v. 28 promittit, implere potest, quia quod Pater ei dedit *maius*, potentius, sublimius est *omnibus*; porro e manu seu potentia Patris nemo quidquam eripere potest, id quod sane omnes fatebuntur — atqui, pergit, ego et Pater unum sumus i. e. unam eandemque habemus naturam et potentiam: ergo nemo potest rapere de manu mea. Quid sit illud [illegible] [illegible], quamvis varie explicetur, tamen vim probationis seu demonstrationis non imminuit; interpretantur enim de potestate Iesu data (*Schz.*), de omnipotentia (*Rup.*), de munere pastoris et opere redemptionis (*Scho.*), de ovibus ei concreditis (*Sc. Tittmannus* apud *Bar. Fil.*), de Ecclesia (*Calm.*);

sed plerumque de natura divina quam Pater ei generatione communicat (*Thom. Tol. Lap. Bar. Nat. Patr.*) vel quod ad idem recidit, ut esset unigenitus Filius (*Aug. Bed.*), ut omnia habeat quae Pater habet (*Alb. Bon.*); similiter verba concipiunt Patres concilii lateranensis quarti (an. 1215) in definitione contra Ioachim et Almaricum : « Pater ab aeterno Filium generando suam substantiam ei dedit iuxta quod ipse testatur : Pater quod dedit mihi maius omnibus est » (cf. *Denzinger,* Enchiridion n. 358; legitur quoque in Corp. iur. can. Lib. 1 Decret. Greg. IX tit. 1 cap. 2). Nexu logico et argumentatione statim patet illud : *ego et Pater unum sumus,* non posse referri solum ad concordiam et consensum animi (quod Ariani et Sociniani volebant), hanc acceptationem non quadrare in contextum etiam acatholici ultro fatentur (cf. *Weiss*). Nam ut probetur quod dixerat, id saltem debet enuntiari Patris et suam efficientiam in opere salutis esse eandem (*Schz. Weiss*), proin Patris et suam potentiam esse eandem; « secundum potentiam hoc dicit; nam de illa hic sermo est; potentiae aequalitatem declarat » (*Chr. Theoph. Alb. Tol. Mald.*); sed simul advertunt : « si autem eadem est potentia, palam est eandem esse substantiam » (*Chr.*), « quod si unum potentia, unum sane et divinitate et essentia et natura » (*Euth.* et similiter alii). Verum cum sine ulla limitatione Christus dicat : ego et Pater unum sumus, alii statim immediate aequalitatem plenam eandemque unam Patris et Filii naturam affirmari censent (*Cyr. Aug. Bed. Rup. Thom. Bon. Cai. Ians. Lap. Bar. Calm. Patr. Corl. Schg. Fil. Keil*) et inde ostendi ac probari eandem potentiam. Quo loco igitur praeclare enuntiatur unitas substantiae et pluralitas personarum, uti veteres iam advertunt (cf. *Ammonius* in cat. Cord., *Ambr. Hier.* apud *Tol., Rup. Bon.* etc.).

Iuvat de hoc loco plura advertere. In commentario scribit *Tol. :* ego et Pater unum sumus, unius essentiae et potestatis. In annotatione autem haec habet : « attende illa verba esse intelligenda de unitate virtutis et potentiae, de hac enim sermo est, ut sit sensus : nemo de manu et potestate Patris potest eripere, ergo nec de mea, quia unius et eiusdem sumus manus, virtutis ac potentiae. Ita exponit Basilius lib. 1 contra Eunomi. et sic exponendum ex contextu probat. Eodem modo interpretatur Ambrosius lib. 3 de Spiritu s. cap. 18 et lib. 1 de fide cap. 1 et Chrysostomus hom. 60; eaque ratione Patres opposuerunt haereticis Arianis hoc testimonium, ut probarent Patris et Filii consubstantialitatem ». Et *Mald.* dicit : « omnes qui contra Arianos unquam disputarunt, hoc cumprimis testimonio eos refutarunt » et testimonia sat multa allegat. Et merito notat *Corl. :* « haec sententia Christi semper habita est ut dogmatis consubstantialitatis Verbi cum Patre *formula scripturistica* ».

Volebant Ariani explicare de unitate morali, de voluntatum coniunctione. Contra quod arguit *Mald.* : « volebat Christus probare neminem posse de manu sua oves suas eripere, quia ipse, ait, et Pater unum sumus et nemo de Patris manu potest eripere; si significat eiusdem esse potentiae atque naturae, bene probat; si eiusdem esse voluntatis, non probat ». Hic enim, ut *Corl.* monet, apertissime de se Christus talem cum Patre unitatem asserit quae supponat identitatem *potentiae,* adeoque *naturae ipsius divinae;* eodemque modo loquitur *Patr.* : « vox *unum* causam rationemque significat, cur eadem Christo potentia sit ac Patri, de potentia agitur, non de voluntate, utque argumenti complexio constet, necesse est una atque eadem sit Christi et Patris *manus,* hoc est *potentia* atque adeo natura ». Atque Iudaei ipsi verba illa de naturae et potestatis unitate, non autem de solo consensu animorum dicta se intellexisse demonstraverunt, cum ex hisce intellexerunt Dominum significasse se esse Deum (*Ians.*).

Iam quaeri potest quid verbis illis *primo* enuntietur et affirmetur : utrum scil. una potestas, ex qua inferatur una natura, an una natura ex qua consequatur eadem potestas. Nam aliqui ita loquuntur, ut modo hoc, modo illud asserere videantur. Puto equidem ex verbis ipsis erui, primo et per se formaliter affirmari *unitatem naturae.* Nam ad hoc verba cumprimis apta sunt; id enuntiant, quia in universum sine ulla ad certum unitatis genus determinatione proferuntur; insuper ad id quod Christus probare vult, ultimam tandem et verissimam reddunt rationem : si nemo eos rapere potest de manu Patris, ergo neque de manu mea, quia ego et Pater sumus unus Deus. Vel, dixerat Christus : nemo rapiet eos de manu mea, et subdit : nemo rapiet de manu Patris, quomodo haec duo effata cohaerent? cur qui sunt in manu seu potestate Christi sunt etiam in manu seu potestate Patris? *intima* ratio est, quia una est Patris Filiique natura. Nam si respondes, quia eadem est potestas seu eadem manus, recurrit quaestio : suntne igitur iidem in duabus manibus, et quomodo et cur est eadem potestas? Plena responsio, qua cuncta enucleantur non habes, nisi *unum* sumpseris unitate absoluta, perfecta i. e. unitate naturae.

In v. 29 alia saepe fertur lectio quae est lectio textus recepti ὃς δέδωκέν μοι πάντων μείζων ἐστίν Pater qui dedit mihi maior est omnibus, quam lectionem praeferunt *Ians. Cai. Mald. Corl. Keil, Weiss;* verum in editionibus criticis merito alia lectio adoptata est. Est enim haec difficilior et facile patet cur in alteram mutata sit. Sensum ipsum si spectas, neque ad v. 28 neque ad v. 29 ullo modo opus est adiungere id de quo nemo dubitat; sed bene aliquid adiungitur, quo dictum in v. 28 confirmatur et explicatur.

Ceterum quo sensu Iesus dixerit : ego et Pater unum sumus, etiam elucet ex sequentibus, praesertim v. 33. 36. 38. Iudaei de perfecta cum Deo unitate verba intellexerunt, quem sensum Iesus in v. 36. 38 confirmat et dilucide explicat; v. 31 *sustulerunt ergo lapides Iudaei, ut lapidarent eum;* « lapides isti clamant adversus Arianos » (*Mald.*);

v. 32 *respondit eis Iesus : multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* « aculeata sunt verba; pungit enim eos, oblique insinuans nulla sua culpa, nullam ob noxam se ab illis lapidari; reliquum ergo esse, ut ob bona opera et merita in eos sua ipsorum ingrato animo invidiaque lapidetur » (*Mald.*). Monet opera illa egregia καλά virtute divina esse patrata, esse testimonia a Patre sibi exhibita ad confirmanda ea quae de se et sua a Patre missione toties illis affirmaverat; *ex Patre* dicit « non se ab eorum effectu et operatione alienum demonstrans, immo totius Deitatis opera esse docens » (*Cyr.*), ex Patre scil. quocum se unum esse affirmarat. Dicit *multa;* ergo in Ierusalem quoque multa signa fecit et confirmatur illud : Ierusalem, quoties volui congregare filios tuos etc. (Matth. 23,37. Luc. 13,34). Uti hac quaestione graviter furorem eorum reprehendit, ita etiam aliquo modo animos ira turbatos sedat (*Tol.*), dum ipsa hac quaestione eos revocat ab eorum ausu temerario v. 33 *responderunt ei Iudaei : de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum;* « ecce Iudaei intellexerunt quod non intelligunt Ariani; ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici : ego et Pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est Patris et Filii » (*Aug.*). Lapidatione blasphemia puniebatur Lev. 24,16. Videntur opera bona in Iesu agnoscere; putat quidem *Mald.* esse sensum : nullum eum habere bonum opus, propter quod eum lapidarent, aut si quod adesset, non propterea eum lapidari. Verum sensu obvio opera bona ei concedunt. Quare merito notat *Rup.* quam inconsiderate agant : quomodo uni homini cum blasphemia bonum opus attribuitis? numquid Deum blasphemando quis bonum opus simul faciat, praesertim qualia hic operatur?

Quia itaque secundum legem propter blasphemiam eum lapidare volunt, probat illis ex ipsa lege se nullo modo tali poenae legis esse obnoxium. Probat id, uti v. 35. 36 elucet, argumento a minore ad maius (cf. *Bon. Cai. Tol. Lap. Patr. Corl. Schg. Schz.*), quo simul eorum infirmitati se accommodat (*Tol.*). Iudaei enim, uti ex eorum verbis patet, nullo modo fieri posse existimarunt, ut homo esset Deus; eos ergo, ut *Ians.* dicit, manuducit auctoritate Scripturae quae homines docet deos nominari, « hinc significans non debere reputari blasphemum quod se hominem Deum diceret, innuens item, se non ut alii, sed natura et vere Deum esse ». Talis argumentatio sane apta erat ad eorum furorem aliqua ratione reprimendum; eratque simul argumentum ad hominem quod vocamus, quo facillimo modo ostenditur ex lege eum nullatenus poenae lapidationis addici v. 34 *respondit eis Iesus : nonne scriptum est in lege vestra*, vestra, cum emphasi,

cuius scientiam iactatis et quam tamen ignoratis, uti nunc ostenditis (cf. *Mald.*), *quia ego dixi : dii estis,* elohim, Ps. 81,6, in quo Deus iniustos iudices alloquitur et increpat; lex itaque etiam hoc loco dicitur de Scriptura, uti 7,49; 12,34; 15,25, quem loquendi morem etiam apud rabbinos deprehendimus (cf. *Cornely,* Introd. I. 2 ed. n. 15,7).

Iam fit argumentatio ex textu v. 35 *si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est,* scil. cum iudices instituerentur, vel ad quos in Psalmo illa fit allocutio Dei : ego dixi : dii estis et filii excelsi omnes, *et non potest solvi Scriptura*, irrita fieri et falsa, λυθῆναι, ἀντὶ τοῦ πεσεῖν; ἀθετηθῆναι (*Euth.*), excidere, reiici, aboleri, v. 36 *quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis : quia blasphemas*, *quia dixi : Filius Dei sum?* in Psalmo verba illa diriguntur ad iudices impios, iniustos, quibus ira Dei et poena denuntiatur; quare hoc loco Iesus argumentum a minori ad maius clare effert, dum se describit sanctificatum a Patre et missum in mundum. Quam longissime itaque distat a iudicibus iniustis! Iudaei illud *sanctificare* ex usu Scripturae poterant intelligere : consecrare ad munus quod sibi adscribit obeundum; nam, ut *Theoph.* dicit, est ἀφορίζειν : sanctum enim dicitur, quod Deo segregatum est, est designare, destinare ad aliquod officium (*Mald.*) pro Deo et mandato Dei obeundum (cf. Is. 13,3). Alii malunt explicare eo sensu quo Iudaei vocem non intellexerunt : Christum ut hominem a Patre sanctificatum per divinitatem unitam humanitati in persona Filii, aut, ut *Aug.* habet, « sic sanctificavit eum Pater, quomodo genuit, ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit », cui expositioni *Tol.* consentit et *Ians.* quoque, quia Christus dicere videatur se esse Filium Dei, quia Pater ipsum sanctificasset. Deinde dicens *et misit in mundum*, indicat se fuisse antequam mitteretur et fuisse apud Patrem a quo missus esset (*Ians.*). Cum de Patre locutus sit, nunc dicit : *Filius Dei sum* hac ratione simul declarans illud ex quo haec disputatio orta est : ego et Pater unum sumus; illud *unum sumus* dicit itaque : Pater est Deus et ego Filius Dei Patri in natura aequalis, unum natura, persona distincta. Quia itaque Christus locutionem priorem : ego et Pater unum sumus, nunc ita repetit : quia dixi : Filius Dei sum, videtur omnino confirmari expositio *unum* primo et per se referri ad unitatem naturae, non primo et per se ad solam potentiae unitatem.

Iterum Iudaeos remittit ad opera quibus verbis suis suoque de se testimonio maxima accedit vis ad persuadendum. Quod ut serio recogitent secumque meditentur, sententia duplice, negante et affirmante, itaque magna emphasi monet v. 37 *si non facio opera Patris mei,* opera Dei illa dicuntur quae viribus humanis aut naturalibus fieri nequeunt, *nolite credere mihi*, v. 38 *si autem facio, et si mihi non vultis*

credere i. e. verbis meis, meo de me testimonio, *operibus credite, ut cognoscatis et credatis* ἵνα γνῶτε καὶ γινώσκητε ut noscatis (actu) et hanc notitiam habeatis (teneatis habitu, semper), *quia Pater in me est et ego in Patre,* haec igitur altera est illius *unum sumus* vel repetitio vel explicatio ulterior; « Christus demonstrare instituerat *se et Patrem unum esse,* sed, cum faceret, illi propositioni hanc alteram substituerat : Filius Dei sum; ex quo illud inferendum vidimus, unam atque eandem esse utriusque propositionis vim et rationem. Quibus duabus haec tertia addenda est : Pater in me etc., deque ea item iudicandum, cum conclusio sit argumentationis qua Christus ostendere habebat se et Patrem unum esse seque esse Filium Dei » (*Patr.*). Hac tertia sententia formaliter enuntiatur συμπεριχώρησις circumincessio, uti in prima consubstantialitas, et in secunda filiatio.

Patet itaque Christum illud : *ego et Pater unum sumus,* argumentatione illa ex Ps. 81, nullatenus imminuisse, sed plane retinuisse et duobus modis clarius et distinctius proposuisse (v. 36. 38). Illam vero ad hominem argumentationem inseruit, prout ex lege *vestra* patet, ut illis ad oculum demonstraret, quanta contra ipsam legem iniuria illi sese ad lapidandum accingerent. Insuper tale argumentum aptum erat ad furorem insanum aliquatenus temperandum.

At quantae tenebrae manifestationi praeclarissimae lucis opponuntur! Qua sunt Iudaei obstinatione, nec verbis eius neque operibus credunt v. 39 *quaerebant ergo eum apprehendere et exivit de manibus eorum,* re ipsa eis demonstrans suam potentiam qua omnes conatus facillime eludit. Iam inde cognoscere poterant eum singulari Dei protectione frui et quam verum esset quod dixerat v. 18 nemo tollit eam a me. Quid ergo de eo censendum erit? Quomodo exierit e manu eorum, non refertur; sese reddidisse invisibilem (*Cai. Ians. Mald.*), verbis hisce non suadetur. Effecit, ut nemo posset eum detinere; cf. Luc. 4,30. Relinquit urbem et Iudaeam v. 40 *et abiit iterum trans Iordanem; iterum* plerumque referunt ad 1,28, quae tamen commoratio nimio temporis intervallo abest; quare aptius videtur explicandum esse, abiisse in Peraeam, ubi ante encaenia per aliquod tempus fuerit (cf. *Corl.*) *in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum,* ut quasi eius memoriam et testimonium revocaret; nam v. 41 *et multi venerunt ad eum et dicebant : quia Ioannes quidem signum nullum fecit,* v. 42 *omnia autem quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum;* Ioannes baptista miracula quidem non fecit, sed eo se modo prophetam a Deo missum probavit, quem Deus assignarat (Deut. 18,21. Ier. 28,9) et quem hi quoque tangunt : omnia quaecumque dixit de hoc, vera erant; cf. Matth. 3,11. Iterum indicat evange-

lista plura dixisse baptistam de Iesu quam quae ipse et alii synoptici retulerint. Baptistae praedicationem fructu non caruisse ostenditur. Credunt multi in Iesum, sed in Peraea, ubi a perniciosa illa Iudaeorum, i. e. pharisaeorum ac synedristarum auctoritate et terrore remoti erant.

b) Lazarus aegrotat et moritur 11,1-16.

11,1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania de castello Mariae et Marthae sororis eius. 2. (Maria autem erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis : cuius **frater Lazarus infirmabatur.)** 3. Miserunt **ergo sorores eius ad eum dicentes :** Domine, **ecce quem amas infirmatur.** 4. **Audiens autem Iesus dixit eis :** Infirmitas **haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur** Filius Dei per **eam. 5. Diligebat autem Iesus** Martham, **et sororem eius Mariam et Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.**

7. Deinde post haec **dixit discipulis suis : Eamus in Iudaeam** iterum. 8. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quaerebant te Iudaei lapidare, et iterum vadis illuc? 9. **Respondit Iesus:** Nonne duodecim **sunt horae diei?** Si quis ambulaverit **in die, non offendit** quia **lucem huius mundi videt; 10.** Si **autem** ambulaverit **in nocte, offendit, quia** lux non est **in eo.**

11. Haec ait, et post haec dixit eis : **Lazarus amicus noster dormit;** sed vado **ut a somno excitem eum.** 12. Dixerunt **ergo discipuli eius :** Domine, si dormit, **salvus erit.** 13. Dixerat autem Iesus de **morte eius : illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret.** 14. Tunc **ergo Iesus dixit** eis manifeste : Lazarus **mortuus est.**

15. Et gaudeo propter vos, ut **credatis, quoniam** non eram ibi. Sed eamus **ad eum.** 16. Dixit ergo Thomas, qui **dicitur Didymus,** ad condiscipulos : Eamus **et nos,** ut moriamur cum eo.

11,1. Ἦν δέ τις ἀσθενῶν Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας, ἐκ τῆς κώμης Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. 2. ἦν δὲ Μαριὰμ ἡ ἀλείψασα τὸν Κύριον μύρῳ, καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς, ἧς ὁ ἀδελφὸς Λάζαρος ἠσθένει. 3. ἀπέστειλαν οὖν αἱ ἀδελφαὶ πρὸς αὐτὸν λέγουσαι, Κύριε, ἴδε ὃν φιλεῖς ἀσθενεῖ. 4. ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Αὕτη ἡ ἀσθένεια οὐκ ἔστιν πρὸς θάνατον, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ δι' αὐτῆς. 5. ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς τὴν Μάρθαν καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς καὶ τὸν Λάζαρον. 6. ὡς οὖν ἤκουσεν ὅτι ἀσθενεῖ, τότε μὲν ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ δύο ἡμέρας.

7. Ἔπειτα μετὰ τοῦτο λέγει τοῖς μαθηταῖς, Ἄγωμεν εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν. 8. λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ, Ῥαββεὶ, νῦν ἐζήτουν σε λιθάσαι οἱ Ἰουδαῖοι, καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ; 9. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσιν τῆς ἡμέρας; ἐάν τις περιπατῇ ἐν τῇ ἡμέρᾳ, οὐ προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει· 10. ἐὰν δέ τις περιπατῇ ἐν τῇ νυκτὶ, προσκόπτει, ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ.

11. Ταῦτα εἶπεν καὶ μετὰ τοῦτο λέγει αὐτοῖς, Λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κεκοίμηται· ἀλλὰ πορεύομαι ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. 12. εἶπον οὖν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Κύριε, εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται. 13. εἰρήκει δὲ ὁ Ἰησοῦς περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ· ἐκεῖνοι δὲ ἔδοξαν ὅτι περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου λέγει. 14. τότε οὖν εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς παῤῥησίᾳ, Λάζαρος ἀπέθανεν.

15. καὶ χαίρω δι' ὑμᾶς, ἵνα πιστεύσητε, ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ· ἀλλ' ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. 16. εἶπεν οὖν Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, τοῖς συνμαθηταῖς, Ἄγωμεν καὶ ἡμεῖς, ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ.

In v. 1 sin et erat ut aegrotaret Lazarus ex Bethania, frater Mariae et Marthae; l gat Aug dub eg ken rush wil harl steph sixt sororum eius. In v. 3 sin duae sorores. In v. 4 per *eum* am* big dun ept hub theod for car ox rush st val lind harl; per ipsum b c l; in illo a e. In v. 7 sin om deinde post haec, et in v. 12 om discipuli. In v. 11 dormivit d ff² l, r; D κοιμαται, obdormit a. In v. 13 sin quia de somno diceret; de dormitatione dub st.

Inter omnia miracula quae fecit Dominus noster Lazari resurrectio praecipue praedicatur (*Aug.*). Supra Dominus virtutem suam vivificativam ostendit verbo, hic confirmat eam miraculo, quendam mortuum, Lazarum, suscitando (*Thom.*). Et *Salmeron* advertit, quamvis sanatio caeci nati fuisset signum magnum, tamen multo maius et excellentius esse miraculum Lazari quatriduani et iam fetentis, quanto maius sit vitam cum omnibus sensibus, quam unicum sensum visus restituere. « Dominus enim pro sua sapientia quo magis morti appropinquabat, eo maiora potentiae sua signa et admirabiliora legationis a Patre iniunctae testimonia edebat, ne quisquam humanae naturae infirmitate in cruce et morte declarata offenderetur aut eum quasi impotentem morti succubuisse existimare posset »; porro ex vita Lazaro collata voluit colligi a suis « quod posset seipsum post triduum a morte revocare » (t. 6 tract. 43). Tradit autem evangelista valde accuratam ea de re narrationem, singulas conditiones diligentissime describens, ut ipsa narrandi forma veritas rei eluceat. Eam aliqui in dubium vocarunt quia synoptici de ea re nihil referant. Sed praeprimis oportuit attendere, synopticos in eo potissimum versari, ut quae in Galilaea gesta sunt enarrent; de rebus in urbe gestis ea solum tangunt, quae in ultima hebdomada vitae Domini contigerunt. Etiam Lucas qui trium itinerum in urbem mentionem facit, tamen de rebus in urbe gestis silet. Insuper synoptici iam retulerant Christum mortuos quoque ad vitam revocasse (Matth. 9,25. Marc. 5,41. Luc. 7,14; 8,54); nullatenus autem id prae se ferunt se velle omnia Christi facta litteris consignare, ex variis generibus miraculorum unum alterumve memoriae produnt. Unde haec omissio non potest esse offensioni. Quanti autem momenti sit hoc miraculum ad ipsam evangelicam historiam, indicatur v. 4 et v. 47 seq.; est enim maxima quaedam glorificatio Christi et, uti saepius iam advertimus, quo maior lux synedristis affulget manifestatione Iesu, eo maiore caligine involvuntur; hoc miraculo patrato Pontifex cum synedristis decernit Christum esse propediem interficiendum.

Ad aegrotationem Lazari advertunt *Chr. Thom.* aliique, quomodo amici Dei quoque variis modis affligantur; v. 1 *erat autem quidam languens Lazarus a Bethania,* cf. v. 18, *de castello* ἐκ τῆς κώμης de vico, pago *Mariae et Marthae sororis eius* αὐτῆς i. e. Mariae; dicitur Betha-

nia pagus earum, quia ibi stabile domicilium habebant, eodem modo quo 1,44 Bethsaida civitas Andreae et Petri dicitur; quare illa aliquorum quaestio fuerintne dominae pagi non erat ponenda. De hisce sororibus ita loquitur, ut eas iam notas esse supponat; sunt autem notae ex Luc. 10,38-42. Lazarus, לעזר etiam in talmude, forma brevior pro אלעזר Eleazar (Deus opem fert); nomen Marthae מרתא quoque occurrit frequentissime apud talmudicos (*Lightfoot,* Horae hebr. ad h. l.). Priore loco nominat Mariam quia haec in evangelii historia prae Martha celebris erat, uti statim indicatur v. 2 *Maria autem erat quae unxit Dominum unguento et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur,* ἡ ἀλείψασα; attende hic modum loquendi qui apud evangelistam deprehenditur; 6,72 dicit de Iuda οὗτος ἔμελλεν παραδιδόναι αὐτόν quia eo tempore de quo ibi scribit traditio erat futura, 7,50 Νικόδημος ὁ ἐλθὼν πρὸς αὐτόν quia eo tempore hoc iam erat factum et eodem modo 18,14 ὁ συμβουλεύσας (cf. 11,49) et 21,20 ὅς καὶ ἀνέπεσεν, quia iam antea contigerat. Quare eodem modo ἡ ἀλείψασα videtur referri debere, non ad unctionem eo tempore de quo nunc scribit futuram, sed praeteritam, et proin ad Luc. 7,37 etc., ita ut nobis patefaciat Ioannes nomen illius mulieris quod Lucas tacuit. Ita rem considerat *Aug.* : « hoc dicens Ioannes attestatur Lucae; iam itaque hoc Maria *fecerat* » (de consensu ev. 2,79 n. 154; *M.* 34,1155) et eodem modo rem concipiunt *Barh. Rup. Cai. Tol. Mald. Sa, Lap. Bar. Nat. Corl. Schg.;* alii ea locutione anticipari ac designari censent unctionem, de qua mox 12,3 narraturus est (*Theod. M. Thom. Calm. Schz. Fil. Weiss, Keil*). Verum prior sententia videtur praeferenda. Nam evangelista certe vult aliquid litteris consignare quod ii quibus scribit ignorabant. Iam unctionem illam 12,2 statim subdit ibique Mariam ita designat ut ignorari nequeat. Quare haec unctio et ungens omnibus innotuit Quae autem unxisset Luc. 7,37, ignotum erat. Cur itaque anticipando scribat, non est ratio; est autem cur ad eventum iam alias notum addat, quod ab aliis ignorabatur (cf. *Schg.*).

Atque merito dicit *Bar.* : « quorsum enim id anticiparet cap. 11, quod mox litteris erat commendaturus? indicare ergo voluit unctionem illam cuius Lucas meminit, quaeque fuerat celeberrima » et bene quoque *Cai.* : « non dicit : quae postea unxit aut quae unctura erat, sed *unxit,* ut intelligamus Mariam fuisse illam quae unxerat. Et si huic descriptioni iunxerimus quod descriptio communiter fit a notioribus et quod nulla alia invenitur de qua verum fuerit tunc quod unxit pedes Iesu, apparebit quod illam esse dicit Mariam, quae Luc. 7 sine nomine describitur unxisse pedes Domini; imo ex industria Ioannes qui legerat evangelium Lucae explanat hanc esse illam. Attestatur huic sensui non solum quod planus ac suavis est iuxta

litteram, sed etiam mos huius evangelistae qui eodem modo a praeteritis actionibus describit tam Caipham quam Nicodemum inferius. Nec quadrat anticipative dictum hoc fuisse ab evangelista, eo quod anticipatio habet locum, quando non narratur res gesta in suo loco aut occasio praeoccupandi urget; in proposito autem hicmet evangelista narrat in proprio tempore subsecutam unctionem et nulla sese obtulit occasio praeoccupandi futuram unctionem, uti patet. Extorqueri igitur videtur littera huiusmodi anticipatione ». Et *Tol.* similiter.

Mariam esse illam de qua Luc. 7, existimare debent ii quoque qui apud evangelistas de *una* tantum unctione narrari putant, qui utique error sat magnus est (vide quae dixi in Comment Luc. p. 270). Ita iam Origenes refert : multi existimant de una eademque muliere quattuor evangelistas exposuisse; ita Eusebius, cuius canones unam solum unctionem admittunt, Ephraem, Apolinarius, Theod. M., in concordia Ammonii dicta, inventa a Victore Capuano; Mariam designant tamquam peccatricem illam Tertullianus, Andreas Cretensis, Paulinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius M., Petrus Chrysologus (cf. de Pudicitia c. 11, *M.* gr. 97,984; *M.* lat. 61,279. 25,817; Ambr. t. 1 in Luc. p. 1387. 1539; de Poenit. 2,7,62; Chrysolog. serm. 93; vide *Corl.* p. 274 seq.). Affert *Alb.* utramque sententiam, esse Mariam illam peccatricem et non esse (quod ultimum censent *Chr. Theoph. Salm. Patr.*) et concludit : nec est magnum, si de nominibus et qualitatibus personarum diversa sentiunt doctores.

Iesu benignitatem et familiaritatem iam expertae (Luc. 10,38) v. 3 *miserunt ergo* (scil. ob infirmitatem v. 2) *sorores eius ad eum dicentes* (per nuntios) : *Domine, ecce quem amas infirmatur;* « non dixerunt : veni; amanti enim tantummodo nuntiandum fuit; sufficit ut noveris; non enim amas et deseris » (*Aug.*); amanti enim satis erat nuntiasse; non rogaverunt ut veniret et sanaret languidum (*Rup.*); v. 4 *audiens autem Iesus dixit* (*eis*) : *infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam;* haec dicta esse ad nuntios, ut referrentur sororibus censent *Chr. Cai. Tol. Schz.*, negat *Cyr.;* ita loquitur Iesus ut ostendat infirmitatem sibi iam antea notam fuisse; non esse ad mortem scil. eo modo quo ceteroquin infirmitas ad mortem esse soleat; Lazarus enim erat moriturus ita ut mox sit ad vitam rediturus, non mansurus in morte. Quare mortem eius somnum vocat (cf. Matth. 9,24). Neque enim, ut *Tol.* notat, ipsa mors erat ad mortem; mors enim animam a corpore separat et compositum dissolvit et finem imponit vitae huius saeculi; prius quidem, non alterum in Lazaro evenit. Non assignat causam naturalem infirmitatis, sed dicit ad quid providentia divina dirigatur : ὑπὲρ τῆς δόξης ut scil. gloria Dei manifestetur et insigni modo patefiat (cf. *Thom.*); et qua ratione haec gloria reveletur, declaratur, dum explicatius additur, *ut*

glorificetur Filius Dei per eam scil. infirmitatem, eius occasione, qua naturali sua vi mortem affert quam ipse vincit. Deus Pater itaque gloriae suae manifestationem ita vult in ea infirmitate, ut ista reluceat et proinde etiam agnoscatur et celebretur ab hominibus in gloria Filii. Modus itaque manifestationis gloriae Dei habetur in gloria Filii (*Cai. Tol. Ians. Bar.*): unam eandemque gloriam Patris et Filii hisce enuntiari et Filium declarari Deum *Chr. Cyr. Theoph. Euth. Aug. Cai. Ians. Mald. Bar.* docent. Haec gloria cernitur in resuscitatione eius qui iam quatriduanus in sepulcro coepit corrumpi; unde Iesus ex Patris voluntate qui illam manifestationem voluit, mansit trans Iordanem, donec tempus illud compleretur. Si ea verba nuntiabantur sororibus, certe erant consolationi; at simul magna probatio pro iis exsistebat ipsa Lazari mors, quae verbis contraria accidisse videbatur.

Uti in v. 2, ita hic adnotat evangelista, quae scire, uti gratum est, ita quoque utile ad rem gestam melius intelligendam v. 5 *diligebat autem Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum*, ἠγάπα optime ea voce utitur evangelista, non φιλεῖν amare, quod inclinationem sensu concitatam adsignificat. Cur haec mentio dilectionis inseratur, quaerunt. Aliqui referunt ad v. 3, ut id quasi compleatur quod dictum est: quem amas. Melius ad subsequentia pertinet, ut illud *ergo* in v. 6 quoque indicat. Sunt qui putent suspicionem lectoris occupare voluisse, ne quis putet ob defectum dilectionis non statim Iesum se contulisse ad sanandum Lazarum (*Tol. Ians.*). At melius cum *Mald. Lap.* arctiusque ad sequentia spectat et significat Iesum accepto nuntio plane menti et animo infixisse morbum, eum non potuisse oblivisci eorum quos diligebat, ideoque tempore a Patre pro maiore gloria statuto se libentissime accinxisse ad opem ferendam; v. 6 *ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus;* mansit « ut exspiraret ille et sepeliretur; ne quis diceret : nondum defunctum suscitavit; sopitus tantum erat » (*Chr.*). Videtur Lazarus eo die mortuus esse quo nuntius Iesu allatus est. Eo enim accepto mansit in eodem loco duobus diebus; tertio die iter in Bethaniam peragit; adveniens audit Lazarum quartum ante diem obiisse (*Patr.* cf. *Thom. Schg.*); v. 7 *deinde post haec dixit discipulis suis : eamus in Iudaeam iterum;* cum Iesus dixisset infirmitatem non esse ad mortem et mansisset in eodem loco per duos dies, nunc discipuli eo magis mirantur; unde v. 8 *dicunt ei discipuli : rabbi, nunc* i. e. modo, nuperrime, cum emphasi periculum praesens efferre volunt, *quaerebant te Iudaei lapidare* (10.31) *et iterum vadis illuc?* « videte quemadmodum discipuli territi fuerint » (*Aug.*).

Iesus autem illis declarat sermone parabolico se ante tempus consti-

tutum nihil a Iudaeis perpessurum; superno enim consilio se pati, vel non pati sicut a praesentia vel absentia lucis dependet, ut homines videant aut non videant (*Apolin.* in cat. Cord.) v. 9 *respondit Iesus : nonne duodecim sunt horae diei?* a solis ortu ad occasum numerabantur horae duodecim, variae duratione secundum varium anni tempus; *si quis ambulaverit in die*, etiamsi in ultima hora, *non offendit, quia lucem huius mundi videt,* v. 13 *si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo;* per diem ambulare tutum est (*Rup.*); unde quamdiu pro me dies est, quamdiu consilio divino et mea voluntate mihi vivendum est, nihil a parte adversariorum timendum, etsi insidias moliantur; nam quamdiu lux adest, offendiculum videri potest et evitari, ne qui ambulat, in illud impingat. Nocte utique in obstaculum offendit pede; ita Iesus etiam tempore passionis et mortis se tradit potestati adversariorum; vitae suae tempore praeterito iam non evitat periculum sibi instans, sicut qui in nocte incedit, *offendit* pede, *quia lux non est in eo*, solis lux cessavit, ipse non habet in se lucem qua viam sibi lucidam reddat; nam homo non est sibi ipsi fons quasi et causa luminis. « Sicut itaque lux diei non deficiet, nisi prius constitutum tempus impleverit, ita fieri nequit, ut meum lumen a Iudaeis tollatur aut obscuretur, priusquam ad convenientem ac debitum humanitatis modum devenerit » (*Cyr.*). Discipuli de periculo Iesu instanti loquuntur. Ad hoc ergo respondetur. De *suo* periculo nihil innuunt. Quare non opus est explicare : ego sum dies, lux; quamdiu vobiscum sum, tuti eritis, non offendetis; me autem ablato, utique offendetis periculo expositi (*Chr. Cyr. Rup.*). Sufficit explicatio prior (cf. *Tol. Mald. Patr. Corl. Schz.*). Varias interpretationes vide apud *Ians. Lap. Bar.*, quas referre opus non est.

Ita discipulorum quasi obiectione remota aperit eis cur in regionem Iudaeae ex Peraea iturus sit v. 11 *haec ait et post haec dixit eis : Lazarus amicus noster dormit* κεκοίμηται dormivit et somno sopitus tenetur, *sed vado ut a somno excitem eum;* discipuli non attendisse videntur nisi prius sermonis membrum et solum verbi sonum; et desiderio capti ne Dominus iterum vadat in Iudaeam, statim monent iam non opus esse ad eum sanandum ut iter illud aggrediatur v. 12 *dixerunt ergo discipuli eius : Domine, si dormit, salvus erit;* « solet enim esse somnus aegrotantium salutis indicium » (*Aug.*); nihil igitur adesse periculi, verum spem recuperandae salutis; atque ideo non esse rationem, ut periculo Iesus se inserat (*Rup.*) et ita Iesum ab itinere impedire student (*Chr. Thom.* etc.). Una illa cogitatione v. 8 expressa defixi discipuli non percipiunt, quod planissimum tamen erat, Iesum non posse loqui de somno; alterum membrum prae illa praeoccupatione quasi non au-

diunt. Alias enim debuerunt videre, neminem iter tam longum instituere (sedecim circiter millium, censet *Patr.;* sed *ubi* Iesus fuerit in Peraea, tam accurate nescimus), ut aliquem e somno excitet! v. 13 *dixerat autem Iesus de morte eius;* cf. Matth. 9,24; inde quoque mortui dicuntur οἱ κοιμώμενοι, κεκοιμημένοι, κοιμηθέντες (Matth. 27,52, 1 Cor. 15,20, 1 Thess. 4,13 seq.); *illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret;* unde vix stare potest, eos excitationem e somno intellexisse de sanatione *perfecta* quam vellet efficere. Num itaque accusandi sint nimiae hebetudinis? minime opus est. Tene eos uni illi cogitationi v. 8 infixos haerere, neque responsum adeo stultum iudicabis, sed explicatu facile.

Neque Iesus, uti alias, eos de tarditate reprehendit v. 14 *tunc ergo Iesus dixit eis manifeste* παρρησίᾳ, ita ut nihil iam retineatur, dissimuletur, reticeatur : *Lazarus mortuus est;* qua voce discipuli sane obstupuerunt; audierant enim : infirmitas haec non est ad mortem (v. 4). Quare Christus statim significat sibi nihil inopinato accidisse, verum id quod voluerit et de quo laetandum sibi sit v. 15 *et gaudeo propter vos ut credatis*, ut amplius robustiusque credatis (*Aug.*); proin fidem discipulorum auctum iri dicit occasione absentiae Christi, *quoniam non eram ibi*, « ut ideo credatis quia ibi non eram, quod credituri non eratis, si ibi fuissem; nam si ibi fuisset, aut misericordia aut precibus sororum victus vel a morbo sanasset vel recens mortuum suscitasset, non ferens tam diuturnum sororum luctum; cum autem ibi non fuisset, necesse fuit iam mortuum, iam sepultum, iam quatriduanum fetentemque suscitare, quod eo magis discipulorum fidem auxit, quo maius miraculum fuit » (*Mald.* sim. *Theod. M.* in cat. Cord.). Plerumque illud *quoniam non eram ibi* referunt ad *gaudeo :* gaudeo propter vos quod non eram ibi, quia si fuissem ibi eum sanassem (cf. *Cyr. Rup. Thom. Ians. Tol. Lap. Schg. Schz. Fil.*). Designat itaque fructum qui ex illa manifestatione gloriae Dei v. 4 exoriturus est; *sed eamus ad eum;* nunc ex voluntate Patris, ut glorificetur Filius, praesentia eius opus est.

Thomas autem timorem illum propter Iudaeos qui lapidaturi sint Iesum excutere non valet. Verba Christi in v. 9. 10 non intellexit, neque recordatur illorum 10,18, neque memor est pro sua in fide tarditate quoties Christus iam insidias Iudaeorum eluserit; quare et se et alios alloquitur adhortans, ut quia Iesum retinere non possent cum eo obviam eant morti v. 16 *dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus* תאם (cf. Gen. 38,27, Cant. 4,5; 7, 4) explicatur voce graeca δίδυμος, gemellus, quo nomine graeco inter Hellenistas notus erat et apud ethnicochristianos, *ad condiscipulos : eamus et nos ut moriamur cum eo;*

eum aliqui accusant timiditatis nimiae et infidelitatis (cf. *Chr. Theoph. Salm. Ians.*); melius de eo iudicat *Cyr.* eum ostendere promptam voluntatem, sed et timiditatem, animum Dei amantem, sed modicam fidem; *Ammonius :* « bonum quidem, inquit, esset, si nobis credens hic permaneret et inimicorum insidias declinaret; verum cum omnino illi statutum sit eo ire, comitemur et nos; melius enim nobis est ipsi morienti commori, quam propriae vitae consulendo a magistro derelinqui » (cat. Cord.). Ita pariter eum fidelem discipulum laudat *Origenes* (cat. Cord.), eum laudat *Rup.* quia vitam imperio et voluntati Domini postposuerit et hunc animum ab ipso Domino collaudari censet, cum postea dixerit : vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis (Luc. 22,28). Ea verba esse magni fervoris impavidique animi ait *Cai.*, ex fortitudine profecta ea reputat *Bon.*, ea esse amoris et ardoris *Bar.* censet, ad amorem et fortitudinem, sed ad imperfectam fidem *Tol.* ea refert; verbis indicari hominem audacem, amorem procul dubio magnum iudicat *Mald.*, qui etiam ea non ad fidei defectum spectare vult, sed proferri quia sermonem Christi parabolicum non satis intellexerit, et putat *Mald.* evangelistam voluisse eius erga Iesum caritatem laudare, cuius incredulitatem postea erat reprehensurus.

c) **Iesus solatur sorores 11,17-37.**

11,17. Venit itaque Iesus, et invenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim). 19. Multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. 22. Sed et nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Iesus : Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die.

25. Dixit ei Iesus : Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : 26. Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum. Credis hoc? 27. Ait illi : Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus

11, 17. Ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς εὗρεν αὐτὸν τέσσαρας ἤδη ἡμέρας ἔχοντα ἐν τῷ μνημείῳ. 18. ἦν δὲ Βηθανία ἐγγὺς τῶν Ἱεροσολύμων, ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε· 19. πολλοὶ δὲ ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθεισαν πρὸς τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαμ, ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς περὶ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτῶν. 20. Ἡ οὖν Μάρθα ὡς ἤκουσεν ὅτι Ἰησοῦς ἔρχεται, ὑπήντησεν αὐτῷ· Μαρία δὲ ἐν τῷ οἴκῳ ἐκαθέζετο. 21. εἶπεν οὖν ἡ Μάρθα πρὸς Ἰησοῦν, (Κύριε) εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἂν ἀπέθανεν ὁ ἀδελφός μου. 22. καὶ νῦν οἶδα ὅτι ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, δώσει σοι ὁ Θεός. 23. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. 24. λέγει αὐτῷ ἡ Μάρθα, Οἶδα ὅτι ἀναστήσεται, ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ.

25. εἶπεν αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· 26. καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. πιστεύεις τοῦτο; 27. λέγει αὐτῷ,

filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

28. Et quum haec dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. 29. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. 30. Nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. 31. Iudaei ergo qui erant cum ea in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, quum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

33. Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Iudaeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit se ipsum. 34. Et dixit : Ubi posuistis eum? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. 35. Et lacrymatus est Iesus. 36. Dixerunt ergo Iudaei : Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?

Ναὶ, κύριε· ἐγὼ πεπίστευκα, ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος.

28. Καὶ ταῦτα εἰποῦσα ἀπῆλθεν καὶ ἐφώνησεν Μαρίαμ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς λάθρα, εἴπασα, Ὁ διδάσκαλος πάρεστιν καὶ φωνεῖ σε. 29. ἐκείνη δὲ ὡς ἤκουσεν, ἠγέρθη ταχὺ καὶ ἤρχετο πρὸς αὐτόν. 30. οὔπω δὲ ἐληλύθει ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν κώμην, ἀλλ' ἦν ἔτι ἐν τῷ τόπῳ ὅπου ὑπήντησεν αὐτῷ ἡ Μάρθα. 31. οἱ οὖν Ἰουδαῖοι οἱ ὄντες μετ' αὐτῆς ἐν τῇ οἰκίᾳ καὶ παραμυθούμενοι αὐτὴν, ἰδόντες τὴν Μαρίαμ ὅτι ταχέως ἀνέστη καὶ ἐξῆλθεν, ἠκολούθησαν αὐτῇ, δόξαντες, ὅτι ὑπάγει εἰς τὸ μνημεῖον, ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ. 32. ἡ οὖν Μαρίαμ ὡς ἦλθεν ὅπου ἦν Ἰησοῦς, ἰδοῦσα αὐτὸν, ἔπεσεν αὐτοῦ πρὸς τοὺς πόδας λέγουσα αὐτῷ, Κύριε, εἰ ἦς ὧδε, οὐκ ἄν μου ἀπέθανεν ὁ ἀδελφός.

33. Ἰησοῦς οὖν ὡς εἶδεν αὐτὴν κλαίουσαν, καὶ τοὺς συνελθόντας αὐτῇ Ἰουδαίους κλαίοντας, ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν, 34. καὶ εἶπεν, Ποῦ τεθείκατε αὐτόν; λέγουσιν αὐτῷ, Κύριε, ἔρχου καὶ ἴδε. 35. ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. 36. Ἔλεγον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι, Ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν. 37. τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν εἶπαν, Οὐκ ἠδύνατο οὗτος, ὁ ἀνοίξας τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ, ποιῆσαι ἵνα καὶ οὗτος μὴ ἀποθάνῃ;

In v. 17 sin et quando Iesus venit in Bethaniam, uti add ℵ$^{c\,b}$ A^2 D X Λ aliq minusc syr (sch, hr) aeth. In v. 19 προς τας περι Μαρθαν A C^3 Γ Δ Λ Π unc 7 al pler Ti; προς την ℵ B C* L X W H; sin venerunt in Bethaniam ut consolarentur (loquerentur ad cor) M. et Mariam. In v. 25 om sin et vita. In v. 27 filius Dei *vivi* eg tol wil* steph sixt ff^2 Victorin; sin qui venturus est. In v. 28 sin ibat tacite, vocavit Mariam; v. 29 et prompte ivit; v. 31 et hi qui loquebantur ad cor Mariae cum viderent eam ita obstupuisse et esse egressam secuti sunt eam; v. 32 et Maria quando venit ad Iesum cecidit ad pedes eius. In v. 33 pler codd vulg fremuit. In v. 36 sin et cum viderent Iudaei, dicebant; v. 37 qui erat caecus ex ventre matris; cav hub steph sixt caeci nati; pler codd ut *et* hic non moreretur Wordsw.

Si Lazarus eo die quo nuntius de morbo ad Iesum allatus est, obiit et sepultus est, facile cernitur quomodo Iesus eum invenerit quatriduanum in sepulcro; mansit enim nuntio accepto per duos dies in eodem loco; dein, ergo die tertio discipulis loquitur, iter instituit vel eodem die vel die quarto. Verum aliter res erit consideranda, si quod v. 4 dixit per nuntium sororibus erat renuntiandum. Tunc enim videtur esse conveniens, ut ista verba iis referantur Lazaro non iam mor-

tuo. Unde aliqui censent tum demum Lazarum obiisse quando Christus de eius morte mentionem faciebat apud discipulos v. 7; tum utique iter illud valde lente peregit (*Cai. Bar. Calm.*) et quattuor dies more iudaico erunt computandi similiter sicut tres dies Iesu in sepulcro. Priore modo rem *Chr. Euth.* aliique proponunt; v. 17 *venit itaque Iesus et invenit eum quattuor dies iam in monumento habentem;* de locutione cf. 5,5; cum de eo dicatur : iam fetet v. 39, isti quattuor dies sensu obvio erunt retinendi neque coarctandi secundum regulam : quaelibet pars diei pro die computatur. Miraculum quoque resuscitationis eo magis aptum ad admirationem fidemque generandam est, quo certius de ipsa corruptione iam incepta constat.

Ex v. 4 debuit hoc miraculum fieri celeberrimum. Ad quod aptus erat ipse vicus prope urbem v. 18 *erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim,* ad orientalem partem montis oliveti; stadium est octava pars milliarii romani cf. 6,19; 15 stadia fere 3 kilom.; ἀπὸ σταδίων, constructio est ex usu serioris graecitatis similis ei quae apud Latinos reperitur, v. g. Fabius cum a quingentis fere passibus castra posuisset (Livius 24,46; *Winer* 61,5). Hoc autem notatur, ut quod sequitur explicetur v. 19 *multi autem ex Iudaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo;* πρὸς τὰς περὶ M. notat *Euth.* τουτέστι πρὸς Μάρθαν καὶ M; καὶ τοῦτο γὰρ ἰδίωμα τοῦ λόγου. Familia Lazari itaque inter nobiliores numerabatur; nota erat in vicina urbe; « ergo et miraculum testes habuit multos, insignes, eruditos, non credulos, et contrariis in Iesum praeiudiciis occupatos; quae omnia concurrunt ad summam testimonii credulitatem stabiliendam » (*Corl.*). Luctus de mortuo instituebatur per dies septem (cf. Gen. 50,10. 1 Reg. 31,13. Iudith 16,29 et Eccli. 22,13 : luctus mortui septem dies) uti *Iosephus* quoque testatur : Archelaus autem luctum dierum septem in honorem patris instituit; tot enim dies postulat patria consuetudo (Antiq. 17,8,4). Et tres primi dies secundum rabbinos fletui destinabantur, reliqui luctui et per triginta dies lotio vestium et tonsura intermittebatur (*Lightfoot,* Hor. hebr. ad h. l.). Inde fortasse mos ille ortus apud christianos die 3. 7. 30 missam offerre pro defuncto. Vult *Aug.* quoque prohiberi christianos ne luctum novem dierum celebrent, quod apud Latinos novendial appellant; numerum enim hunc esse in gentilium consuetudine; septimum vero diem auctoritatem habere in scripturis (Quaest. 172 in Genes.; cf. *Schg. Schz.*). Cum Martha hic priore loco nominetur, quasi domina domus et administra designari videtur; idcirco prior adventus Domini nuntium audire potuit (*Tol. Mald.*), et forte domo egressa erat alicuius negotii causa, quando ei, ut capiti familiae, nuntius de adventu perferebatur

Mald. v. 20 Martha ergo ut audivit quia Iesus venit, occurrit illi; Maria autem domi sedebat; Marthae [illegible] est: sic [illegible] [illegible]; postquam autem Christum [illegible], tunc abiit et Mariam [illegible] (Cyr.). v. 21 dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; cf. v. 32: id statim proloquitur quod sorores inter se saepe tempore morbi et post mortem agitaverant. Optaverant quam maxime, ut veniret; id certe speraverant; obstupescebant de mora; atque inter se conquerebantur: «haec querela ut modesta, ut simplex, ut nativa, ut apta praesenti animi affectui exprimendo, ut animam ipsam referens» (Patr.). Neque est reprehensio, sed significatio doloris: «non ausa est conqueri, cur non fuisset hic vel cur non venisset mox, ut ei nuntiatum est; sed reverentiam Domino servans et dilectionem laedere cavens tantum humili fide in confractione cordis potentiam confitetur amantis» (Rup.). Haud immerito tamen advertunt in hac ipsa confessione fidei illam fateri fidem suam imperfectam; non ei in mentem venit Iesum potuisse absentem quoque sanare si voluisset (cf. Thom. Tol. Ians. Mald.). Valet hic quoque: non inveni tantam fidem in Israel (Matth. 8,10). At verba etiam ita concipi possunt, ut ab hac imperfectione fidei absolvatur. Potest enim hoc solum dicere velle Martha: si hic fuisses, nostris precibus et obtestationibus pro tua clementia non potuisses resistere; certe a te impetrassemus sanationem fratris; nobis non negasses quod tot aliis liberalissime concessisti! Ita sane non negat eum potuisse absentem sanare; et eo modo potuit loqui, etsi certissime crederet praesentiam eius non esse necessariam.

Fidem suam et fiduciam de Christi potentia quae ultra mortem quoque extenditur aperte enuntiat v. 22 *sed et nunc scio* (nunc etiam nunc, morte fratris facta, fratre iam sepulto), *quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus*; audierat profecto Martha de suscitatione mortuorum a Christo effecta: nam de illa apud Naim testatur Lucas: *exiit hic sermo in universam Iudaeam et in omnem circa regionem* (Luc. 7,17; cf. Matth. 9,26) et cum Christus discipulis Ioannis dicat: *mortui resurgunt*, plura eiusmodi miracula iam edidisse videtur. Proinde mirum esset, si Martha hisce verbis non suum insinuaret desiderium et petitionem, ut fratrem quoque suscitaret, sicut alios ad vitam revocavit. Non petit directe et immediate: «non fuit ausa petere tam magnum quid; sed suam fidem exprimendo insinuavit desiderium» (Bon. et Cyr. ait: dicere: quidquid poposceris a Deo dabit, erubescentis est petere aperte quod velit, et Aug.: non dixit: sed et modo rogo te ut resuscites fratrem meum; hoc tantum dixit: scio

quia potes; si vis, facis; utrum enim facias, iudicii tui est, non praesumptionis meae. Quam spem etiam concipere poterat, si verba Christi v. 4 ei fuerint relata, quamvis appareat quoque spem illam haud fuisse firmam (v. 40; *Corl.*). Martham hisce verbis non petere suscitationem fratris, censent *Euth. Cai. Schg.;* at merito plerique tenent talem petitionem insinuari (*Tol. Mald. Ians. Bar. Lap. Calm. Nat. Schz. Fil.*); quid enim aliud verba illa in conditione prolata sonarent? Sed iure etiam notant in iis imperfectam fidem; « credebant utique ambae sorores in Christum, sed non ut par erat; nondum enim perfecte sciebant nec quod Deus esset neque quod sua potestate et auctoritate haec faceret; loquuntur quasi de virtute praedito et conspicuo » (*Chr.*), quasi de maximo quodam propheta et Dei amico qui petendo a Deo possit cuncta impetrare (cf. *Cyr. Alb. Thom. Cai. Salm. Ians. Tol. Mald. Bar. Calm. Corl. Schz.*).

Profectus autem instructionis Marthae ponitur cum addit (*Thom.*) v. 23 *dicit illi Iesus : resurget frater tuus;* non dicit quando resurrecturus sit, neque dicit se a Deo petere velle, ut resurgat; quare Martha verba haec non potuit considerare quasi suo desiderio faventia; « parum anhelanti et ad misericordiae fontem in magna siti suspiranti, parum, inquam, dictum est » (*Rup.*); v. 24 *dicit ei Martha : scio quia resurget in resurrectione in novissimo die;* cf. Dan. 12,2; « dicis, Domine, fratrem resurrecturum; id ego iam scio; sed ego vellem, ut tuis ille precibus nunc resurgeret » (*Bar.*). Ostendit responsione sua *scio*, se aliud responsum exspectasse et simul indicat tali asseveratione *scio*, se vix sibi persuadere posse Christum nihil aliud solatii velle praestare. Eius mentem hisce verbis expressam bene delineare videtur *Mald.* : mihi artificium videtur esse quo elicere ex Christo voluit an fratrem suum suscitare constituisset; probabile enim ac simile prorsus veri est aliquam de fratris suscitatione spem animo concepisse; voluisse igitur certo cognoscere, an de sola resurrectione in ultimo die loqueretur; quare ita loquitur, ut appareat ea resurrectione nullum privatum sibi aut fratri conferri beneficium. Similiter verba concipit *Rup.* : « dubia soror et ad cognoscendam voluntatem miserantis festinans et intendens proficiscitur »; vult enim Iesum inducere, ut aperte loquatur (*Lap. Patr. Schz. Fil.*).

Iesus ita respondet, ut fidem Marthae perfectiorem reddere studeat; v. 25 *dixit ei Iesus : ego sum resurrectio et vita;* iam qui *talis* est, non habet opus ut a Deo petat suscitationem; is enim propria et innata virtute habet, unde omnibus vitam largiatur et resurrectionem tribuat. Locutio est causalis; quasi dicat : ego sum resurrectionis causa : totum hoc quod resurgent, totum hoc quod vivunt, totum igi-

tur in animabus et corporibus, per me erit (*Thom.*); *ego sum*, ergo non precario, non aliena virtute, sed per me sum; et significat non solum se posse suscitare, sed neminem alium posse nisi se aut per se; nemo enim potest resurgere, nisi per resurrectionem, nemo vivere nisi per vitam (*Mald.*). Unde Christus Marthae insinuat, ut ait *Aug.*: dicis : resurget frater meus in novissimo die; verum est; sed per quem tunc resurget, potest et modo, quia ego sum resurrectio. Enuntiat itaque Christus virtutem suam ac potestatem; dein subdit potestatis effectum (*Thom.*); *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit* corpore scil. ut plerique concipiunt; de morte animae explicant *Rup. Patr.*; sed de tali morte peccati, hic cum de resurrectione mortuorum agatur, sermo esse nequit, *vivet* iterum scil. per resurrectionem; hisce declarat quod dixerat : ego sum resurrectio. Dein declarat alterum : ego sum vita v. 26 *et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum*, « etsi morietur ad tempus propter mortem carnis, non morietur in aeternum propter vitam spiritus et immortalitatem resurrectionis » (*Aug.*); nam haec est voluntas Patris mei, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam (cf. 6,40; *Thom.*).

Exposcit fidem, ut eam perficiat (*Thom.*), *credis hoc?* v. 27 *ait illi : utique, Domine, ego credidi*, πεπίστευκα fidem habui et haec fides perdurat manens, *quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti* ὁ ἐρχόμενος, cuius scil. est munus et destinatio, ut veniat in hunc mundum, qui est ὁ ἐρχόμενος ille qui venire debet. Profitetur Iesum Messiam et quidem cum emphasi, ναί, profecto, quae particula, ut *Mald.* ait, vehementer et cum admiratione affirmantis est, ita ut Martha indicet mirari se quod se Christus interroget, quasi de sua in ipsum fidem dubitet. Sed quo sensu dicit Messiam Filium Dei? Sunt qui naturam divinam ab ea exprimi censeant (*Thom. Bon. Mald. Salm. Lap.*); si hoc assumitur, tum oportet dicere cum *Lap.* eam a Iesu, cum se vocaret resurrectionem et vitam, esse interius illustratam et illuminatam, ut nunc in actum fidei perfectum erumperet. Verum id dici nequit. Nam Martha profitetur id quod antea iam credidit. Sed antea credidit quod in v. 22 enuntiat. Quare plerique recte existimant filium Dei hoc loco dici Messiam ob eximiam ipsius prae reliquis hominibus excellentiam (*Ians.*), filium Dei supra omnes prophetas et iustos (*Tol.* sim. *Cai. Bar. Schz. Fil.*). Responsum hoc ad interrogationem Iesu non satis congruere videtur. Unde *Chr.* putat eam verba Christi non intellexisse; « novit certe magnum esse quidpiam, sed totum non intellexit; ideo de alia re interrogata, de alia respondet »; facit igitur, cum verborum sensum non plene perceperit, actum fidei

quo Iesum confitetur Messiam, a Deo missum, cuius verbis proinde veritas non possit non inesse (*Corl.*). Ita eius confessionem intelligit *Aug.* : quando hoc credidi, credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita etc.

Advocat sororem v. 28 *et cum haec dixisset, abiit et vocavit Mariam sororem suam silentio*, λάθρα clam, « et perquam prudenter clam magistri adventum significavit neque surgendi causam dixit; alioquin multi recessissent; nunc autem illam omnes quasi ad luctum exeuntem sequuntur » (*Chr.*) et sic testium multitudo pro miraculo adest (*Theoph.*), *dicens : magister adest et vocat te;* potest dici cum *Cai.* ipsum Domini adventum esse quasi vocem qua Mariam quoque ad se venire iubeat; vel cum *Aug.* : evangelistam non dicere ubi vel quando Dominus Mariam vocaverit, ut hoc in verbis Marthae potius intelligatur narrationis brevitate servata; v. 29 *illa ut audivit, surgit cito et venit ad eum,* v. 30 *nondum enim venerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha;* cf. v. 20; attende quam accurate singula quaeque evangelista narret; ita quippe solet narrare qui ipse interfuit et omnia spectavit; v. 31 *Iudaei ergo qui erant cum ea in domo et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam dicentes : quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi;* vide, quae ad v. 28 dicta sunt.

Maria ferventior (θερμοτέρα) erat quam soror eius (*Chr.*) v. 32 *Maria ergo, cum venisset ubi erat Iesus, videns eum cecidit ad pedes eius et dicit ei : Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus;* cf. v. 21; « cecidit ad pedes Iesu, dolore fratris pariter et amore Christi saucia, breviterque locuta lingua conticuit; cetera lacrimis uberius peregit » (*Rup.*). Locum proprium Maria agnovit pedes Iesu et ita agnovit, ut caderet, tamquam impotens se continere iuxta pedes Iesu a quibus venia consecuta fuerat (*Cai.*). Communem et ipsa fundit querelam : utinam adfuisses! luctus nunquam domum nostram occupasset; v. 33 *Iesus ergo, ut vidit eam plorantem et Iudaeos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu et turbavit se ipsum,* ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι; verbum graecum significat irasci, indignari; comminari legitur Matth. 9,30 et Marc. 1,43; fremere (indignari) Marc. 14,5; τῷ πνεύματι certe idem dicit quod v. 38 habetur ἐν ἑαυτῷ : Iesus ergo rursum fremens in semetipso. Hunc animi affectum a Iesu sponte fuisse excitatum, etiam altero membro indicatur : ἐτάραξεν ἑαυτόν commovit seipsum. Omnes enim animi affectus et passiones in sua plenissima habebat potestate; exoriebantur quando volebat, neque apud eum, uti nobis accidit, voluntatem eius praeveniebant. Eum fuisse commotum miserationis affectu et ad hunc affectum sese excitasse, satis ipsis ver-

bis indicatur : videns enim omnes plorantes sese commovit, et hanc misericordiam et compassionem statim ipse lacrimis testatus est. Humanam enim exhibet naturam; solet quippé luctum humanus affectus excitare (*Chr.;* cf. *Bon. Alb. Corl.*). Sed ad commiserationem trahi quidem potest verbum alterum : turbavit, vel commovit se; difficilius autem prius, dummodo notio propria retineatur. Quaeri ergo debet, cur Iesus indignatus sit apud se videns lacrimas aliorum. Varie respondent : videns quam miseriam et ruinam mors efficiat, indignatur in mortem, in diabolum qui seductione sua mortem invexit, ob hominum peccata, quibus morti sunt obnoxii (cf. *Aug. Bed. Thom. Salm. Bar.*); indignatur « contra infidelitatem Iudaeorum, propter quam Lazarus mortuus et sororibus afflictionis causa data est; nam mors haec acciderat, ut filius Dei manifestaretur, quae manifestatio necessaria non erat, si Iudaei tot iam signis et miraculis conversi fuissent, nec Lazarus mortuus esset, si illi iam credidissent » (*Tol.*); indignatur propter id quod post miraculum futurum esse praevidit; ex hoc enim miraculo accepturi sunt occasionem ut eum in crucem agerent (*Rup. Lap. Bar. Schg.*). Non erit abs re neque alienum a Iesu dignitate multiplicem causam indignationis assumere, quae conspecta ruina mortis, viso dolore, praevisione habita malitiae Iudaeorum obversabatur animo eius.

Addi potest cum *Ians.* Christum se huiusmodi affectionibus humano more veluti excitasse ad aggrediendum arduum opus, ad expugnandam mortem et mortis imperatorem, diabolum, quemadmodum amicus aliquis videns dolorem amici commovetur indignatione ac fremit contra eum qui huiusmodi est auctor doloris et indignatione tali et fremitu excitatur et armatur contra illum, vindicare illum studens et doloris occasionem auferre. Huic intelligentiae, inquit *Ians.*, bene convenit quod Dominus fremendo et turbando seipsum, veluti iam accensus et fervens ad resuscitationem v. 34 *et dixit : ubi posuistis eum?* non ignorabat, ubi esset, qui absens mortuum esse novit (*Theod. M. Cyr. Tol.* etc.); quaerit, ut praesentes omnes magis attentos faciat ad id quod acturus est (*Rup.*) et ut occasione loci ostendendi multi moveantur ad comitandum, quo miraculum plurium testimonio innotesceret (*Ammon. Cyr.*); *dicunt ei : Domine, veni et vide.* Dum ad locum sepulcri pergunt, Iesus commiserationis affectum pandit v. 35 *et lacrimatus est Iesus*, δακρύειν lacrimas fundere in silentio, dum κλαίειν potius de ploratu cum clamore et eiulatu coniuncto dicitur. Aliorum dolore conspecto ipse quoque luget animum ostendens qui aliorum miseria et luctu commoveatur vehementer et magno dolore usque ad lacrimas corripiatur. Lacrimas fundit conspicatus hominem ad Dei

imaginem factum praedam esse mortis et non Lazarum solum flevit, sed miseratione tactus omnis humanae naturae (*Cyr.*). Praeterea monent hisce lacrimis nos doceri de modico luctu mortuis impendendo (cf. *Euth.*). Ostendit quoque eum quem lacrimis prosequitur vere esse mortuum; exhibet se illum sororesque singulariter dilexisse (*Mald.*). « Cur illi fletus, qui hunc mox excitaturus est? lacrimatur Iesus, ut vos doceat aliis condolere et diligere proximos; lacrimatur Iesus, ut doceat non verbis, sed factis flendum esse cum flentibus; lacrimatur Iesus, qui non erat fletus expers aut moveri nescius; lacrimari sustinuit nosque velut inhumanos edocuit; lacrimatur, ut dilectorum amor in ordine sit » (S. Hippolytus, in resurr. Lazari; *Pitra*, Analecta s. II p. 230).

Christum lacrimas fudisse amore Lazari commotum, merito Iudaei concludunt ex eo quia in via ad sepulcrum lacrimatur; v. 36 *dixerunt ergo Iudaei : ecce quomodo amabat eum;* quanti amoris signum sunt eius lacrimae? Alii videntes hanc magni amoris significationem mirantur, cur eum quem adeo amabat non a morte servaverit; v. 37 *quidam autem ex ipsis dixerunt : non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur?* agnoscunt miraculum in caeco nato 9,7 patratum; unde secum mirantur, quomodo hunc non potuerit servare, ac si dixissent : mirum est quod non potuit (*Cai. Tol. Bar. Lap. Schz.*); illos dubitando loqui *Bon.* ait; alii autem eos reprehendere Iesum, loqui animo offenso ut invidos, calumniari existimant (cf. *Chr. Cyr. Thom. Salm. Calm. Corl. Fil.*); utrumque *Ians.* proponit eos vel calumniari vel admirari. At non videtur probabile eos offenso in Iesum animo fuisse; nam ex verbis id necessario non colligitur; eo enim modo loqui solent qui de eventu aliquo mirantur, si v. g. qui magnum negotium perfecit in minore defecerit; hi erant amici familiae Lazari quam in Iesum bene affectam esse ignorare non poterant; unde iam probabile efficitur ipsos quoque non hostilem in Iesum animum gessisse; ipsi in luctu lacrimas fundunt, cur in Iesum qui una cum ipsis lacrimatur iam verborum iacula coniicere censendi essent? Neque odium in Iesum aliquorum saltem colligi necessario debet ex v. 46. Scimus ex 12,42 et ex principibus multos credidisse in eum, et multos ex viso miraculo fidem concepisse; quare omnino supponere licet eos qui ad familiam Iesu amicam consolandam venerint non fuisse ex adversariis Iesu.

d) **Iesus suscitat Lazarum 11,38-44.**

11,38. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat

11, 38. Ἰησοῦς οὖν, πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, ἔρχεται εἰς τὸ μνημεῖον. ἦν

autem spelunca; et lapis superpositus erat ei. 39. Ait Iesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat : Domine, iam fetet; quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Iesus : Nonne dixi tibi quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi; ut credant quia tu me misisti. 43. Haec quum dixisset, voce magna clamavit : Lazare, veni foras. 44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis; et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus : Solvite eum, et sinite abire.

δὲ σπήλαιον, καὶ λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. 39. λέγει ὁ Ἰησοῦς, Ἄρατε τὸν λίθον. λέγει αὐτῷ ἡ ἀδελφὴ τοῦ τετελευτηκότος Μάρθα, Κύριε, ἤδη ὄζει· τεταρταῖος γάρ ἐστι. 40. λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς, Οὐκ εἶπόν σοι, ὅτι ἐὰν πιστεύσῃς, ὄψῃ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ; 41. ἦραν οὖν τὸν λίθον. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἦρεν τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω, καὶ εἶπεν, Πάτερ, εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἤκουσάς μου. 42. ἐγὼ δὲ ᾔδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις· ἀλλὰ διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα εἶπον, ἵνα πιστεύσωσιν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. 43. καὶ ταῦτα εἰπὼν, φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασεν, Λάζαρε, δεῦρο ἔξω. 44. ἐξῆλθεν ὁ τεθνηκὼς, δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο. λέγει Ἰησοῦς αὐτοῖς, Λύσατε αὐτὸν, καὶ ἄφετε αὐτὸν ὑπάγειν.

In v. 38 sin om iterum; et sepulcrum erat excavatum sicut caverna et ostium eius erat opertum lapide; v. 39 dixit ei Martha : Domine cur auferunt lapidem? ecce fetet, quia sunt ei 4 dies; b c ff[2] r quadriduum enim habet. In v. 40 sin dixi tibi; 41 tunc viri illi qui stabant accesserunt, levaverunt lapidem, et elevavit oculos ad coelum, uti K Π al plus 10 εις τον ουρανον ανω, sursum ad coelum a. In v. 43 sin Lazare, egredere, veni foras; b r prodi. In v. 44 και ευθυς εξηλθεν D f sin.

Accedit Iesus ad expugnandam mortem : ero mors tua, o mors (Os. 13,14); unde denuo indignatione se quasi armat sese accingens ad opus, quod adversarios in odium letale et in caedem ipsius concitaturum est v. 38 *Iesus ergo rursum fremens in semetipso*, cf. v. 33, *venit ad monumentum; erat autem spelunca et lapis superpositus erat ei;* Iudaei cadavera condere solebant in cavernis, specubus natura vel arte factis (cf. Matth. 27,60. Marc. 5,3); ostium speluncae lapide advoluto claudebatur; ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ, videtur indicare speluncam in quam descendendum erat (uti *superpositus* quoque dicit), quamvis ἐπί etiam dicere possit, lapidem *ante* speluncam esse positum, ita ut recta via introitus patuerit. In sepulcrum Lazari quod hodie ostenditur, per 26 gradus descenditur. Prima eius mentio fit in Itinerario burdigalensi (an. 333) : inde (a monte oliveti) ad orientem passus mille quingentos et villa quae appellatur Bethania, ibi est crypta, ubi Lazarus positus fuit quem suscitavit Dominus (Tobler, Molinier, Itinera hieros. I p. 18 : Genevae 1879); v. 39 *ait Iesus : tollite lapidem; dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat : Domine, iam fetet; quatriduanus est enim,* cf. v. 17; ex subito impulsu horroris naturalis qui sponte exoritur omnem deliberationem praeveniens monet Martha

de cadavere iam corruptione incepta fetente idque concludit quia iam a quattuor diebus obiit. Nam quarto die incipere corruptionem communiter putabatur (*Edersheim* II p. 324). Cum adeo explicite addatur *soror eius...* quamvis Martha iam designata esset v. 1. 2. 21. 23, probabile est quod *Cyr.* habet, illud moneri ab ea sensu quodam pudoris; « properant enim mortuorum agnati corpora terra abscondere, priusquam male olere incipiant, reveriti vivos et ad infamiam iacentis pertinere, si quidam eum aversentur ». De resuscitatione iam non cogitat; neque id mirum est; nam Christus illi videbatur nullatenus eam promisisse; dein voce Christi *tollite lapidem* subito mens eius imagine putrescentis cadaveris ita percellitur, ut omnis alia cogitatio absorbeatur.

Iubet illos tollere lapidem, ut eum tollentes propriis sensibus et mortuum videant et eius fetorem sentiant oculisque ac sensibus tanti miraculi virtutem agnoscant (*Tol. Mald.*) et bene notant *Chr. Theoph. Euth.* omnes sensus in testimonium miraculi advocari. Iesus autem impetum Marthae cohibet et ad sublimiora eius revocat mentem v. 40 *dicit ei Iesus : nonne dixi tibi quoniam si credideris videbis gloriam Dei?* ubi hoc dixit? totidem verbis non legitur in antecedentibus. Quare censet *Tol.*, uti in v. 28, ita hic quoque narrationis brevitate verba commemorari, quae dicta quidem sed suo loco non sint relata. Alii implicite ea contineri putant in v. 25. 26 (*Thom. Mald. Patr. Schz.*); ad v. 4, cuius sententia per nuntium sororibus sit relata, *Rup.* recurrit. Fidem hisce verbis excitare studet et certe ea Christi suavi reprehensione Martha resipiscens ad eum animi sensum revocata est quem in v. 22. 27 pandit et integerrima fide plane Christo acquievit; v. 41 *tulerunt ergo lapidem; Iesus autem elevatis sursum oculis dixit : Pater, gratias ago tibi quia audisti me;* pro sua in omnes benignitate voluit et desideravit eximio miraculo suam probare missionem, quo facilius ad fidem pervenirent; gratias agit Patri quod huic desiderio annuit; v. 42 *ego autem sciebam quia semper me audis;* duos excludit errores quos ex v. 41 concipere possent : eum nescisse essetne audiendus a Patre quia ageret gratias de auditione, et eum non semper audiri a Patre, quia ageret gratias de re nunc praestita; prior error excluditur per *sciebam,* alter per *semper* (*Tol.*). Hoc miraculum eo quoque maxime commendatur, quia antequam patret ad id tamquam documentum suae missionis palam coram omnibus provocat; *sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti;* populi sui salutem ob oculos habet; haec vero salus fide in Christum concluditur (5,40; 6,40 seq. 8,24); amorem *populi* exhibet bonus pastor. Missio autem quam sibi attribuit et quam credendam proponit

non erat legati divini cuiuscumque vel prophetae, sed Filii a Patre, quocum unum se esse natura et potestate asseruerat (10,30), idque hoc loco quoque innuit Deum alloquens Patrem (*Corl.*).

Indicavit, cur acturus esset v. 43 *haec cum dixisset, voce magna clamavit*, ne quis adstantium ignorare posset, *Lazare, veni foras*, δεῦρο ἔξω huc (in hunc locum) foras! probat quod dixit : ego sum resurrectio et vita; dixit et facta sunt; iam ostendit verum esse quod dixerat : qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei v. 44 *et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes et manus institis*, κειρίαις fasciis, quibus membra linteo involuta ligabantur; singula quippe membra, brachia, pedes, linteis cum aromatibus circumvolvebantur et fasciis ligabantur, *et facies illius sudario erat ligata; dixit eis Iesus : solvite eum*, ut miraculum non solum videant, sed quasi manibus palpent et apertissime percipiant esse eundem quem mortuum ligarant et monumento incluserant; *et sinite abire*, ut ab omnibus videatur vivus et sanus. Sed abit, multitudini se subtrahit, ut pro novo vitae munere Deo agat gratias et beneficium acceptum tacita consideratione perpendat, prout pie meditari licet.

Solent veteres litterali explicationi adiungere symbolicam vel allegoricam. Pauca innuere satis erit. « Merito quis dixerit Mariam symbolum esse τῶν ἀπὸ ἐθνῶν,Ittham τῶν ἐκ περιτομῆς; fratrem vero earum a mortuis suscitatum eum innuere, qui ob aliqua peccata εἰς ᾅδου descenderit » (*Cyr. Orig.* in cat. Cord.). Comparatio quoque instituitur inter tres quos a Domino suscitatos legimus. Illis intelligi tria genera peccatorum; « quidam enim peccant per consensum peccati mortalis in corde et isti signantur per puellam mortuam in domo. Alii vero sunt qui per exteriora signa et actus peccant; et signantur per mortuum qui effertur extra portam. Sed quando per consuetudinem in peccato firmantur, tunc clauduntur in monumento. Et tamen Dominus omnes resuscitat. Sed illi qui per consensum solum peccant et mortaliter peccando moriuntur, facilius suscitantur. Et quia secretum est, ideo secreta emendatione curatur. Quando autem peccatum procedit extra, tunc publico indiget remedio ». Ita *Thom.* breviter complectitur, quae latius prosequitur *Aug.* tract. 49 n. 3. In qua applicatione mirum est Lazarum amicum Christi (v. 11) repraesentare peccatorem pessima peccandi consuetudine obduratum. Etiam *Salm.* in corporea Lazari suscitatione cerni ait « iuxta spiritum » spiritualem animae resurrectionem a peccato et potissimum alicuius magni et insignis peccatoris propter scelerum magnitudinem et multitudinem iam deplorati (t. 6 tract. 44). Potius cernamus praeludium resurrectionis corporum et manifestationem gloriae Christi!

Hanc narrationem non esse nisi fictionem, qua illustretur effatum illud in v. 25. 26 « critici » contendunt. Esse scil. confictam ex duabus narrationibus synopticis

de suscitatione filiae Iairi et iuvenis de Naim; praeterea ex iis quae apud Lucam leguntur de Martha et Maria et de Lazaro paupere qui mortuus sit (Luc. 10,38; 16, 19-31). In illa parabola Lazarum non resurgere a mortuis quia Abraham praevideat, fore ut qui Moysi et prophetis non credant etiam non credant si quis a mortuis surrexerit. Ad quam sententiam confirmandam iam nobis exhiberi Lazarum e monumento exeuntem et Iesum id praestare, quod ipsi Abraham fieri non posse visum sit. Ad haec ex synopticis deprompta accedere alia ex vetere testamento, praesertim ex libro Iob et Psalmis. Praeterea in ipsa narratione copiam permagnam difficultatum inveniunt, praesertim in v. 12.34.37.39.44 et plane fieri non posse dicunt, ut haec narratio inseratur apud synopticos, qui scil. ab Iericho usque ad Golgotha ita stricte res gestas sine ulla referant lacuna, ut talis eventus plane nullum invenire possit locum. Quod quam falsum sit, vide v. g. in synopsi chronologica quattuor evangeliorum (*Cornely*, Introd. III p. 294); etsi enim ab Iericho continua est synopticorum narratio, quid inde? resuscitatio Lazari prius facta est!! Quantopere differat haec narratio ab illis synopticorum, quisque videt. Unde quod gratis asserunt ex illis hanc esse formatam, gratis negatur. Quibus autem difficultatibus in v. 12.34 etc. laboret narratio, sane mirum est; esse v. 12 nimis puerile; v. 34 Iesum interrogare, cum tamen sciat, ubi positus sit; nonne id quod in v. 37 dicunt, plane ad hominum mores factum est? Et ad v. 34 notat Barhebr. etiam Deum quaesivisse : Adam ubi es? et : ubi est Abel frater tuus?

e) Synedristae Iesum statuunt occidere 11,45-56.

11,45. Multi ergo ex Iudaeis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit Iesus.

47. Collegerunt ergo pontifices et pharisaei concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem. 49. Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, quum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam : 50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. 51. Hoc autem a semetipso non dixit; sed quum esset pontifex anni illius, prophetavit quod Iesus moriturus erat pro gente. 52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. 54. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed

11, 45. Πολλοὶ οὖν ἐκ τῶν Ἰουδαίων οἱ ἐλθόντες πρὸς τὴν Μαρίαμ, καὶ θεασάμενοι ὃ ἐποίησεν, ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. 46. τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν ἀπῆλθον πρὸς τοὺς Φαρισαίους, καὶ εἶπαν αὐτοῖς ἃ ἐποίησεν Ἰησοῦς. 47. Συνήγαγον οὖν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι συνέδριον, καὶ ἔλεγον, Τί ποιοῦμεν; ὅτι οὗτος ὁ ἄνθρωπος πολλὰ ποιεῖ σημεῖα, 48. ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτόν· καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. 49. εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν Καϊάφας, ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, εἶπεν αὐτοῖς, Ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οὐδέν· 50. οὐδὲ λογίζεσθε, ὅτι συμφέρει ὑμῖν ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται· 51. τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν, ἀλλὰ ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, ἐπροφήτευσεν ὅτι ἔμελλεν Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους· 52. καὶ οὐχ ὑπὲρ τοῦ ἔθνους μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ τὰ διεσκορπισμένα συναγάγῃ εἰς ἕν.

53. ἀπ' ἐκείνης οὖν τῆς ἡμέρας ἐβουλεύσαντο ἵνα ἀποκτείνωσιν αὐτόν. 54. Ὁ οὖν Ἰησοῦς οὐκέτι παῤῥησίᾳ περιεπάτει ἐν τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ ἀπῆλθεν ἐκεῖθεν εἰς τὴν

abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Iudaeorum; et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. 56. Quaerebant ergo Iesum; et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices et pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

χώραν ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, εἰς Ἐφραῒμ λεγομένην πόλιν, κἀκεῖ ἔμεινεν μετὰ τῶν μαθητῶν. 55. ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. καὶ ἀνέβησαν πολλοὶ εἰς Ἱεροσόλυμα ἐκ τῆς χώρας πρὸ τοῦ πάσχα, ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς. 56. ἐζήτουν οὖν τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔλεγον μετ' ἀλλήλων ἐν τῷ ἱερῷ ἑστηκότες, Τί δοκεῖ ὑμῖν; ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν; δεδώκεισαν δὲ οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι ἐντολὰς ἵνα, ἐάν τις γνῷ ποῦ ἐστὶ, μηνύσῃ, ὅπως πιάσωσιν αὐτόν.

In v. 45 in codd vulg non legitur et Martham; sin qui venerant ad Iesum propter Mariam. In v. 46 sin et erant ex eis qui non crediderunt, sed abierunt. In v. 47 pl codd vulg quid faciemus. In v. 48 pler codd vulg tollent nostrum et locum et gentem. In v. 49 longe pler codd vulg om nomine; sin unus ex eis Caiphas nomine, pontifex eorum huius anni dixit eis iste Caiphas. In v. 50 υμιν B D L M X Γ al plur 20 a b e ff²l eg steph sixt; codd vulg fere omn nobis, uti ημιν pler codd et verss; sin pro toto populo. In v. 54 D εις τ. χωραν σαμφουρειν. In v. 55 sin om ante pascha. In v. 56 sin om stantes; ut quicumque videret eum, veniret et indicaret eis.

« Postquam evangelista posuit Lazari mortem et resurrectionem, hic consequenter ponit effectum resurrectionis et primo ponit effectum eius in turba, secundo ponit effectum eius in principibus » (*Thom.*). Hoc miraculo patrato synedristae firmiter decernunt mortem Christi. Maximum miraculum iis evadit occasio maximae obcaecationis. Eximie confirmant illud Christi : si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent (Luc. 16,31; *Cai. Ians.*).

Iam ostenditur quomodo illa Lazari infirmitas fuerit pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam (v. 4) v. 45 *multi ergo ex Iudaeis qui venerant ad Mariam* (*et Martham*) *et viderant quae fecit Iesus crediderunt in eum* πολλοὶ, οἱ ἐλθόντες καὶ θεασάμενοι unde clarum est quotquot testes erant credidisse et eos fuisse multos. Et ita impletur quod Iesus in oratione dixit : ut credant quia tu me misisti (v. 42). Ex versione latina utique is sensus potest erui quem v. g. eruit *Mald.* : ex iis Iudaeis qui venerant... multi crediderunt; at non ita ex graeco; nam οἱ ἐλθόντες referri debet ad πολλοί, et, ut iam *Orig.* habent, πάντες οἱ θεασάμενοι, i. e. θεωρήσαντες καὶ συνιέντες crediderunt; proin in versione latina illud *qui* referendum est ad *multi*, non ad *ex Iudaeis* (id quidem D habet τῶν ἐλθόντων καὶ θεασαμένων, quam lectionem *Orig.* explicite reiicit : non est dictum τῶν...). In voce θεασάμενοι quaedam inest emphasis : attente spectare, contemplari; v. 46 *quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos et dixerunt eis quae fecit Iesus;* inter-

pretes plerique hos infensos fuisse et animo malevolo rem denuntiasse censent (*Theoph. Euth. Thom. Bon. Cai. Tol. Mald. Lap. Bar. Nat. Calm. Corl. Fil.*); alii, uti *Aug. Bed.,* utrumque proponunt : sive annuntiando, ut et ipsi crederent, sive potius prodendo, ut saevirent. Quaerendum itaque est qui sint illi *quidam*, τινὲς ἐξ αὐτῶν vel potius, ad quos referri oporteat ἐξ αὐτῶν. Si isti *quidam* sunt ex multis qui viderant et crediderunt, tum censendi sunt animo in Iesum benevolo adiisse pharisaeos, ut testes essent Iesum revera se probasse legatum divinum, vel saltem, ut sincere nuntiarent quid evenisset. Sunt autem qui illud ἐξ αὐτῶν referant ad ἐκ τῶν Ἰουδαίων : *quidam* Iudaeorum, proin eiusmodi Iudaei qui non viderant miraculum non θεασάμενοι, qui quidem venerant in Bethaniam, at miraculum non spectarunt, vel qui solum de eo audierant; nam illud *abierunt* non necessario indicat illos quoque venisse in Bethaniam. Qua in acceptatione iis animus malignus adscribi potest. Quicumque demum nuntiarunt, ita nuntiarunt, ut resuscitationem certissime esse factam omnibus constaret.

Verum duces populi hac praestantissima gloriae Christi manifestatione in culmen malitiae adducuntur v. 47 *collegerunt ergo pontifices et pharisaei concilium* συνέδριον, *et dicebant : quid facimus? quia hic homo multa signa facit;* τί ποιοῦμεν; i. e. nunc enim contra eum agendum esse certissimum est; quare iam non deliberant sitne quidquam faciendum, sed solum quaerunt, *quid* statim fieri oporteat. Nulla ratione signa eius in dubium vocant, sed ea vera esse omnino iis persuasum est. Et tamen de eo loquuntur cum contemptu : hic homo. Stomachantes advertunt augeri in dies numerum eorum qui in ipsum credunt v. 48 *si dimittimus eum sic,* si sinamus eum pergere, ut scil. signa facere continuet eaque in dies maiora, *omnes credent in eum,* ut Messiam regem, *et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem;* plebs eum regem constituet, quam rebellionem Romani urbe deleta et populo in captivitatem abducto et disperso vindicabunt. De urbe dici τὸν τόπον plerique merito censent; aliqui templum intelligunt (*Cai. Corl.*); posset ὁ τόπος fortasse etiam de ordine et auctoritate synedrii accipi (cf. epist. Ignatii ad Polyc. 1; *Weiss*). « Haec dicebant non metuentes, sed invidentes » (*Chr.*) et insigni hypocrisi. Nam scire debebant Iesum nullatenus regnum appetere et praedicare terrenum, nullatenus eam populi exspectationem fovere. Et si Iesus revera reverentia synedristis collata et exhibita regnum affectasset terrenum et rebellionem in Romanos movisset, eum maxima animorum exsultatione regem salutassent. Verum quia noluit esse Messias qualem ipsi volebant et quia eorum scelera et impietatem impugnabat, eum odio

letali prosequebantur. Sed id contigit quod avertere volebant, Romani urbem et gentem ceperunt quia ipsi Christum occiderunt (*Chr.*); « temporalia perdere timuerunt et vitam aeternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt » (*Aug. Bed.*).

Ceteris consultantibus Caiphas rem definit v. 49 *unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: vos nescitis quidquam*, de Caipha vide ad Matth. 26,3 et Luc. 3,2; munere pontificali functus est diu (an. 18-36 p. Ch.). Quod dicitur « pontifex anni illius », veteres putabant in singulos annos pontificatum datum esse modo huic, modo alii pro principum vel Romanorum arbitrio (*Chr. Theoph. Euth. Aug. Thom. Tol. Ians.*); alii idem asseri contendebant, ut evangelistam falsitatis arguere possent (*Bretschneider, Strauss, Schenkel, Scholten, Keim*); at talis error evangelistae, qui res iudaicas optime perspectas habere saepe ostendit, imputari nequit, eo magis, quia verbis ille error minime continetur. Id solum enuntiat anno illo adeo memorabili eum fuisse pontificem (cf. *Schz. Fil. Weiss, Keil*). Hic itaque « impudenter, aperta fronte, petulanter clamavit » (*Chr.*). Erat sadducaeus; sadducaeorum autem mores esse magis feros, τὸ ἦθος ἀγριώτερον Iosephus refert (Bell. iud. 2,8,14; *Schz.*). Superbe et arroganter et cum contemptu alios alloquitur v. 50 *nec cogitatis quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat;* verba arte esse composita *Mald.* notat; primo omnes de communi monet utilitate; sententia utitur generali, ne in Iesum privato odio sententiam ferre velle videatur; satius esse unum mori quam omnes; dicit ne *tota* gens *pereat*, utroque vocabulo rem exaggerans, dum rem extenuat consulens, ut unus *moriatur*.

Hoc quidem ipse sinistro animo dixit et odio in Iesum quem morti tradere constituit. « At gratia Spiritus sancti ore illius usa est ad praedicendum futurum, tametsi pollutum cor eius non attigerit; fecit enim ut a mala mente procederent verba mirabilem habentia prophetiam » (*Theoph.*) v. 51 *hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit, quod Iesus moriturus erat pro gente;* secundum sensum quem ipse Caiphas in iis verbis intellexit, ea dixit a semetipso; at quatenus haec eadem verba in se, uti sonant, egregie enuntiant mortem Iesu utilem fore et expedientem saluti, ea non dixit a semetipso. Voluit autem Deus, ut ea eligeret verba quibus redemptio apte significaretur, voluit ut prophetaret, quia erat pontifex. Is enim Deum consulere, Deique responsum ad populum perferre iubebatur olim per urim ac tummim, per ephod (Ex. 28,30. Num. 27,21. 1 Reg. 23,9; 30,7. 2 Reg. 2,1; 5,19. 23); unde factum est, ut etiam postea summus sacerdos peculiari quodam iure censeretur exspectare

posse a Deo responsum vel illustrationem. Eius itaque dignitati collatum est Deo disponente ut verbis illis inscius ederet vaticinium quod in morte Iesu et in salute inde proveniente impletum est. Voluit itaque Deus, ut ultimus pontifex foederis veteris (morte enim Christi iure cessavit foedus et sacerdotium) prophetia sua annuntiaret Pontificem et mediatorem novi foederis, qui morte sua et sanguine suo sacrificali nos heredes scripsit bonorum coelestium. « Hic docemur etiam per homines malos prophetiae spiritum futura praedicere, quod tamen evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit » (*Aug.*).

Caiphas de sola gente Iudaeorum prophetavit, evangelista autem addit (*Aug. Thom. Ians. Bar.*) v. 52 *et non tantum pro gente*, iudaica, ὑπέρ in eius commodum ac salutem, *sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum*, i. e. ut ex omnibus nationibus per orbem sparsis advocarentur ad divinam filiationem, uti Iesus dixit: alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili et illas oportet me adducere et fiet unum ovile (10,16). Quos eo loco appellat oves alias quas habeat, hoc loco dicit evangelista filios Dei dispersos, proleptice (*Theoph. Euth. Corl.*); hi adiungendi sunt ad unum ovile et inter se et cum Christo intime iungendi.

Sententia a Caipha prolata res erat constituta v. 53 *ab illo ergo die cogitaverunt* ἐβουλεύσαντο decreverunt, *ut interficerent eum;* nunc demum decretum synedristarum conficitur, decretum magistratus summi; id quod antea variis occasionibus a variis iam ausu privato fuerat attentatum (quaerebant eum interficere 5,18; apprehendere 7,30. 45; volebant lapidare 8,58; 10,31; cf. Matth. 12,14), iam auctoritate summa firmo decreto constituitur. Sed quia hora constituta nondum advenerat, Iesus se subtrahit v. 54 *Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaeos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur Ephrem et ibi morabatur cum discipulis suis*; cf. 10,40; Ἐφραίμ; simul cum Bethel commemorat *Iosephus* Ephraim, et duo haec oppida πολίχνια appellat (Bell. iud. 4,9,9); erit idem oppidum quod 2 Par. 13,19 Ephron nominatur; hodie, ut multi putant, Tayibeh (cf. *Schz. Fil.*). Oppidum situm erat prope limites aquilonares tribus Beniamin. Quod aliqui putant Iesum in regionem transiordanicam secessisse, hisce verbis non indicatur (cf. *Patr.* de evangeliis, diss. 48 n. 29). Ex hoc oppido Ephraim ultimum postea instituit iter in urbem, de quo itinere refertur Luc. 17,11-19,28 (cf. *Cornely*, Introd. III p. 294; Comment. in Luc. p. 484). De eo temporis spatio et itinere evangelista silet; more suo statim nos transfert ad ea quae prope festum pascha in urbe gesta sunt v. 55 *proximum autem* ἐγγύς *erat pascha Iudaeorum et ascenderunt multi Ierosolymam de regione ante pascha*

ut sanctificarent seipsos, ἐκ τῆς χώρας in oppositione ad urbem caput terrae. Nemo, nisi legitime mundus, pascha celebrare poterat (cf. *Iosephus*, Bell. iud. 6,9,3 et quae notavi in Comment. Matth. II p. 409); illi ergo ritibus in lege praescriptis et votis sponte susceptis ad festum se parabant; insuper eae maculae ad quas emundandas requirebatur oblatio sacrificiorum, solum in urbe expiari poterant (*Corl.*). De eiusmodi ad festum sanctificatione vide Num. 9,10. 2 Par. 30,17.

Turbae istae quae ad festum in urbem ascenderant v. 56 *quaerebant ergo Iesum et colloquebantur ad invicem, in templo stantes* ἐν τῷ ἱερῷ i. e. in atriis, porticibus; magna populi exspectatio describitur; *quid putatis? quia non venit ad diem festum?* dubitant, interrogant, num venturus sit (*Mald.*), uti homines de re incerta quaeri solent : quid vobis videtur? putatisne eum certe non venturum? duae ergo quaestiones distinguendae sunt. Nam quaerunt ante festum, nondum sciunt sitne venturus necne; proinde non possunt dicere : quid putatis de eo quia non veniet? Qua mente solliciti sunt de Iesu? eos quaerere insidiose, male, *Chr. Euth. Aug. Rup. Thom. Bon. Mald. Lap.* putant. Hoc utique supponendum esset, si pharisaei, sacerdotes, Iudaei dicerentur quaerere Iesum. At ex contexta oratione sermo est de illis qui ex regione advenerant; quare cum *Theod. M.* explicandum est : qui οἱ ἁγνιζόμενοι ad templum confluxerant inter sese conferebant de Christo, dubitantes num propter festi reverentiam venturus esset, an vero praesentiam suam subtracturus insidias praecavens. Erant autem verba ista eum videre desiderantium; propter miracula populus ab ipso valde dependebat (similiter *Tol. Ians. Schg. Schz. Fil.*); existimat *Cyr.* eos qui credant in Iesum colloqui cum infidelibus. Poterant dubitare; nam ad pascha anni prioris non venerat Iesus (6,4; 7,1) et scire poterant quot insidiis expositus esset tempore scenopegiae et festo dedicationis templi. Atque hos non fuisse malevolos, ostenditur quoque 12,12 seq.

Iesu autem adversarii qua ratione sese parent ad festum, additur in oppositione ad populum sedulo ac pie de Iesu rogantem : *dederant autem* δεδώκεισαν, cum emphasi primo loco ponitur; iam mandata summi magistratus data erant, *pontifices et pharisaei mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit indicet, ut apprehendant eum;* ita mandarunt decreto illo v. 53 constituto. Sed certo id mandarunt secreto iis quos adversarios Iesu sibique deditos norunt. Nam volebant eum dolo tenere, ne forte tumultus fieret in populo (Marc. 14,2), neque ignari erant ex populo multos in eum credere. Quare etiam non audent manus in eum iniicere, ubi eius adventus ac praesentia iam neminem latere potuit (cf. 12,9. 18 etc. Matth. 21,1-26,1).

7. *Manifestatio Iesu quinta in Iudaea* 12,1-50.

Resuscitatione Lazari studium multorum in Iesum et fides invaluit. Eius gloriosum exhibetur documentum in triumphali Iesu in urbem ingressu. Gentiles quoque Iesum videre volunt, in quorum desiderio Iesus suae clarificationis initium explicat, mortem suam declarans fore in salutem credentibus. Admonitione ut credant publicum eius ministerium concluditur; evangelista epilogo adiecto de Iudaeorum incredulitate conqueritur et aliorum ignaviam insectatur.

a) Coena in Bethania et sollemnis in urbem ingressus 12,1-19.

12,1. Iesus ergo ante sex dies paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Iesus. 2. Fecerunt autem ei coenam ibi; et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Iesus et extersit pedes eius capillis suis; et domus impleta est ex odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus : 5. Quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis, et datum est egenis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur portabat. 7. Dixit ergo Iesus : Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum; me autem non semper habetis.

9. Cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est : et venerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. 10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent, 11. Quia multi propter illum abibant ex Iudaeis, et credebant in Iesum.

12. In crastinum autem turba multa quae venerat ad diem festum, quum audissent quia venit Iesus Ierosolymam, 13. Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosan-

12, 1. Ὁ οὖν Ἰησοῦς πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα ἦλθεν εἰς Βηθανίαν, ὅπου ἦν Λάζαρος ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν Ἰησοῦς. 2. ἐποίησαν οὖν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ, καὶ ἡ Μάρθα διηκόνει· ὁ δὲ Λάζαρος εἷς ἦν ἐκ τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ. 3. Ἡ οὖν Μαριὰμ λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, ἤλειψεν τοὺς πόδας Ἰησοῦ, καὶ ἐξέμαξεν ταῖς θριξὶν αὐτῆς τοὺς πόδας αὐτοῦ· ἡ δὲ οἰκία ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς τοῦ μύρου. 4. λέγει δὲ Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ὁ μέλλων αὐτὸν παραδιδόναι, 5. Διατί τοῦτο τὸ μύρον οὐκ ἐπράθη τριακοσίων δηναρίων, καὶ ἐδόθη πτωχοῖς; 6. εἶπεν δὲ τοῦτο, οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, ἀλλ' ὅτι κλέπτης ἦν, καὶ τὸ γλωσσόκομον ἔχων τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν. 7. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς, Ἄφες αὐτήν· ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τηρήσῃ αὐτό. 8. τοὺς πτωχοὺς γὰρ πάντοτε ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε.

9. Ἔγνω οὖν ὁ ὄχλος πολὺς ἐκ τῶν Ἰουδαίων ὅτι ἐκεῖ ἐστίν, καὶ ἦλθον οὐ διὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον, ἀλλ' ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἴδωσιν, ὃν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν. 10. ἐβουλεύσαντο δὲ καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἀποκτείνωσιν· 11. ὅτι πολλοὶ δι' αὐτὸν ὑπῆγον τῶν Ἰουδαίων, καὶ ἐπίστευον εἰς τὸν Ἰησοῦν.

12. Τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτήν, ἀκούσαντες ὅτι ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα, 13. ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων, καὶ ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ, καὶ ἐκραύγαζαν, Ὡσαννά· εὐ-

na, benedictus qui venit in nomine Do-
mini, rex Israel. 14. Et invenit Iesus
asellum, et sedit super eum, sicut scrip-
tum est : 15. Noli timere, filia Sion :
ecce rex tuus venit sedens super pullum
asinae.

16. Haec non cognoverunt discipuli
eius primum; sed quando glorificatus est
Iesus, tunc recordati sunt quia haec erant
scripta de eo, et haec fecerunt ei. 17.
Testimonium ergo perhibebat turba quae
erat cum eo, quando Lazarum vocavit de
monumento, et suscitavit eum a mortuis.
18. Propterea et obviam venit ei turba,
quia audierunt eum fecisse hoc signum.
19. Pharisaei ergo dixerunt ad semet-
ipsos : Videtis quia nihil proficimus? ecce
mundus totus post eum abiit.

λογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου
καὶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. 14 εὑρὼν δὲ ὁ
Ἰησοῦς ὀνάριον, ἐκάθισεν ἐπ᾽ αὐτὸ, καθώς
ἐστι γεγραμμένον, 15. Μὴ φοβοῦ, θυγάτηρ
Σιών· ἰδοὺ, ὁ βασιλεύς σου ἔρχεται, καθή-
μενος ἐπὶ πῶλον ὄνου.

16. ταῦτα οὐκ ἔγνωσαν αὐτοῦ οἱ μαθηταὶ
τὸ πρῶτον· ἀλλ᾽ ὅτε ἐδοξάσθη Ἰησοῦς, τότε
ἐμνήσθησαν ὅτι ταῦτα ἦν ἐπ᾽ αὐτῷ γεγραμ-
μένα, καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ. 17.
ἐμαρτύρει οὖν ὁ ὄχλος ὁ ὢν μετ᾽ αὐτοῦ,
ὅτε τὸν Λάζαρον ἐφώνησεν ἐκ τοῦ μνημείου,
καὶ ἤγειρεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν· 18. διὰ τοῦτο
καὶ ὑπήντησεν αὐτῷ ὁ ὄχλος, ὅτι
ἤκουσαν τοῦτο αὐτὸν πεποιηκέναι τὸ ση-
μεῖον. 19. οἱ οὖν Φαρισαῖοι εἶπαν πρὸς
ἑαυτούς, Θεωρεῖτε ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν;
ἴδε ὁ κόσμος ὀπίσω αὐτοῦ ἀπῆλθεν.

In v. 1 Λαζ, ο τεθνηκως A D I Γ Δ Λ Π unc 7 al omn pler verss sin; sin ante azymos panes, in vicum B., qui vivebat. In v. 2 sin habet in fine Martha occupabatur ministratione. In v. 3 D πιστικης μυρου. In v. 3 sin add et effudit illud super caput Iesu recumbentis et unxit pedes eius. In v. 4 codd vulg pler scariotis; codd gr sat mu add σιμωνος ισκ. In v. 6 sin Iudae non erat cura de pauperibus, sed quia fur erat et loculus pauperum apud eum erat; ing mt wil b ff[2] exportabat; a c e eg auferebat. In v. 7 τετηρηκεν A I Γ Δ Λ unc 7 al pler f go syr (sch, sin); ινα τηρηση ℵ B D K L Q X Π pl minusc it pler vulg sah cop arm aeth Nonn; codd vulg pler *sine* illam; sinite big dub for med rush steph sixt; sin non habet v. 8, uti D. In v. 9 non exprimitur μονον in D sin b d e. In v. 10 cogitaverunt autem *et* principes mt, uti solum B habet; sin ita praebet v. 11 : nam propter Lazarum multi credebant in Iesum; et v. 12 et altero die exiit et venit ad montem oliveti et multae turbae quae venerunt etc. et in v. 13 om benedictus et v. 14 : et Iesus sedit super asinum sicut scriptum est apud Zachariam prophetam; r add in profeta. In v. 15 venit tibi et sedet sin; add tibi c e r eg; add e mitis; a mansuetus. In v. 17 longe pler οτι; sin quomodo. In v. 19 a e proficitis; vos proficere l; prodestis b; ad *proficimus* accedit Nonn.

Suscitatione Lazari magna in populo excitata est admiratio et fides in Iesum apud multos vel orta vel aucta. Inde quoque factum est, ut Iesum sollemni pompa exciperent salutarentque regem Israel. Cur itaque tanto gaudio et modo festivo Iesu obviam eant eumque quasi per triumphum faustis acclamationibus comitentur, ex hac narratione optime explicatur et ita quoque suppletur quod apud synopticos deesse videtur, apud quos Iesus in Iericho quidem filius David a caecis salutatur, at cur turbae quae iam aderant in urbe eum tanta laetitiae et admirationis significatione, quanta alias nunquam, honorarint non satis declaratur. Tali autem honore adversarii Iesu eo magis stimulantur, ut eum caede auferant. Coena porro in Bethania facta occasio eva-

dit pro Iuda et incitamentum, ut opem suam offerat synedristis ad Iesum iis tradendum (id quod ex synopticorum, Matth. et Marc., narratione clare colligitur; vide ad Matth. 26,6; Comment. II p. 393).

Uti ex synopticis habetur, Iesus ab Iericho venit in Bethaniam. Ab Ephrem (11,54) igitur, ut ex Luca 17,11 seq. probabile fit, iter instituit inter fines Samariae et Galilaeae, inde in Peraeam (Matth. 19,1; Marc, 10,1 et seq. Luc. 18,15 seq.) et Iericho et in Bethaniam. Quo itinere profectus sit ab Ephrem in Bethaniam Ioannes non dicit. Solum tempus adventus (quod synoptici non adnotant) effert v. 1 *Iesus ergo* i. e. quia proximum erat pascha (11,55), quo agnus typicus immolabatur, ipse tamquam verus agnus ad locum passionis accessit pro salute mundi voluntarie immolandus (*Thom.*) *ante sex dies paschae venit Bethaniam* i. e. sex ante pascha diebus; ad constructionem cf. Am. 1,1 LXX et 2 Mach. 15,36; ea satis est frequens etiam apud profanos (cf. *Winer*, 61,5 et vide quae dixi ad 11,18). Quando venerit, tamen non eodem modo ab omnibus exponitur quia in computatione dierum varietas esse potest, immo etiam in acceptione τοῦ πάσχα. In diebus enim numerandis primus dies aeque ac sextus vel includi vel excludi potest. Pascha autem et diem dici potest in cuius vespere agnus immolabatur et diem festum ipsum qui illum excipiebat.

Nam Lev. 23,5 dicitur : mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam erit pascha Domino et quintadecima die mensis sollemnitas azymorum; item Num. 28,16 die quartadecima pascha, die 15 sollemnitas; et Num. 33,3 nominatur dies quinta decima dies crastinus paschatis; item Ios. 5,10.11 neque aliter Ez. 45,21. Pariter *Iosephus* quoque diem 14 nisan vocat τὴν τοῦ πάσχα (Antiq. 3,10,5), qui modus etiam cernitur apud Iustinum et in Chronico paschali et apud alios (cf. c. Tryph. 99.111; Chron. pasch. p. 12.14).

Iam 13,1 legimus : ante diem festum paschae; quare ipse evangelista nobis innuere videtur simplex τὸ πάσχα hoc loco nostro non de ipso die sollemni intelligi. Hac determinatione temporis quoque docet, narrationem apud duos synopticos de coena (Matth. 26,6. Marc. 14,3) non ita iungi ad antecedentia ac si coena biduo ante pascha habita esset. Dies qua venit Iesus in Bethaniam erat feria sexta (cf. *Cai. Tol. Ians. Lap. Schz. Fil.*); coena instruebatur sabbato, die sequenti, proin die prima hebdomadis erat sollemnis in urbem et triumphalis ingressus. Qui dies etiam ex narratione Marci colligitur; nam quae narrat 11,1-11 pertinent ad diem ingressus, quae 11,12-19 ad diem post ingressum, quae 11,20-14,1 ad diem secundum ab ingressu. Iam eo die dicit Iesus : scitis quia post biduum pascha fiet; pascha autem fiebat feria quinta; quare verba illi dicta sunt feria tertia i. e. die secundo ab ingressu; ergo ingressus incidit in diem primam heb-

domadis. Dies autem adventus in Bethaniam etiam ex hac narratione haud operose erui potest; pascha enim, ut supra dictum est, potest intelligi de feria quinta quo pascha a Iesu secundum legem celebrabatur; iam sextus ante feriam quintam dies incidit in feriam sextam praecedentis hebdomadis; pro qua computandi ratione vide 2 Mach. 15,36, ubi 13 adar designatur πρὸ μιᾶς ἡμέρας τῆς Μαρδοχαικῆς ἡμέρας, qui dies Mardochaei erat dies 14 adar mensis (cf. Comment. Matth. II p. 199).

Notatur ad Bethaniam (cf. 11,18) *ubi Lazarus fuerat mortuus*, vel uti pler codd vulg habent : ubi fuerat Lazarus mortuus i. e. qui mortuus erat ὁ τεθνηκώς, *quem suscitavit Iesus;* v. 2 *fecerunt autem ei coenam ibi et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat discumbentibus cum eo;* hoc modo narrandi confirmatur quod Matthaeus et Marcus tradunt, coenam non fuisse instructam in domo Lazari, sed alibi, scil. in domo Simonis leprosi, quia Lazarus non ut dominus et instructor convivii, sed tamquam unus ex accumbentibus designatur. Neque obstat quod Martha ministrat; eius enim auxilium propter numerum convivarum a Simone expetebatur, quod libentissime praestabat illa, uti antea (Luc. 10,40). « Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, Lazarus unus erat ex recumbentibus; vivebat, loquebatur, epulabatur; veritas ostendebatur, infidelitas Iudaeorum confundebatur » (*Aug*. sim. *Chr. Theoph. Cai. Tol.*).

Uti prius (Luc. 10,39), ita nunc quoque Maria amorem et reverentiam erga Iesum insigni modo exhibet v. 3 *Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi;* λίτρα pondus est duodecim unciarum; nardum pisticum (nardum spicatum νάρδος πιστική Marc. 14,3) nardum est genuinum, sincerum, non adulteratum, non adulterinum (*Cai.*) πιστικῆς, ἤτοι ἀκράτου καὶ καταπεπιστευμένης εἰς καθαρότητα, ceterum vide Comment. in Marc. p. 362, ubi ea de voce pluribus dictum est; *et unxit pedes Iesu et extersit pedes eius capillis suis;* totam libram esse in unctionem impensam docemur a Marco qui narrat alabastro fracto (i. e. vase confecto ex alabastrite lapide) eam effudisse unguentum; quantum autem effusum sit, nos docet Ioannes, qui quod alii commemorarunt non explicite effert, scil. prius caput Iesu unctum esse; effert quod alii tacuerunt, scil. pedes esse unctos extersosque capillis. Ita scil. narrationes inter se et supplent et explicant. Uti 11,2 videtur Ioannes alludere ad unctionem antea iam factam (Luc. 7,37. 38), ita consulto mentionem facere videtur eorum, quae in altera hac unctione facta sunt similia priori. Et revera si eadem mulier bis unxit, facile intelligitur quomodo in altera quoque unctione iterum voluerit ad pedes Iesu recurrere, ubi sedens etiam docebatur (Luc. 10,39); ad-

ditur : *et domus impleta est ex odore unguenti;* ita quippe narrare solet qui ipse adfuit remque sensibus percepit.

Ex aliorum narratione οἱ μαθηταί (Matth.), τινές (Marc.) indignati sunt; de uno id explicite refert Ioannes; at ex ipsa Iesu responsione v. 8 « datur intelligi quia revera secundum Matthaeum et Marcum ceteri quoque discipuli indignati sunt, sed diversa intentione, ut alii vere propter curam egenorum id dixerint, Iudas autem propter aviditatem furti sui » (*Rup.* sim. *Cai.*) v. 4 *dixit ergo unus ex discipulis eius Iudas Iscariotes* (cf. 6,71. Matth. 10,4, איש קריות vir Carioth, oppidi in tribu Iuda Ios. 15,25 et D praebet ἀπὸ καρυωτου), *qui erat eum traditurus,* attende loquendi modum de re quae tum nondum erat facta, sed futura; aliter 11,2; duplici modo designat hunc, ut ab alio apostolo Iuda distinguatur, v. 5 *quare hoc unguentum non vaeniit trecentis denariis* de quo pretio confer quae 6,7 dicuntur; 300 denarii aestimantur plus quam 250 fr. monetae gallicae (*Fil.*), 195-200 M. monetae germanicae (*Schz.*) et 10 libr. sterling anglicae; denarius merces erat pro labore diurno, et si pretium nardi quod Plinius 12,12. 26 indicat consideraveris, Iudas recte aestimavit rei pecuniariae peritus (cf. Comment. Marc. p. 363); dicitur Marc. 14,5 plus quam trecentis denariis; ita enim loqui solent qui rem obiter computant. Alii discrimen explicant ita, ut in una aestimatione vas cum unguento, in altera solum unguentum spectetur. Nimis subtile est neque necessarium; *et datum est egenis?*

Verum hypocritae larva detrahitur v. 6 *dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum* ἔμελεν αὐτῷ non quia ipsi curae erant pauperes, quia rationem habebat pauperum, *sed quia fur erat et loculos habens ea quae mittebantur portabat* γλωσσόκομον marsupium (proprie γλωσσοκομεῖον, cistula ad lingulas tibiarum reponendas; dein generatim arcula) ἐβάσταζεν explicant complures : auferebat, surripiebat; ita *Or.* et *Cyr.* τὰ τῷ Θεῷ ἀνατιθέμενα κλέπτων; similiter *Nonnus* χηλῷ ἀνηέρταζε φύλαξ κακός et *Theoph.* scribit ἐβάσταζε τουτέστιν ἔκλεπτε, καὶ ἱερόσυλος ἦν; attende tempus imperfectum i. e. solebat surripere. Ita quoque iam *Aug. :* portabat an exportabat? sed ministerio portabat, furto exportabat; similiter *Thom.* et *Bon. :* portabat i. e. asportabat et furabatur. Atque βαστάζειν hanc alteram habere significationem censent *Pape* (Lexicon, Pol. 1,48. 32,25 et apud posteriores), *Schz. Fil. Weiss,* aliis negantibus (*Schg.*); at hoc loco contextu plane suadetur, ne dicatur idem quod iam dictum est : loculos habens. Adde graecos ita explicare. Accurate itaque refert Ioannes quis tandem et qua mente querelam moverit; eius verba in speciem pia aliis quoque ansam dederunt mirandi de sumptu et murmurandi. Quaerunt cur Iesus loculos habere

Iudae permiserit. Respondet *Chr.* « rem arcanam unum nosse Deum; quod si quidpiam sit coniectando dicendum : ut omnem auferret excusationis causam; non enim dicere poterat se ex pecuniarum amore id fecisse (scil. proditionem commisisse), cum posset cupiditati suae ex loculis facere satis, sed ex multa nequitia, quam voluit Christus cohibere, indulgentia erga illum multa usus »; sim. *Thom.* : ut perditionis occasionem auferret, cum haberet ex loculis concupiscentiae mitigationem, et *Bon.* ut non haberet excusationem quod proderet Dominum propter inopiam, et *Bed.* ut vel collati honoris vel habitae memoria pecuniae mentem ab ipsius venditione revocaret. Addunt quoque *Aug. Thom.*, ut doceatur Ecclesia malos esse tolerandos. Committuntur varia munera et officia inter homines secundum indolem et aptitudinem naturalem et inclinationem. Certe non erat, cur Christus prohiberet ne apostoli eadem ratione inter se munera distribuerent. Iudae non deerant gratiae quibus potuit, si voluisset, concupiscentiae resistere eamque domare. Ceterum vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 399.

Coercet Christus eius importunitatem v. 7 *sinite*, ἄφες *sine* (codd pler vulg) *illam, ut in diem sepulturae meae servet illud;* propter sententiam adiectam ἵνα explicandum erit cum *Tol.* : « *sine*, permitte facere quod facit; quando enim haec verba Christus dicebat, adhuc Maria ungebat; Iudas enim ante finem unctionis murmurare inceperat, ut a proposito deterreret » (sim. *Schg. Schz.*); dein ἵνα τηρήσῃ explica : ut servaverit illud; proin me ungat et hoc ego volo, ut unguentum hoc sit hac unctione quasi anticipatione servatum et impensum in diem sepulturae. Haec itaque unctio consideratur a Christo, sicut Matth. 26,12 dicitur : ad sepeliendum me fecit; dies unctionis consideratur ut dies sepulturae. Modus loquendi est fere ac si diceret : sine illam; nam in diem sepulturae hoc unguentum iam nunc impendit; ita scil. in acceptione Iesu; ipsa enim Maria, ut *Thom.* dicit, « non praescivit mortem Christi, non intelligebat quod fecit, sed quodam instinctu interiore mota est ad hoc faciendum ». Hoc unguentum nunc effundendo veluti servat in illum diem, nunc enim facit quod postea vult facere neque tamen poterit (cf. *Bar.* inter alia); et *Cyr.* : de unguenti perfusione rationem reddit, quod non ad luxum, sed ad mysterium quoddam spectat circa eius sepulturam, etsi quae id faciebat ignoraret mysterii rationem. Censet *Schz.* ἵνα τηρήσῃ verti posse, ut (anticipando) *observet* illud. Lectio τετήρηκεν *servavit* (*Tol.*) eodem modo explananda est : unctio haec facta est in officium sepulturae meae; unxit enim me sicut corpus mortuum ad sepeliendum ungi solet (*Tol.*).

In morte Christi incepit eius glorificatio. Quare hunc sepulturae honorem nunc iam sibi impendi vult quem corpori mortuo impendi non posse praevidit. Unde etiam ad dubium aliorum discipulorum, qui sincere de pauperibus cogitant, respondet v. 8 *pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*, advertit *Rup.* qui *sine* legit in v. 7 : verba suae responsionis Dominus in singularem et pluralem numerum dispersit; unde datur intelligi alios quoque discipulos esse indignatos; et cum sermo ad unum directus v. 7 iam ad plures extendatur, satis indicatur Iudam quidem caput esse, alios autem accessisse ad eius murmur (*Cai.*). Admonet itaque Iesus : si ego mortuus essem, utique non indignaremini quod corpus meum unguento pretioso ungeretur; ergo ne nunc quidem indignemini; haec unctio loco illius est; neque unquam quis putat non esse solitis honoribus parentandum, verum omissis illis honoribus pecuniam esse pauperibus erogandam, nihil ad funus cohonestandum posse impendi. Et id eo modo iis insinuat qui animos discipulorum plane conciliat et eos amore et tristitia afficit : me autem non semper habetis : opportunitas in me aliquid beneficii et honoris conferendi mox vobis deerit. Etiam plura Christus adiecit quae apud Matth. et Marc. referuntur.

Ab iis qui Iesum ab Iericho proficiscentem comitati et in urbem iam ingressi erant, nuntius spargebatur de adventu Iesu in Bethaniam v. 9 *cognovit ergo turba multa ex Iudaeis quia illic est et venerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum viderent quem suscitavit a mortuis;* insita est mortalium cordibus curiositas nova et mirabilia inquirendi (*Tol.*) et quis non cuperet hac curiositate videre hominem ex mortuis suscitatum? a quo sperat se auditurum plane inaudita de altera vita? Sed hac curiositate multi ad fidem adducti sunt. Christus miraculum patravit, ut fides excitaretur (11,42); ex eadem ratione se contulit Bethaniam et vult suum adventum innotescere; neque frustra, sed eo effectu ut ad novam insaniam et furorem impotentem propellerentur adversarii v. 10 *cogitaverunt* ἐβουλεύσαντο consilium ceperunt, decreverunt *autem principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent*, fortasse intendebant ei simul cum Iesu litem intendere, qui scil. cum eo conspirasset ad fraudem patrandam, ut ea ratione aliquam probitatis ac iuris speciem servarent; verum ex iis quae postmodum in Paulum machinati sunt (Act. 25,3) etiam docemur eos minime abhorruisse a caede ex insidiis committenda; v. 11 *quia multi propter illum abibant ex Iudaeis et credebant in Iesum,* ὑπῆγον discedebant, se subducebant scil. a partibus pharisaeorum (cf. *Schz. Fil. Weiss*); « perpende quales hi erant pastores; non errantes oves ad verum pastorem revocare, sed errare eas facere et occidere studebant » (*Tol.*). Testem

potentiae divinae ac missionis Iesu auferre desiderabant furore caeco ac stulto; « o stulta cogitatio et caeca saevitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus; ecce Dominus utrumque fecit, et Lazarum mortuum et se ipsum suscitavit occisum » (*Aug.*).

Hac populi fide et admiratione paratur triumphalis ille in urbem ingressus; « sciens evangelista hunc Iesu ingressum sollemnem descriptum ab aliis evangelistis perstringit illum supplendo multa omissa ab aliis; et primo diem explicat; dein explicat turbam quae venit obviam Iesu non fuisse hierosolymitanam, sed illam quae aliunde venerat ad diem festum » (*Cai.*) v. 12 *in crastinum autem* i. e. quia coena die sabbati erat facta, quo die lautiores instituere coenas ex cibis antea paratis a more non erat alienum, dies ingressus incidit in diem primam hebdomadis, diem 10 nisan, « plane in hoc quoque legem quae de agno paschali scripta est, hic verus agnus Dei sustinere probatur (Ex. 12,3 : decima die mensis tollat unusquisque agnum); est simul dies octavus ante illum quo erat resurrecturus a mortuis; non ergo casu, sed secreta dispositione divinitatis actum est, ut cum tali honore et apparatu laudis hac die civitatem intraret » (*Rup.* sim. *Thom.* et vide in Comment. Matth. II p. 198); *turba multa quae venerat ad diem festum;* cf. 11,55. 56; *cum audissent quia venit Iesus Ierosolymam*, v. 13 *acceperunt ramos palmarum* τὰ βαΐα, quos scil. ad Iesum honorificentissime excipiendum paraverant; nam ramos ex palmis decerpere propter proceritatem palmarum est laboris; unde rami antequam obviam irent conquirendi erant, *et processerunt obviam ei*, cf. 1 Mach. 13,51; 2 Mach. 10,7; ramis palmarum eum quasi victorem et triumphatorem de morte salutant; sunt enim rami palmarum insignia victoriae (*Rup.*) et gaudii (*Tol.*), laudes sunt significantes victoriam (*Aug. Cyr. Thom.*) quam de morte reportavit in Lazaro et quam sua ipsius morte reportaturus erat de eo qui habuit mortis imperium (Hebr. 2,14), *et clamabant : hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel* eum salutant Messiam; sunt enim turbae dociliores et ad fidem proniores et recenti miraculo adductae eum fatentur regem esse Israel Christi dominationem accipientes (*Cyr.*); scribitur antiquitus ωσαννα, osanna (etiam in codd vulg) unde explica ex forma aramaica אוֹשַׁעְנָא; verba deprompta sunt ex Ps. 117,25.26 : salvum fac, opitulare; faustissima quaeque ei apprecantur et laetis acclamationibus eum salutant. Ceterum vide quae pluribus exposui in Comm. Matth. II p. 206, Marc. p. 294 Luc. p. 530 seq.; in tanta turba alios alia quoque acclamatione usos esse et res ipsa loquitur et synoptici efferunt.

« Hic breviter dictum est v. 14 *et invenit Iesus asellum et sedit super eum,* nam quemadmodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur » (*Aug.* cf. Matth. 21,1-16; Marc. 11,1-11; Luc. 19,29 seq.). «Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret quod maligni principes Iudaeorum eum non intelligebant, in quo implebantur quae legebant » (*Aug.*), *sicut scriptum est:* v. 15 *noli timere, filia Sion; ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae*, Zach. 9,9 גִּילִי מְאֹד, LXX χαῖρε σφόδρα, exsulta satis (vulg); breviter id quod rem constituit ex ampliore oraculo refertur; venit sedens... i. e. symbolum pacis, mansuetudinis exhibet quod asino vectus pompam agit; non venit rex terrenus, bellator, regnum condens terrenum. Vaticinium etiam legitur Matth. 21,5 (vide Comment. in proph. min. II p. 319 seq.; in Matth. II p. 201 seq.).

Uti 2,22 et 20,9, ita hic quoque adnotat evangelista v. 16 *haec non cognoverunt discipuli eius primum*, tum scil. quando factum est, nihil de vaticinio illis in mentem venit; *sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia haec erant scripta de eo et haec fecerunt ei;* Iesus enim post resurrectionem illis aperuit sensum ut intelligerent scripturas (Luc. 24,45), misit Spiritum sanctum qui eos omnem docuit veritatem (16,13); tunc intellexerunt se non alia fecisse ei quam illa quae scripta erant de eo (*Aug.*), dum scil. iussi a Iesu asellum ei adducerent (*Tol.*). Iste autem triumphus Iesu et maxima populi, etiam turbarum aliunde in urbem advectarum, exsultatio efficiebatur, quia qui testes erant suscitationis Lazari, de eo miraculo testimonium reddebant irrefragabile v. 17 *testimonium ergo*, refertur ad v. 12 seq. causa enim redditur, propter quam mota est tanta multitudo, ut Iesum honorificentissime exciperent (*Tol.*), *perhibebat turba quae erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis*, v. 18 *propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum;* turbam ex urbe ei obviam venientem etiam Matthaeus indicat 21,9 simul cum aliis qui eum ex Bethphage comitabantur.

Iesus videns populi laetitiam et fidem simul intelligit maiorem partem nihilominus in contumacia persistere et flevit super civitatem (Luc. 19,41). Huius contumaciae exemplum et Lucas affert 19,39 et commemorat Ioannes v. 19 *pharisaei ergo* hunc cernentes triumphum et turbarum fidem *dixerunt ad semetipsos*, inter se, *videtis quia nihil proficimus?* οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; nihil proficitis? *ecce mundus totus post eum abiit;* putat *Chr.* haec dici ab eis qui sanae mentis fuerint et ex eventu confutarint alios, ut qui inutilia tentarent. Verum potius dicendum est cum *Euth.* verba esse reprehendentium segnitiem et indignantium et

aegre ferentium, qui existimant satius fuisse, ut consilium a Caipha datum statim exsecutioni mandaretur; et cum dicatur : quia nihil proficitis, eos incusare videntur morae ac tarditatis, qui monebant caute esse procedendum contra Iesum, ne turbae quae ei adhaereant tumultum commoverent (cf. Marc. 12,12; Luc. 20,19 et sim. Marc. 14,2; Luc. 22,2); « hoc dicunt incusantes semetipsos quod non iam pridem Christum cum Lazaro interfecerint seseque ad caedem mutuo cohortantur » (*Cyr.* cf. *Tol. Mald. Lap. Calm.*). Verba sunt complicum excitantium illos quibus incumbebat ex officio vacare ad impediendum; excitant autem proponendo ut considerent id quod vident, quod scil. nihil proficiunt ad impediendum (*Cai.*); *ecce* ὁ κόσμος, hyperbole consueta de magna multitudine, et ea exaggeratione etiam optime describitur impotens eorum furor; *post eum abiit* ἀπῆλθεν; iam deficiunt, recedunt ab auctoritate synedristarum et eum sequuntur quem odio letali ipsi prosequuntur. Videntur quippe sibi videre in hoc triumpho suam ipsorum cladem, totius populi a se defectionem; « turba turbavit turbam » (*Aug.*). Merito notat *Theoph.* : « vide consequentiam (ἀκολουθίαν) passionis; suscitavit Lazarum, miraculo hoc maximo omnium ad finem reservato; quapropter multi confluebant et credebant; ex eo quod multi credebant, maior evadebat invidia, ex invidia autem sequebantur insidiae et crux ».

Sunt qui sollemnem ingressum Iesu solum concipere se posse affirment, si Iesus prima vice ad urbem accedat; unde narrationem Ioannis iam eo defectu laborare, quia secundum ipsum priores Iesu in urbem ingressus sine pompa fuerint. Utique si resuscitatio Lazari (quam illi negant) locum non habuisset, fortasse tale turbarum studium non statim posset explicari. Sed tali miraculo patrato populum festivis acclamationibus salutare Iesum, sane non est res intellectu adeo difficilis, etsi Iesus saepius iam in urbe fuerit. Qui ad festum venerant, ei obviam eunt v. 12. Quare narrationi Ioanni nullo modo « e diametro opponitur » (im schneidenden Contrast), quod Matth. 21,10.11 narratur : commota est universa civitas, dicens : quis est hic?

b) Gentiles Iesum quaerunt videre 12,20-36.

12,20. Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaida Galilaeae, et rogabant eum dicentes : Domine, volumus Iesum videre. 22. Venit Philippus, et dicit Andreae : Andreas rursum et Philippus dixerunt Iesu. 23. Iesus autem respondit eis dicens : Venit hora ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen

12, 20. Ἦσαν δὲ Ἕλληνές τινες ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ· 21. οὗτοι οὖν προσῆλθον Φιλίππῳ τῷ ἀπὸ Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἠρώτων αὐτὸν λέγοντες, κύριε, θέλομεν τὸν Ἰησοῦν ἰδεῖν. 22. ἔρχεται ὁ Φίλιππος καὶ λέγει τῷ Ἀνδρέᾳ· ἔρχεται Ἀνδρέας καὶ Φίλιππος καὶ λέγουσιν τῷ Ἰησοῦ. 23. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀποκρίνεται αὐτοῖς λέγων, Ἐλήλυθεν ἡ ὥρα ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. 24. ἀμὴν ἀμὴν λέγω

dico vobis : nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, 25. Ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de coelo: Et clarificavi, et iterum clarificabo. 29. Turba ergo quae stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alii autem dicebant: Angelus ei locutus est. 30. Respondit Iesus, et dixit: Non propter me haec vox venit, sed propter vos. 31. Nunc iudicium est mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

33. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. 34. Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum : et quomodo tu dicis : Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Iesus : Adhuc modicum lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Haec locutus est Iesus; et abiit, et abscondit se ab eis.

ὑμῖν, Ἐὰν μὴ ὁ κόκκος τοῦ σίτου πεσὼν εἰς τὴν γῆν ἀποθάνῃ, 25. αὐτὸς μόνος μένει· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, πολὺν καρπὸν φέρει. ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἀπολλύει αὐτήν· καὶ ὁ μισῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ, εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν. 26. ἐὰν ἐμοί τις διακονῇ, ἐμοὶ ἀκολουθείτω· καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ἐκεῖ καὶ ὁ διάκονος ὁ ἐμὸς ἔσται· ἐάν τις ἐμοὶ διακονῇ, τιμήσει αὐτὸν ὁ πατήρ.

27. Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται· καὶ τί εἴπω; πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης. ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην. 28. πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα. ἦλθεν οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, Καὶ ἐδόξασα καὶ πάλιν δοξάσω. 29. ὁ ὄχλος ὁ ἑστὼς καὶ ἀκούσας ἔλεγεν βροντὴν γεγονέναι. ἄλλοι ἔλεγον, Ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν. 30. ἀπεκρίθη καὶ εἶπεν Ἰησοῦς, Οὐ δι' ἐμὲ ἡ φωνὴ αὕτη γέγονεν, ἀλλὰ δι' ὑμᾶς. 31. νῦν κρίσις ἐστὶν τοῦ κόσμου τούτου· νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω· 32. κἀγὼ ἂν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. 33. τοῦτο δὲ ἔλεγεν σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. 34. ἀπεκρίθη οὖν αὐτῷ ὁ ὄχλος, Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ πῶς λέγεις σὺ, ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, 35. εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς ἐν ὑμῖν ἐστίν, περιπατεῖτε ὡς τὸ φῶς ἔχετε, ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ· καὶ ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει. 36. ὡς τὸ φῶς ἔχετε, πιστεύετε εἰς τὸ φῶς, ἵνα υἱοὶ φωτὸς γένησθε. Ταῦτα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἀπελθὼν ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν.

In v. 20 sin Aramaei; v. 21 venerunt et dixerunt Philippo. In v. 22 ερχεται Ανδρ A B L a e; sin et ambo venerunt; παλιν Ανδρ D X Γ Δ Λ Π unc 7 f. In v. 23 mu codd glorificetur, Wordsw. In v. 24 granum tritici a b c d e f ff[2] r; sin mortuum fuerit in terra, si autem cadit et mortuum fuerit. In v. 25 απολλυει ℵ B L, perdit ff[2]; custodiet dub a e r Aug. In v. 26 ο πατηρ μου U aliq minusc a c e vulg sah cop arm; wil add qui est in caelis. In v. 28 sin et statim venit vox de caelo quae dixit; D add ex 17,5 εν τη δοξη η ειχον. In v. 29 sin add admirati sunt et dicunt. In v. 32 sin omnem hominem; παντας ℵ[c] B A L unc rell al pler syr (utr) go arm Or Ath Epiph Chr Bas Nonn Cyr; παντα ℵ* D it vulg aeth. In v. 34 sin et dixerunt ei aliqui ex turba. In v. 35 modicum tempus a b c e ff[2] l r med; modicum temporis f; sin vobiscum, ambulate in luce.

Gentiles quosdam petisse accessum ad Iesum solus Ioannes refert. In ea autem petitione exhiberi gentium desiderium salutis messianae Iesus indicat declarans iam adesse horam clarificationis suae, tempus scil. ut morte intercedente salvator exsistat omnium. Unde, sicut ex una parte angorem experitur mortis imminentis, ita ex altera parte ad Patris gloriam et fructum salutis ex passione provenientem animum erigit. Quemadmodum voce coelitus delapsa initio vitae publicae testimonium accepit, ita in fine eadem voce coram populo in templo eius declaratur missio ac dignitas. Ad quam agnoscendam Iesus turbam adhortatur.

« Posita gloria quam Christus habuit ex ministerio domesticorum et ex devotione turbarum, hic evangelista ponit gloriam quam habuit ex devotione gentilium » (*Thom.*). Duces populi eum interficere student; alienigenae accedere ad eum desiderant; en praeludium regni Dei a Iudaeis ablati et ad gentes translati; simili prorsus modo iam puerulus Iesus in sua terra ad necem quaesitus in regionem alienigenarum asportatus est; v. 20 *erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo*, Ἕλληνες cf. 7,35 viri non Iudaei genere, non Ἑλληνισταί (Act. 6,1; 9,29; ut vult *Patr.*), sed alienigenae ex gentibus, fortasse iam proselyti (*Cyr. Theod. M. Thom. Corl. Schg. Schz. Fil. Weiss*); dicuntur enim esse ἐκ τῶν ἀναβαινόντων ἵνα... i. e. ex iis (probabiliter) gentilibus qui ascendunt ad adorationem in die festo, qui itaque verum Deum colere solent. Eos esse missos ab Abgaro, rege edesseno, Armenorum est opinio (cf. *Schg. Schz. Fil.*); verum id nullatenus est probabile, etsi fides historica tabulis edessenis sit habenda, quam fidem aliqui viri praeclari iis attribuunt (cf. Acta Sanctorum, Octob. t. 12 p. 452-455; *Nirschl* in periodico Katholik 1896 mensibus iul. — novembr.). Nam dicuntur esse ex iis qui ascendunt ad adorandum, volunt cum Iesu colloqui; legati autem Abgari aliter designarentur ab evangelista et ipsi dicerent quoque se esse missos a rege, quo certius admitterentur ad Iesum; v. 21 *hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat a Bethsaida Galilaeae;* cf. 1,44, *et rogabant eum dicentes : domine, volumus Iesum videre;* eos desiderare ut admittantur ad colloquium cum Iesu, patet ex eo quia aliquem apostolum adeunt tamquam intercessorem et apostolus eorum desiderium cum Iesu communicat alio antea in consilium adhibito.

Quaerunt, cur adeant Philippum. Varia respondent; Philippum graece nosse (*Schg.*), eos fuisse notos Philippo (*Corl.*), utpote Galilaeos ad Galilaeum accessisse mediatorem (*Cyr. Alb. Cai.*.. Sed eos fuisse Galilaeos plane est incertum; neque quod additur *qui erat a Bethsaida Galilaeae* illam commendat sententiam; nam, ut *Mald. Bar.*

notant, reliquos apostolos (excepto Iuda) constat etiam fuisse Galilaeos. Quare dicendum erit eos primum (*Mald. Bar.*) vel casu (*Schz.*) in Philippum incidisse; v. 22 *venit Philippus et dicit Andreae; Andreas rursum et Philippus dixerunt Iesu* haec singula et minuta adeo accurate enarrare nunquam in mentem venisset scriptori posteriori qui non ipse rei testis fuisset. Philippus de ea petitione consulere videtur Andream, liceatne eam Iesu proponere. Poterat enim ea de re dubitare, quia Iesus professus est se solum missum esse ad Israel et discipulis dixerat: in viam gentium ne abieritis (*Chr. Cyr. Theod. M. Rup. Alb. Mald.*); Andream autem consulit, utpote antiquissimum ex discipulis (*Chr. Theoph. Corl.*) vel magis Iesu familiarem (*Alb. Ians.*) adeoque quasi maiorem (*Thom. Tol.*). Alii agendi modum Philippi ad eius indolem cautam, circumspectam, aliquatenus pavidam referunt (*Schz.*); simul cum Andrea rem exponit.

Sintne illi ad colloquium familiare admissi evangelista non commemorat festinans ad graviora quae omnibus scil. erudiendis inserviunt. Cernit enim Iesus in isto gentilium desiderio et enuntiat iam imminere tempus salutis messianae in gentes effundendae; est eorum adventus veluti tacita quaedam admonitio, ut morte sua evadat causa salutis aeternae ab omnibus glorificanda; v. 23 *Iesus autem respondit eis dicens: venit hora, ut clarificetur Filius hominis;* hora tempus est passionis et mortis; cf. 7,30; 8,20; « tempus demum, inquit, est ad passionem accedendi, cum omnia impleta sint; quia igitur discipulos suos post crucem ad gentes missurus erat, cum videt illas iam accedere, ait: tempus est ut ad crucem veniam » (*Chr.*). Mors est initium eius gloriae et quasi conditio gloriae consummatae; cf. Luc. 24,26. Tenebris, terrae motu, velo templi discisso, confessione centurionis, consternatione populi, apparitione mortuorum mors eius gloriam accepit; mortem excepit resurrectio, ascensio, vocatio gentium, ut in nomine Iesu omne genu flectatur et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris. Haec omnia menti Iesu obversantur ideoque mortem suam horam vocat ut clarificetur. « Ipsa enim vita, ut *Cyr.* ait, pro omnibus mortem pertulit, ut omnes in eo viveremus; propterea suam gloriam vocat mortem et quamvis esset semper glorificatus ab angelis in coelo, tamen crux ei tamquam Deo consequendae in terra apud gentes gloriae initium fuit » (sim. *Theod. M. Thom. Bon. Corl. Schz. Fil.*). Gentilium enim adventus adesse iam horam et tempus significat quando Filius hominis clarificandus et notificandus est gentibus; hoc autem tempus et hora est mortis, post quam praedicandum est nomen Iesu in gentibus (*Tol.*); quare alii dicunt Iesum de sua gloria loqui, quia videbat ipsos gentiles post

passionem et resurrectionem suam credituros ubique (*Aug. Thom. Bar. Schg.*).

Et statim subdit modum et causam efficiendae claritatis (*Rup.*) et necessitatem passionis et mortis similitudine declarat (*Thom.*) v. 24 *amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens* πεσών cum ceciderit *in terram mortuum fuerit*, per illam in terrae dissolutionem ad novam germinationem plane necessariam, v. 25 *ipsum solum manet*, nihil fructus affert, *si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, ex uno grano multa alia enascuntur; « se autem dicebat : ipse erat granum mortificandum et multiplicandum; mortificandum infidelitate Iudaeorum, multiplicandum fide populorum » (*Aug. Bed.*). Mors itaque eius multos afferet fructus (*Euth.*), amplissimam in coeli horrea messem colligit (*Rup.*), uti iam Isaias praedixit : si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum; ideo dispertiam ei plurimos (53,10-12; *Tol.*). Ita quoque explicatur, cur tempus mortis merito tempus gloriae et clarificationis appellaverit, quia ex morte sua magna sibi gloria, magnus erat fructus consecuturus (*Mald.*).

Sententiam quam de se et morte sua pronuntiavit iam docet valere de omnibus eamque extendi ad omnes qui in ipsum credituri sint, si gloriae participes esse velint; oportere ut ipsi quoque sibi suisque cupidatibus moriantur; quod nisi praestiterint, non modo vitam beatam non esse consecuturos, verum perituros (cf. *Tol. Ians.*); *qui amat animam suam, perdet eam et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam;* cf. Matth. 10,35; fideles ad mortem contemnendam adhortatur (*Theod. her.*); nam qui animam, vitam suam ita amat, ut eam tueri vel iucundam reddere vult peccato apostasiae vel voluptate, vitam perdet, quia se interitui aeterno mancipabit; qui vero vitam suam pro fide profundit vel pro virtute vitam agit duram deliciis peccati reiectis, is vitam suam servat sibi vitam parans beatissimam. Is amat animam suam qui absurdis eius concupiscentiis obtemperat, qui plus quam par est ei indulget; is odit eam, qui illi perniciosa iubenti resistit (*Chr. Ammon.* in cat. Cord.). Potest etiam, ut *Corl.* advertit τὴν ψυχὴν αὐτοῦ per aramaismum exponi sensu *semetipsum*, qui sensus facilis est, et tandem ad idem recidit. « Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat! si male amaveris tunc odisti; si bene oderis tunc amasti; felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando » (*Aug.*).

Exhortatur itaque Christus ad passionis suae sectanda vestigia (*Aug.*), quod si quis detrectaverit, iam non aptus est ad ministeria vel officia Christo praestanda, iam non esse potest talis qui Christi causam pro-

moveat, v. 26 *si quis mihi ministraverit, me sequatur;* « quid est *me sequatur,* nisi me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius » (1 Petr. 2,21; *Aug.*). Docet igitur quod in grano frumenti proposuit omnibus applicari; ibi contineri doctrinam de necessitate, modo, fructu, mercede abnegationis propriae et immolationis (*Corl.*); cf. Matth. 10,38; 16,24; Marc. 8,34; Luc. 14,27. Iam quo fructu, qua mercede, quo praemio (*Aug.*) sequitur quis Christum? *et ubi sum ego, illic et minister meus erit;* « operis quo ministratur illi pretium est esse cum illo; ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo » (*Aug.*)? *ubi sum ego*, Christus autem, unigenitus Filius est in sinu Patris (1,18), Filius hominis est in coelo (3,13), in eo est ut vadat ad eum qui ipsum misit (7,33; 14,3; 17,24); coelestem patriam et gloriam promittit et ineffabilem illam in ipsius societate et consuetudine suavissima beatitudinem. Et quo magis etiam invitet ad suum sequendum exemplum et ad laborandum in suo obsequio addit: *si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater* (*meus*); si honorificum est a Deo honorari, profecto gloriosum est Christo servire; Patrem dicit, quia Patris est dare regnum (Luc. 12,32), Patris est dare in ipso regno eximiam quandam dignitatem et beatitudinem (Matth. 20,28). Ministrant autem Christo qui non sua quaerunt, sed quae Christi (*Aug.*). Atque bene monet *Aug.* ministros Christi non solum episcopos et clericos esse cogitandos; « etiam vos pro modo vestro ministrate Christo bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potueritis praedicando, ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere » etc.

Quod Christus imminente passione in horto experiri voluit: coepit taedere, pavere, moestus esse (Marc. 14,33; Matth. 26,37), id antea quoque saepius in anima perpessus est; vide Luc. 12,50 et supra 11, 33. 38. Idem hic quoque mentione facta mortis pati voluit v. 27 *nunc anima mea turbata est* i. e. affecta est passionibus timoris et tristitiae quantum ad sensitivam partem, quibus tamen ratio non turbabatur (*Thom.*); humano modo anima eius commota angore trepidat propter mortem instantem (*Euth.*). Humanitas enim Christi naturaliter mortem crudelem et ignominiosam abhorrebat et vivida instantis passionis repraesentatione turbationem hanc volens Christus patitur; sensus eius horret id quod ratio ostendit appetendum propter gloriam Patris hominumque salutem (cf. *Corl.*). Ad quam turbationem explicandam recole quae de agonia in horto scripta sunt, ad quam remittunt *Aug. Bed. Thom. Rup. Bar.* etc. Eodemque modo, uti in horto, hic quoque

orat : *et quid dicam?* ἀπορούμενος ἐπὶ τῆς ἀγωνίας (*Euth.*) : « haeret quodammodo prae horrore mortis proximae more timentium : quid dicam? quo me vertam? Ad Patrem se vertit brevique oratione salutem et vitam postulat secundum voluntatem naturalem » (*Bar.*). *Pater, salvifica me ex hac hora!* eadem est petitio quam in horto obtulit : transfer calicem hunc a me (Marc. 14,36); sed statim, uti in horto, non desiderium suum naturale humanum fieri vult, verum motum illum excludit per rationem (*Thom.*) : *sed propterea veni in horam hanc*, voci priori qua mortem et passionem horribilem in se consideratam aversabatur et petebat ne in illam horam veniret, iam opponit voluntatem deliberatam : *sed*, at non id efflagito; *propterea*, ut passionem et mortem obeam (*Theoph. Euth. Rup. Alb. Bon. Thom. Tol. Mald. Bar. Corl. Schz. Fil. Weiss*) ita ut διὰ τοῦτο referatur ad id quod in σῶσόν με etc. implicite continetur et exprimitur, *veni in horam hanc* i. e. non mea voluntas fiat, sed tua, ad quam faciendam ego veni, missus sum (cf. 4,34; 5,30; 6,38). Animi commotionem ipsa eius dicta abruptaeque orationis forma mirifice exprimunt (*Patr.*).

Sunt qui ita legunt : et quid dicam? Pater salvifica me ex hac hora? i. e. quid dicam? an illud : Pater...; an dicam : Pater salva me? minime (cf. *Chr. Theoph. Keil, Weiss; Corl.* quoque, qui refert ita Bossuet etiam explicare, existimat hanc expositionem bene contextui aptari). Verum eam acceptionem iam *Tol.* bene refutavit : nam ea exhibet sensum falsum : minime dicam : salvifica me; immo dixit : transeat a me calix iste : « constat autem in praesenti de ea voluntate haberi sermonem; nam turbatus et timens haec priora verba pronuntiat »; porro in ea acceptione perit ipsa turbationis descriptio et expressio et talis secum meditatio : « an id petam? sed hoc petere non debeo, quia propterea... » habet nescio quid arguti et affectati, quod in Christum minime cadere poterit. Quare plerique, etiam *Ians. Mald.*, illam acceptionem non admittunt.

Cum itaque naturale hoc desiderium revocasset tamquam contrarium suo officio et functioni, adiecit quod deliberate et certo precandum recta ratio suggerebat (*Ians.*), sequitur enim voluntas deliberata (*Tol.*) v. 28 *Pater, clarifica nomen tuum*, eo scil. modo quo Pater constituit, scil. ut per mortem Christi gloria Dei restituatur expiatione et satisfactione praestita, ut innotescat et diffundatur gloria et cultus Dei per orbem terrarum : aliis igitur verbis : fiat voluntas tua, quae voluntas in mandato Patris (14,31) et in obedientia Filii (Phil. 2,8) expressa habetur. Haec nominis Dei gloria, δόξα, habetur eo quod cognitio *nominis* eius i. e. omnium quae de se Deus manifestare dignatus est, omnibus populis obveniat. Hoc vero fit praedicatione evangelii, qua impletur

illud : plena est omnis terra gloria eius, quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes (Is. 6,3; 11,9). Christus itaque non obstante horrore naturali libenter amplectitur mortem acerbissimam dilectione Patris, cuius gloriam manifestatum et agnitum iri sua morte praevidet. Ostendit in hac precatione veram naturam humanam, voluntatem humanam; eodem modo ut apud synopticos, ita apud hunc quoque evangelistam describitur angi et contristari; praeclaram nobis exhibet doctrinam et exemplum omni consideratione dignum. « Audiat homo qui sequi vult. Accessit forte hora terribilis, proponitur optio aut faciendae iniquitatis aut subeundae passionis; turbatur anima infirma, propter quam sponte turbata est anima invicta; praepone tuae voluntati voluntatem Dei » (*Aug.*).

Et exauditus est pro sua reverentia (Hebr. 5,7) et uti voce coelesti in ministerium publicum introductus est (Matth. 3,17), ita fine iam appropinquante eodem modo testimonium accipit : *venit ergo vox de coelo : et clarificavi et iterum clarificabo* scil. nomen meum (*Chr. Theoph. Cai. Ians. Bar. Corl. Schg.*), alii supplent : clarificavi te et clarificabo (*Bed. Thom. Mald. Patr. Schz. Fil.*) vel iungunt utrumque : nomen meum et te (*Theoph. Rup. Cai. Tol.*). Quae tamen discrepantia potius est apparens quam vera. Oportet enim distinguere inter verba et rem verbis designatam. Verba si quaesieris, supplendum erit *nomen meum;* Iesus enim rogaverat : Pater clarifica nomen tuum. Exauditur, respondet Pater : clarificavi et clarificabo, proin certe nomen meum, id quod Filius rogavit. « Clarificaverat enim nomen suum Pater, dum tam insignia bonitatis et potentiae suae testimonia per Dominum agentem in carne ediderat; rursum illud clarificaturus erat multo magis misso Paracleto, qui usque ad extremum terrae evangelium gratiae erat per apostolos praedicaturus et credere huic quam plurimis daturus » (*Ians.*). At si rem spectaveris, in miraculis Christi, in eius resurrectione etc. simul cum gloria Patris intime coniuncta est gloria Filii, uti dicitur de miraculo resuscitationis Lazari, illius infirmitatem esse pro gloria Dei ut glorificetur Filius Dei (11,4) et gloria Patris manifestatur in Filio, ut homines credant in Filium (11,42). Praeterea, ut *Cai.* notat, in petitione Iesu id intendebatur, et continebatur ut nomen Patris glorificaretur in propria ipsius Iesu glorificatione futura per meritum passionis et mortis eius; unde in responsione ad petitionem, si res ipsa spectatur, utrumque affirmatur et glorificatio Patris et glorificatio Filii.

Vox dicitur venisse de coelo, quia de supernis audita est; de se vox erat distincta (*Rup. Mald. Bar.*), cf. v. 30; at ut fieri solet, si multi circumstant, aliqui prae socordia vel turbatione mentis, vel animo

alias occupato, singula verba non perceperunt, sed tantum sonitum quendam v. 29 *turba ergo quae stabat et audierat dicebat tonitruum esse factum;* cum vox illa subito sit allata nullo id exspectante facile fieri potuit ut multi aliis cogitationibus intenti eam non distincte caperent. « Unde hoc putarunt? annon clara et conspicua vox fuit? verum cito avolavit ab illis, utpote crassioribus, carnalibus, segnibus » (*Chr.*) Magnitudo vocis indicatur quod tonitru factum esse putarunt (*Rup.*); *alii dicebant : angelus ei locutus est,* in Scriptura namque legerant angelos prophetis locutos esse (*Tol.*) et alias quoque angelorum ad homines locutio commemoratur; cf. Gen. 16,9; 21,17; 22,11; 31,11; Num. 22,32. Iud. 2,1; 5,23; 6,20; 13,13 etc. etc. Hisce v. 30 *respondit Iesus et dixit : non propter me haec vox venit, sed propter vos;* sed si propter illos data est, non potuit esse sonitus quidam indistinctus (*Theod. M.*), verum debuit esse de se clara, distincta, intelligibilis. Non, inquit, ut scirem ego quod antea nesciebam, vox haec venit, sed ut vos credatis nunc quoque coelesti testimonio confirmati (*Rup.*).

Atque vocem illam missam esse in gravissimo rerum discrimine, quo simul explicatur quid sibi velit ista clarificationis sponsio (*Rup.*), sequentibus innuitur v. 31 *nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras;* quaerunt quale iudicium intelligatur. Iudicium condemnationis (*Bar. Corl. Schz. Fil.*), discretionis (*Aug. Rup.*), liberationis (*Tol. Mald. Bar. Lap.*) respondent, ἐκδίκησιν nominant *Chr. Cyr. Theoph.* Quale sit iudicium mundi, videtur declarari altero membro, eo scil. quod princeps mundi huius, diabolus, qui imperio ac tyrannide sua homines peccatis et idololatria obstrictos tenet, a sede et auctoritate depellendus est (cf. *Aug. Cai. Ians.*). Is itaque qui habebat mortis imperium destruendus, suo imperio privandus est (Hebr. 2,14). Unde est iudicium condemnationis mundi i. e. eorum qui quasi filii diaboli sunt; cf. 8,44; et diabolo devicto omnibus offertur libertas filiorum Dei; omnes in illud quasi momentum adducuntur quo statuere oporteat utri nomen dent, Christo an eius adversario, diabolo. Christus est fortior ille qui fortem armatum vicit, arma eius abstulit, spolia eius distribuit (Luc. 11,22; cf. Is. 49,24. 25). Haec eiectio diaboli est illa victoria iam in primordiis generis humani promissa, qua semen mulieris caput serpentis contriturum esse praedicitur (Gen. 3,15 hebr. graece) et quam victoriam apostolus singulis apprecatur : Deus pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter (Rom. 16,20). Etiam apud rabbinos diabolus vocatur שַׂר הָעוֹלָם; cf. 2 Cor. 4,4.

Diaboli potestate deiecta Christus omnia in suam potestatem et principatum convertet et trahet v. 32 *et ego si exaltatus fuero a terra omnia traham ad me ipsum,* v. 33 *hoc autem dicebat significans qua morte*

esset moriturus; cf. 3,14; post mortem Christi et merito et efficacia huius mortis potentissima Christi dominatio stabilietur et regnum messianum per orbem propagatum omnes hominum rerumque conditiones ordinesque ad divinum consecrabit obsequium. Uti supra dixit Patrem trahere ad Filium (6,44), ita nunc se profitetur omnia ad se ipsum trahere, in quo solo scil. omnis salus constituta sit. In ipso trahendi verbo declarat vim et efficaciam, qua animos hominum sua gratia et invitatione pulsat et potenter ad sui imitationem allicit et provocat. Affirmat quid ex sua parte acturus sit : trahet omnes (graece), sicut omnes illuminantur (1,9; 3,19). Verum utrum omnes hac luce utantur et illo tractu se duci sinant necne, penes liberum eorum arbitrium est. « Per exaltationem a terra suo more crucifixionem suam significat, quemadmodum Ioannes explanat, non solum quod per eam vere corpus attolleretur a terra, sed etiam quod per eam in coelum Christus esset subvehendus usque in dexteram Patris » (*Ians.*). Atque hoc alterum innui videtur dictione ἐκ τῆς γῆς.

Turbae imbutae sunt ea notione messiana, qua existimant regnum davidicum in aeternum manens esse restituendum. Audientes verba Christi intellexerunt eum iri ablatum a terra; quare v. 34 *respondit ei turba : nos audivimus ex lege*, e sacris litteris quarum lectio fit singulis sabbatis in synagogis (Luc. 4,16. Act. 13,15; 15,21), *quia Christus manet in aeternum;* cf. Is. 9,7 super regnum eius (David) sedebit (Messias) ut confirmet illud et corroboret amodo et usque in sempiternum; Dan. 7,13. Ps. 109,4; pariter de regno aeterno 2 Reg. 7,16; Ier. 33,17 seq. etc. *et quomodo tu dicis : oportet exaltari Filium hominis?* unde censent *Mal. Ians. Bar.* sermonem Christi non referri integrum, haec quoque verba eadem a Christo esse dicta. Sed immerito. Nam ex iis quae Iesum dixisse evangelista narrat, turba haec quaerere poterat. Nam Iesum se dicere Filium hominis saepe audierant, Filium hominis designationem esse Messiae etiam eo tempore satis notum erat (Dan. 7,13); *quis est iste Filius hominis?* tu plane alium nobis proponere vis Messiam; quis est ille Messias quem tu contra legem praedicas? nos talem non agnoscimus. Garrulitate quadam et malignitate (*Chr.*) Christo haec opponunt. Quare Christus quaestione illa omissa eos monet, ut quamdiu iis gratia et opportunitas doctrinae offeratur, ea utantur. Quod si facerent, utique etiam illa solveretur obiectio; v. 35 *dixit ergo eis Iesus : adhuc modicum* μικρὸν χρόνον solum per breve tempus abhinc *lumen in vobis est* apud vos est, vobiscum est τὸ φῶς qui vos doceat veritatem; is utique quam maxime Christus est; de quo plerumque verba explicant (cf. 7,34) et qui iam in eo est ut vadat ad Patrem. Sed cum adhortatio in universum proferatur ne-

que discessu Christi Iudaeis opportunitas doctrinae et ingressus in regnum messianum ablata sit, praeplacet lumen intelligere de Christo et de iis quos tamquam suos legatos ad eos mittet secundum illud Pauli : sic enim praecepit nobis Dominus : posui te in lucem gentium (Act. 13,47) et quia cum praedicatione coniungitur a Deo gratia interna illustrationis et piae motionis, merito de lumine fit mentio.

Modicum vero tempus lumen cum iis erit, non solum quia Christus mox terram est relicturus, verum potius quia iudaica natio, si Messiam respuerit, brevi est interitura. Quare toti nationi et singulis dicitur : *ambulate dum lucem habetis ut non vos tenebrae comprehendant;* quamdiu lux adest, tuto procedi potest; omne enim viae impedimentum cernitur; addita comminatione *ut non*... declarat instare periculum ne lux auferatur; monet ut diligenter lucis opportunitate utantur; nam luce exstincta omnis progressus est incertus et plenus discrimine; *et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat*, in quod periculum et obstaculum impingat, in quam abyssum incidat. Unde v. 36 *dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis;* lux uti est illustratio, ita metaphora quoque est laetitiae ac beatitatis. Fides est lux (2 Cor. 4,6) qui secundum fidem vitam instituit, in luce dicitur ambulare; Christus est lux, qui eum sequitur, non ambulat in tenebris; qui eum sequitur, filius est lucis, huius scil. lucis naturam et similitudinem in se exprimit, quare particeps erit salutis et beatitatis eritque filius gloriae; *haec locutus est Iesus et abiit et abscondit se ab eis;* iis diebus vespere abiit in Bethaniam (Matth. 21,17; Marc. 11,11) vel morabatur in monte oliveti (Luc. 21,37).

c) Epilogus de Christi ministerio publico 12,37-50.

12,37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, 38. Ut sermo Isaiae prophetae impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? 39. Propterea non poterant credere : quia iterum dixit Isaias : 40. Excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum; ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. 41. Haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo.

42. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur. 43. Dilexerunt

12, 37. Τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ σημεῖα πεποιηκότος ἔμπροσθεν αὐτῶν, οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτόν· 38. ἵνα ὁ λόγος Ἡσαΐου τοῦ προφήτου πληρωθῇ, ὃν εἶπεν, Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; καὶ ὁ βραχίων Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; 39. διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν, ὅτι πάλιν εἶπεν Ἡσαΐας, 40. Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμούς, καὶ ἐπώρωσεν αὐτῶν τὴν καρδίαν· ἵνα μὴ ἴδωσιν τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσιν τῇ καρδίᾳ καὶ στραφῶσιν καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. 41. ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτι εἶδεν τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησεν περὶ αὐτοῦ.

42. Ὅμως μέντοι καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν· ἀλλὰ διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυν-

enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

44. Iesus autem clamavit et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum : non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum.

48. Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum : sermo quem locutus sum ille iudicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. 50. Et scio quia mandatum eius vita aeterna est. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

άγωγοι γένωνται· 43. ἠγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ.

44. Ἰησοῦς δὲ ἔκραξεν καὶ εἶπεν, Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ πιστεύει εἰς ἐμέ, ἀλλ' εἰς τὸν πέμψαντά με· 45. καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με. 46. ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, ἵνα (πᾶς) ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ. 47. καὶ ἐάν τίς μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων καὶ μὴ φυλάξῃ ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτόν· οὐ γὰρ ἦλθον ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον.

48. ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτόν· ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖνος κρινεῖ αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. 49. ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα· ἀλλ' ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν δέδωκεν, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω· 50. καὶ οἶδα ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν. ἃ οὖν ἐγὼ λαλῶ, καθὼς εἴρηκέν μοι ὁ πατὴρ, οὕτως λαλῶ.

In v. 37 F τοιαυτα. In v. 39 c non credebant. In v. 40 sin et audiant (loco : intelligant corde). In v. 41 οτι ειδεν ℵ A B L M X aliq minusc sah cop arm Nonn Cyr Or; e quia; al οτε quod sane praeferendum est. Omittunt v. 45 U aliq minusc b cav for. In v. 46 B om πας; item om sin; sin non stabit sine lumine. In v. 47 pler φυλαξῃ; sed πιστευσῃ E F G M S U Γ Δ Λ go f et crediderit. In v. 49 sin ex meo sermone non sum locutus; v. 50 mandata eius; item rush.

Historiam huc usque conscriptam evangelista concludit epilogo quo incredulitatem Iudaeorum incusat, qui tot signis Christi visis fidem vel penitus negabant vel palam profiteri verebantur. Ne quis autem ex hac Iudaeorum pervicacia ipsam missionem Christi in dubium vocet, monet evangelista id evenisse quod ipsis vaticiniis iam dudum erat praedictum. Culpam vero Iudaeorum demonstrat tum mentione facta tot signorum Christi tum commemoratis praecipuis quibusdam doctrinae Christi capitibus : fide in Christum contineri salutem; incredulitate incurri perniciem; Christi doctrinam a Deo missam esse vitam aeternam.

Finem impositurus narrationi de vita publica evangelista adiungit quandam conclusionem qua effectum praedicationis et miraculorum Christi apud primores populi colligit et describit v. 37 *cum autem tanta signa* τοσαῦτα tot signa (cf. 6,9; 14,9; 21,11; *Cai. Mald. Tol. Ians. Lap. Bar. Schg. Schz. Fil.*) *fecisset coram eis, non credebant in eum;* multo plura fecit quam evangelista narrat; aliorum narrationes notas supponit et praeterea monet 20,30 multa alia signa Iesum fecisse. In primordiis rei christianae et Iudaeis et gentibus magna ena-

scebatur difficultas ex eo quod illi ipsi quibus regnum messianum primo erat promissum ac destinatum, illud repudiabant. De hoc multorum offendiculo agit apostolus in epistola ad Rom. 9 seq.; de eodem hic paucis tractat evangelista. Eius rei offensionem et admirationem removet ostendens eorum incredulitatem iam a prophetis esse annuntiatam; proinde tantum abesse, ut sit testimonium contra regnum messianum, ut regnum messianum esse conditum valentissimo argumento confirmet. Quare dicit: non credebant, v. 38 *ut sermo Isaiae prophetae impleretur quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro* τῇ ἀκοῇ, annuntiationi nostrae, *et brachium Domini cui revelatum est?* ἵνα πληρωθῇ; Deus praescius futurorum praevidit incredulitatem eorum; quod Deus praevidit Iudaeos libere facturos hoc inspiravit prophetae praedicendum; praedixit infidelitatem, non fecit; « non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit » (*Aug.*); praescientia Dei nullam necessitatem hominibus importat, « quomodo nec visus meus ei quem ambulare video ullam ambulandi necessitatem irrogat » (*Rup.*).

Proinde quia haec incredulitas a Deo praevisa et praedicta est et Iudaei incredulitate sua oraculum illud implent, haec eorum incredulitas fidem aliorum in Christum non modo non debet infirmare, sed potius provocare et confirmare. Inde evangelista incredulitatem eorum factam dici potest ad implendum oraculum, ἵνα πληρωθῇ, « Deus praedixit incredulitatem quia futura erat ex eorum culpa, et cum a Deo esset praedicta, infallibiliter futura erat; unde ordo praevisionis inversus est ab ordine exsecutionis, et in utroque ordine nexus inter vaticinium et eventum; hic ἵνα necessario sumendum *causative* » (*Corl.*); nam quae praedicta fuerant, eveniunt *ideo, ut* oracula impleantur (*Patr.*, de evang. diss. 15 n. 55). Ita igitur ἵνα nativa sua significatione retinetur (cf. *Ians. Corl. Patr. Schg. Schz. Fil.*), neque opus est, ut cum multis dicamus ἵνα solum ἐκβατικῶς adhiberi de eventu : ita ut impleretur. Iudaei quidem non ea intentione increduli erant, Deus autem eorum incredulitatem praevisam et praedictam permisit et ordinavit, ut ipsa haec impletio oraculi evaderet testimonium Christi. Verba vaticinii Is. 53,1 videntur solos spectare Iudaeos; id enim suadetur ex oppositione ad 52,15 (cf. 65,1. 2), ex eo quod saepius et etiam in subsequentibus Isaias loquitur nomine populi; porro in aliis quoque locis reliquiae i. e. pauci ex Israel efferuntur, sed de gentibus modus loquendi cernitur universalis (Is. 2,3. 4; 11,10; 25,6; 49,21; 60,3 seq. 65,1). Ceterum vide meum Comment. in Is. II p. 295 seq.

Deus praevidit eos pro sua malitia non esse credituros idque per prophetam praedixit, unde necessitate consequente aliter fieri nequi-

bat v. 39 *propterea non poterant credere;* « sensus est fieri non potuisse ut non id impleretur quod per Isaiam Deus futurum praedixerat; cur autem praediceret causam ex eo fuisse, quod ita futurum esse praevideret » (*Patr.*) et rationem ulterius explicat addens ad quantam caecitatem et cordis duritiem iusto Dei iudicio propter gratias neglectas adducti sint, *quia iterum dixit Isaias :* v. 40 *excaecavit oculos eorum et induravit cor eorum, ut non videant oculis et non intelligant corde et convertantur et sanem eos;* verba haec ipse Christus usurpavit de iis, qui videntes Christi miracula et audientes ipsius de se testimonia repugnabant tamen veritati annuntiatae; quare idem illis accidere Christus ait quod in populo obdurato et tot monitionibus rebelli ac contumace evenit tempore Isaiae (cf. Matth. 13,13. 14). Eodem modo eodemque sensu evangelista loquitur. Oraculum illud Is. 6,10 adducens ostendit idem quod Paulus Iudaeis Romae degentibus dixit : bene Spiritus sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros (Act. 28,25) ; indicat enim uti patres ita filios quoque esse idemque nunc cerni quod generationibus praeteritis, et in rebus olim gestis exhiberi imaginem futuri temporis. Nam Isaiae dictum est : excaeca cor populi huius etc.; i. e. ea est iam populi perversitas, ut monitiones prophetae eos ad maiorem pervicaciam et obdurationem provocaturae sint. Deus autem suis promissis stans mittit prophetam eumque iubet pro munere suo praedicare, admonere, reprehendere, licet praevideat verbis prophetae animos rebelles magis iri obduratum : unde excaeca etc. (hebr.; vide Comment. in Is. I p. 138 seq.). Si itaque oraculum illud de ultimo tempore vitae publicae Christi usurpatur, eo ipso docemur qualem animorum habitudinem Christus et evangelista nobis describere velint. Inde quoque elucet quo sensu dicatur : *non poterant credere;* « nam malus et improbus homo non potest credere quamdiu talis fuerit, mala eligens et volens » (*Theoph.*), non poterant scil. prohibiti a malitia et caecitate sua (*Euth.*), habebant enim voluntatem obstinatam in malitia sua (*Thom.*). Quare non opus est explicare : nolebant credere (*Chr.*) ad evadendam obviam difficultatem; at dicit iam *Bon. :* « sed illud non solvit, quia tunc facile esset omnia solvere; quare non dixit evangelista : non volebant, cum ita bene haberet ad manum? Aliquid non posse dicitur dupliciter, aut quia nullo modo potest, aut quia cum magna difficultate potest, et secundum istam viam dicitur quod vir excaecatus non potest credere et evangelista hoc vult dicere; causa erat propria malitia et divinum iudicium, iudicium scil. desertionis, ut Augustinus : excaecat et obdurat Deus deserendo, non adiuvando, quod occulto iudicio fieri potest, non tamen iniusto ». Causa quippe cur Deus non infundat gratiam adeo poten-

tem qua homo velit excutere malitiam, est, ut *Thom.* ait, « ex parte nostra, in quantum scil. in nobis est aliquid gratiae divinae repugnans, et quia nos a Deo recedimus, ideo gratiam suam nobis subtrahit: et est simile sicut si aliquis clausisset fenestram domus et diceretur ei: tu non potes videre, quia privaris lumine solis. Sed hoc non esset ex defectu solis, sed quia ipse sibi lumen solis interclusisset. Et similiter hic dicitur: non poterant credere, quia Deus excaecavit eos, quia scil. ipsi causam praestiterant ut excaecarentur », scil. relinquentes Deum (*Cyr. Theoph.*).

De verborum ex Is. 6.10 allegatione valet illud quod monet Hieronymus: in omnibus scripturis sanctis apostolos non verba considerare sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant (in Am. 5.27: *Patr.*); v. 41 *haec dixit Isaias, quando vidit gloriam eius et locutus est de eo;* luculentissimum est testimonium de divinitate Christi ab evangelista perhibitum; nam *eius* et *de eo*, haec pronomina non alium designant nec possunt hic designare quam Christum. Sed Isaias dicit se vidisse regem Iahve sabaoth (Is. 6.5). Docet itaque apparitione illa repraesentari Verbum, Λόγον, Messiam et Redemptorem futurum, qui populum suum, uti olim per prophetam, ita nunc per seipsum admonet — at, quemadmodum olim doctrina prophetae primores ad maiorem pervicaciam provocati sunt aegre ferentes reprehensionem vatis (cf. Is. 5.19; 7.12; 9.10; 28.9. 10 etc.), ita eodem modo primores ex Christi operibus et doctrina ansam capiebant obdurationis et summae malitiae, dum v. g. eum foederis cum Beelzebub initi accusarent. Unde facile cernitur quae intercedat similitudo inter tempus Isaiae et Christi, quae inter prophetae admonitiones et Christi; valet enim suo modo et de propheta et de Christo illud: excaeca cor populi huius; quare eadem verba Christus quoque usurpat (Matth. 13.14; Marc. 4.12; Luc. 8.10).

Non utique deerant etiam ex primoribus qui in ipsum crederent; at tanta erat tyrannis et auctoritas synedristarum, ut palam fidem suam profiteri illi minime auderent v. 42 *verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisaeos non confitebantur, ut e synagoga non eiicerentur;* ut ex synopticis elucet, pharisaei erant Iesu infensissimi (cf. Matth. 9.34; 12.14. 24 etc. et vide Ioan. 4.1; 7.32. 47 seq. 9.16); pharisaeorum autem auctoritate cuncta regi et administrari *Iosephus* testatur scribens inter alia: si quando sadducaei magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti pharisaeorum opinioni assentiuntur (Antiq. 18.1.4). De eiectione e synagoga vide 9.22. Quale fuerit et sit impedimentum confessionis fidei, declaratur v. 43 *dilexerunt enim gloriam hominum* laudem et approbationem ab hominibus accipiendam *magis quam gloriam Dei*, laudem et gloriam a Deo haben-

dam; valet scil. de iis quod Iesus dixit 5,44 : quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis? Pharisaei metu coercebant omnes; cf. 7,13; 19,38.

Alii itaque ex primoribus omnino contumaces Christum odio letali prosequuntur, alii non audent fidem suam palam profiteri — et tamen quanti momenti quantaeque necessitatis est fides in Christum! Hoc alterum in epilogo nunc ostendit evangelista in unum locum colligens aliqua Iesu effata, quibus summa quaedam habetur eorum quae Christus docuit (cf. *Patr. Schz.*) v. 44 *Iesus autem clamavit* cum emphasi, magna cum auctoritate edixit atque docuit *et dixit: qui credit in me, non credit in me* i. e. in hoc quod videt, quia solum homo apparebat hominibus (*Aug.*), non se existimet homini soli fidem dare, *sed in eum qui misit me;* vide 5,36 seq. 6,45; 7,28; 8,19. 42; 10,30; nam v. 45 *et qui videt me, videt eum qui misit me;* cf. 1,14. 18; 3,11. 13; 5,17. 18 seq. 8,19; 10,38; additur hoc, « ne quis putet superiorem sententiam in eo sensu pronuntiatam esse, sicut dici solet: qui credit prophetae misso a Deo, credit in Deum; unde dicit: non sum ego, sicut propheta; verum est in me divinitas ipsamet Patris huic unita humanitati, quia sum Filius Dei eandem cum Patre habens deitatem et substantiam » (*Tol.*). Si enim qui videt eum videt Patrem, profecto una eademque est utriusque natura; cf. 10,30; 14,7-10.

Porro quam necessarius et salutaris sit Christi adventus, proinde quam necessaria in eum fides, declarat v. 46 *ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat,* vide 1,9; 8,12; 3,19; 12,35; credere in eum est itaque oculos mentis huic luci aperire et ea luce velle illustrari et ea luce in vita dirigi; lucerna pedibus meis verbum tuum (Ps. 118,105). Credentes igitur ex tenebris ignorantiae et peccatorum eripiuntur. Qui vero non credunt, his eadem lux in perniciem erit; nam Christus quidem venit ad salutem largiendam, non ad iudicium in priore suo adventu (v. 47), at simul pro altero annuntiavit iudicium condemnationis in incredulos (v. 48) v. 47 *et si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non iudico eum; non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum;* postulat ut quae docuit opere expleantur; φυλάσσειν i. e. mandata et praecepta observare (Matth. 19,20. Luc. 11,28; 18,21 etc.); nunc ergo est tempus misericordiae, post erit iudicii (*Aug.*); ego non iudico vide 3,17; 8,15; v. 48 *qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die;* vide 3,18; 5,22. 27. 29; cf. Marc. 16,16 qui vero non crediderit condemnabitur; uti apud synopticos et supra 5,28 seq., ita hic quoque doctrina traditur de die novissimo, de ultimo iudicio; « satis manife-

stavit semetipsum iudicaturum in novissimo die; seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum ianuam posuit, qua ipse ad oves pastor intraret » (*Aug.*).

Et causam affert, cur sermo a se dictus condemnaturus sit infideles v. 49 *quia ego ex me ipso non sum locutus*, sermo meus non est meri hominis (*Tol.*), vide 8,28; sed *qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar;* vide 5,19. 20. 24. 30; 7,16 mea doctrina non est mea; 8,16. 28. 29. 55; τί εἴπω καὶ τί λαλήσω ad emphasin orationis est dictum (*Schz.*). Estne aliquid discriminis statuendum? potest dici εἰπεῖν esse loqui ita ut sonus, affectus, enuntiatio connotetur; λαλεῖν autem dicere locutionem familiarem, amicam (cf. *H. Schmidt*, Synonymik I p. 31. 86). Talem sermonem spernere, summopere scelestum est; est etiam quam maxime damnosum; nam v. 50 *et scio quia mandatum eius vita aeterna est*, i. e. id quod Christus ex Patris mandato dicit et loquitur, uti in v. 49 habetur; cf. 6,69 verba vitae aeternae habes; vide 5,24. 40; 6,40. 47. Proinde qui Christi verba non accipiunt, hoc ipso vita aeterna se exsortes faciunt; en qua ratione Christi sermo de his iudicet (*Patr.*). Quae Christus a Patre missus docuit et mandavit, causa sunt vitae aeternae, quia credentibus et custodientibus illa datur vita aeterna. Dicit *et scio*, ut sententiae gravitatem augeat et eos suo hoc testimonio terreat (*Tol.*). Concludit provocans ad Patris mandatum quod accurate exsequitur : *quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor;* cf. 8,26 ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo. Ita ille dixit, ut verax est, ita iste loquitur ut veritas (*Aug.*). Est fidelissimus legatus qui non solum dicit quae dixit ei Pater, sed nec in modo loquendi exit fines mandati; sed sicut loquendum mandavit Pater, sic loquitur ipse Iesus (*Cai.*).

Patet itaque verba in v. 44-50 recitata colligere effata Christi antea tradita. Adiunguntur ad epilogum; adiunguntur postquam evangelista sermones Iesu publice habitos absolvit scribens : haec locutus est Iesus et abiit et se abscondit ab eis v. 36. Quare improbabilis est eorum sententia qui verba illa vel ad v. 36 addi velint, ut dicta eadem occasione, vel ea ad alium sermonem publicum ultimis diebus habitum referunt. Prius sane gratuito statuitur; cur enim ea in conditione evangelista ea separasset? alterum quoque ipsa narratione in v. 36. 37 excluditur. Ergo relinquitur quod dictum est recoli in hoc epilogo summam eorum quae Christus docuit et quibus infidelitatis Iudaeorum scelus et damnum graviter effertur. Neque obstat quod non singula effata verbatim cum prioribus congruunt. Id enim alias quoque apud evangelistam observari potest; cf. 6,36; 11,28. 40; similiter etiam 6,66 et recole qua ratione verba Scripturae veteris foederis proferantur 12,15. 40.

PARS ALTERA 31,1-21,25.

Hac altera parte continetur manifestatio gloriae Christi in eius ex hac vita discessu praeparando, in passione, in resurrectione. Dum enim discipulos ad suum propius praeparat discessum, maximum quoddam iis exhibet documentum dilectionis et doctrinae, et simul se esse scrutatorem cordium manifestat. Illud documentum iis in lotione pedum tradit; hanc manifestationem exhibet in traditore designando et in praedicenda Petri negatione (13,1-38). Consolaturus discipulos de suo discessu sese illis manifestat abiturum ad Patrem, iis mansionem paraturum, se esse aequalem Patri, hac fide cuncta illos obtenturos; venturum ad eos Spiritum sanctum, se et Patrem apud eos mansionem facturos; suppleturum Spiritum sanctum doctrinam a se traditam, suam se iis pacem relicturum (14,1-31). Porro se iis manifestat talem cum quo necesse sit intimam habere unionem, ut boni quid proferatur; sine qua unione extrema instat pernicies. Quare praeprimis opus est observatione praeceptorum Iesu in eius manere dilectione, in qua dilectione firmi odium mundi minime timebunt (15,1-27). Utique affirmat graves iis instare persecutiones; at eos consolatur promittens se missurum Spiritum sanctum, qui sibi et operi suo testimonium exhibebit, et promittens se reversurum ad eos et eos gaudio affecturum; ad fiduciam eos provocat, nam a se vinci mundum (16,1-33). Insigni modo sese discipulis quoque manifestat in oratione illa quam ut Pontificem fundere merito dicunt; in qua suam a Patre gloriam petit, pro discipulis ad Patrem orat et omnes demum fideles Patri commendat, ut sint unum inter se, unum secum et cum Patre, suae demum gloriae consortes. Talem sui sacrificii fructum a Patre petit (17,1-26).

Gloriam Christi in passione quoque manifestari evangelista iam antea ostendit, dum Iesus dicat se animam suam ponere pro suis ideoque se diligi a Patre, dum asserit se libere ponere (10,11-18), dum dicit passione sua principem mundi iri eiectum et se passione omnia ad se tracturum (12,31. 32). In ipsa quoque passione relucet eius gloria; patitur enim quia vult, omnino libere; innocentia eius a iudice romano non semel publice proclamatur, se esse regem et ut veritati testimonium perhiberet natum et in mundum venisse coram iudice profitetur; in mortem traditur quia est Filius Dei et ab ipsa cruce eius ti-

tulus : rex Iudaeorum profertur. Gloria eius in impletione vaticiniorum quoque demonstratur, et in fideli mulierum piarum et discipuli ad crucem praesentia et in honorifica sepultura (18,1-19,42). Gloria eius manifestatur demum eximio modo eius resurrectione, quam testantur sepulcrum vacuum, apparitio facta Mariae Magdalenae et apparitiones tres discipulis factae; gloriam suam manifestat mittens discipulos sicut ipse missus sit a Patre iisque potestatem conferens remittendi et retinendi peccata et Petro committens curam et regimen suae Ecclesiae (20,1-21,25).

1. *Iesus discessum e vita praeparat* 13,1-17,26.

Multipliciter in hac quoque parte suam manifestat gloriam; ostendit modo plane singulari suam in discipulos dilectionem, curam, sollicitudinem; praeclara edit documenta suae divinitatis, loquens de ratione quae sibi intercedat cum Patre et Spiritu sancto et docens in sola secum unione intima salutem haberi. Demum rationibus efficacissimis discipulos de suo discessu consolatur proponens et promittens bona quae ex discessu redundatura sint; insuper illis alium mittet Opitulatorem qui opus suum messianum ad perfectionem sit adducturus.

a) Lotio pedum 13,1-17.

13,1. Ante diem festum paschae, sciens Iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et coena facta, quum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae : 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, 4. Surgit a coena, et ponit vestimenta sua; et quum accepisset linteum, praecinxit se : 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat praecinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes? 7. Respondit Iesus et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in aeternum. Respondit ei Iesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon

13,1. Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἦλθεν αὐτοῦ ἡ ὥρα ἵνα μεταβῇ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου πρὸς τὸν πατέρα, ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς. 2. καὶ δείπνου γινομένου, τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν ἵνα παραδοῖ αὐτὸν Ἰούδας Σίμωνος Ἰσκαριώτης, 3. εἰδὼς ὅτι πάντα ἔδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας, καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθεν καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει, 4. ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, καὶ τίθησιν τὰ ἱμάτια, καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν· 5. εἶτα βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, καὶ ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ ᾧ ἦν διεζωσμένος.

6. ἔρχεται οὖν πρὸς Σίμωνα Πέτρον· λέγει αὐτῷ Κύριε, σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας; 7. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. 8. λέγει αὐτῷ Πέτρος, Οὐ μὴ νίψῃς μου τοὺς πόδας εἰς τὸν αἰῶνα. ἀπεκρίθη

Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. 10. Dicit ei Iesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua; quum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me Magister, et Domine; et bene dicitis : sum etenim. 14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. 16. Amen, amen dico vobis : non est servus maior domino suo, neque apostolus maior est eo qui misit illum. 17. Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea.

Ἰησοῦς αὐτῷ, Ἐὰν μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ. 9. λέγει αὐτῷ Σίμων Πέτρος, Κύριε, μὴ τοὺς πόδας μου μόνον, ἀλλὰ καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν. 10. λέγει αὐτῷ Ἰησοῦς, Ὁ λελουμένος οὐκ ἔχει χρείαν εἰ μὴ τοὺς πόδας νίψασθαι, ἀλλ' ἔστιν καθαρὸς ὅλος· καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες. 11. ᾔδει γὰρ τὸν παραδιδόντα αὐτόν· διὰ τοῦτο εἶπεν, Οὐχὶ πάντες καθαροί ἐστε.

12. Ὅτε οὖν ἔνιψεν τοὺς πόδας αὐτῶν, καὶ ἔλαβεν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ καὶ ἀνέπεσεν, πάλιν εἶπεν αὐτοῖς, Γινώσκετε τί πεποίηκα ὑμῖν; 13. ὑμεῖς φωνεῖτέ με, Ὁ διδάσκαλος, καὶ Ὁ κύριος· καὶ καλῶς λέγετε, εἰμὶ γάρ. 14. εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, ὁ κύριος καὶ ὁ διδάσκαλος, καὶ ὑμεῖς ὀφείλετε ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας, 15. ὑπόδειγμα γὰρ ἔδωκα ὑμῖν, ἵνα, καθὼς ἐγὼ ἐποίησα ὑμῖν, καὶ ὑμεῖς ποιῆτε. 16. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Οὐκ ἔστιν δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. 17. εἰ ταῦτα οἴδατε, μακάριοί ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά.

In v. 2 γινομενου ℵ* B L X aeth Or Nonn, r cum fieret cena, d cum fieretur; ιουδα σιμωνις ισκαριωτου A D Γ Δ Λ Π unc 7 al pler a c e f dub (utr, hr, sin) aeth Or Chr Cyr; codd vulg pler scariotis; c e m diabolus misisset se in cor (corde) Iudae. In v. 4 sin om a coena, v. 5 et accepit aquam et fudit eam in pelvim, ut alq minusc D λαβων υδωρ βαλλει. In v. 7 sin om αρτι, uti b m e r. In v. 8 a b l am cav dun fuld ger hub car st corp lind harl non *habes* partem; item Wordsw. In v. 9 sin tum lavabis; add a b e l m et totum corpus. In v. 10 νιψασθαι sine addit ℵ Ti; etiam big ben dub fuld ger hub theod for car med st lind harl : non indiget ut lavet, eg rush ut iterum lavet; iterum lavari Aug, iterum lavandi Optat, non habet necesse iterum Tert. In v. 11 sciebat enim *ab initio* e l eg; sin propterea dixit hoc verbum. In v. 14 sin quam conveniens vobis est, ut etiam vos lavetis etc. In v. 17 beati estis a b c d l m q r, uti graece εστε.

Ex concordi evangelistarum narratione constat Christum feria quinta coenam paschalem celebrasse et feria sexta mortem obiisse, hanc autem feriam sextam non fuisse ipsum sollemnem diem festum Iudaeorum. Hoc ex nostro evangelista apertum est et ex synopticorum quoque de passione narratione omnino colligi debet. Texit Ioannes praecipue eorum descriptionem quae a synopticis non referuntur; silentio praeterit quae illi consignarant litteris. Ita apud eum nihil de esu agni paschalis, quem mentione facta coenae satis notum esse supponit, nihil de institutione eucharistiae, de qua promissionem illam et praeparationem ante annum factam cap. 6 narraverat; hisce, utpote notis, iam non commemoratis alia scitu dignissima in medium profert et

ea quidem ratione ut ostendat Iesum qui suos discipulos semper dilexerit iis ante passionem maximam amoris significationem ac testificationem exhibuisse. Quod suum consilium totidem verbis consignat v. 1 *ante diem festum paschae sciens Iesus quia venit hora eius* i. e. instare iam illam horam, de qua antea sermo erat 7,30; 8,20; 12,23. 27, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, monent *Aug. Rup. Thom. Bon. Lap.* pascha hebraice significare *transitum*, unde evangelistam veluti eam vocem interpretantem dicere, *ut transeat* etc.; *cum dilexisset suos qui erant in mundo*, quos ipse transiens ex mundo relicturus erat in mundo mediis in periculis, unde miseratione motus maiorem erga illos quam antea amorem ostendit (*Mald. Lap.*), *in finem dilexit eos* εἰς τέλος i. e. vehementiorem (σφοδροτέραν τὴν ἀγάπην) amorem iis exhibet (*Chr. Theoph.*), εἰς τέλος τὸ σφόδρα δηλοῖ (*Euth.*), perfectissimam dilectionem (τελειοτάτην ἀγάπησιν) exhibuit (*Cyr.* item *Ammon.* in cat. Cr.) eodemque modo explicant de specimine eximio atque indicio amoris *Bon. Mald. Bar. Patr. Corl. Schz. Fil. Weiss.* Sententia itaque haec est : ante festum paschae Iesus suis exhibuit insignem dilectionem; unde iungendum : ante festum paschae in finem dilexit suos. Adiunguntur duobus participiis duae causae, cur maximum illud amoris documentum exhibuerit : sciens instare tempus quo illos relinquat, et quia semper eos dilexit. Duae hae causae quam maxime aptae sunt, quibus maxima illa amoris significatio explicetur et commendetur. Solet enim dilectio amici optime augeri et exhiberi, si valedicere oportet amicis, et si semper amicum dilexit, iste amor ferventiore affectu se prodit in tempore separationis. Iesus autem animum habebat vere humanum, suorum amantissimum. Unde isto tempore discessus teneriore quoque dilectione suos prosequitur.

Dilectionem hanc eximio modo exhibitam non cernes in una solum lotione pedum, verum cum *Bar. Corl. Fil. Weiss* in omnibus illis quae Iesus eo tempore egit et dixit et praecipue praeter eucharistiae institutionem in iis quae cap. 13-17 referuntur. Quis enim negare poterit in Iesu sermonibus 14,1 seq. insignem pandi Iesu in suos amorem? Unde iam facile constabit evangelistam, cum de excellenti amore Christi hic loquatur non de una pedum lotione cogitasse, sed id enuntiasse quod in sequentibus praecipue spectandum sit et considerandum. Si itaque v. 1 quasi inscriptionem vel summam argumenti cap. 13-17 nominaveris, certe a rei veritate non aberrabis. — Intelligi *suos* τοὺς ἰδίους proprios ipsius apostolos nemini dubium esse potest et ex sequenti historia perspicuum est, ait *Mald.;* nihilominus aliqui (*Cyr. Ammon. Rup. Salm. Cai. Schg.*) suos notione generali de omnibus fidelibus ex Iudaeis et gentibus accipi volunt. At prior acceptio est vera. Cur enim dicat

τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ explicatur quia suos relicturus est in mundo ipse discessurus ex mundo, illos relicturus in periculis mundi.

Sententia itaque plana est : ante festum Iesus suis eximium dedit amoris documentum. Ita ipsis verbis et sensu plane cum sequentibus congruo suadetur. Quare inutile est cum *Schg.* aliisque asserere sententiam grammatice et logice interrumpi et periodum cum parenthesi adstruere : ante festum (sciens Iesus...) cum suos dilexisset et diligeret in finem... surgit a coena etc.; neque illud *ante festum* cum ἀγαπήσας iungi postest, ut alii volunt cum veri sensus detrimento. Nulla est in constructione grammaticali difficultas aut obscuritas, dummodo εἰς τέλος ea notione concipiatur qua graeci explicant. Obscuritas utique oritur, si accipitur : usque ad finem vitae (*Lap. Schg.*, *Aug.* inter alia) aut : in perpetuum (*Tol.*) aut : ad salutem (*Cai.*); tum quaerendum est ad quid tandem illud *ante festum* spectet; verum hae acceptiones gratuito asseruntur; εἰς τέλος enim duas habet notiones : postremo (usque ad terminum positum Matth. 10,22; 24,13; Marc. 13,13) Luc. 18,5 (vulg. in novissimo) et summo gradu (cf. 2 Mach. 8,29. Eccli 10,13 — prorsus, penitus, Lex. *Pape, Wahl,* Clavis s. v.; alia exempla praebet *Weiss*). Quis non videat alteram hanc notionem optime congruere? Explicat *Rup.* : dilectionem erga illos eo usque perfecit ultra quod non posset augeri, videlicet ut animam suam poneret pro illis (sim. *Aug. Bed.*); at adverti debet illud *ante festum.*

Primum eius amoris documentum est lotio pedum. Quantum hoc sit ut bene percipiatur, omnes conditiones accurate describuntur; monet scil. evangelista de proditione unius ex apostolis iam determinata, de excellentia Christi, de singulis actionibus in isto servili ministerio (v. 2-5); v. 2 *et coena facta* δείπνου γινομένου i. e. inter coenandum, coena iam coepta neque tamen finita; ita etiam textum vulg. explicant *Aug. Thom. Tol. Ians. Salm. Bar.* etc. et patet ita accipiendum esse (etsi γενομένου legatur cum aliis), quia surgit a coena v. 4 et v. 12 iterum recumbit lotione facta. Ex lectione γινομένου quam critici praeferunt, inferri potest lotionem pedum fuisse ante institutionem eucharistiae, quae scil. facta est μετὰ τὸ δειπνῆσαι, postquam coenavit (1 Cor. 11,25); *cum diabolus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotae*, iam suggestio illa diabolica facta erat, quando scil. unguentum effudit super caput Iesu mulier (*Euth. Ammon.*) et iam abierat Iudas ad principes sacerdotum : quid vultis mihi dare et ego eum vobis tradam? (cf. *Rup. Cai.;* Matth. 26,14. Luc. 22,3. 4). Uti in textu graeco 6,71, ita hic in textu vulg. pater Iudae dicitur Simon Iscariotes; alias ipse Iudas eo cognomine, vir ex Carioth, oppido in Iuda (Ios. 15,25) designatur (vide Comment. in Matth. I p. 376). Talis venerat ad convivium, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor

Redemptoris; iam talis venerat et videbatur et tolerabatur (*Aug.*). Praemittit autem id evangelista, ut Christi dilectionis magnitudinem et humilitatis profunditatem commendet qui et eius qui iam tradere decreverat pedes lavare non recusarit (*Tol.*).

Ad operis praestantiam efferendam addit alterum evangelista : quantus et qualis sit is qui non sit dedignatus talem aggredi rem (*Chr.*) v. 3 *sciens quia omnia dedit ei Pater in manus :* data est mihi omnis potestas in coelo et in terra (Matth. 28,18) *et quia a Deo exivit* i. e. a Patre genitus in mundum venit per Incarnationem (cf. 1,14; 3,31; 8,42) *et ad Deum vadit* scil. ut sedeat ad dexteram maiestatis in excelsis (Hebr. 1,3), et clarificetur apud Patrem claritate quam habuit antequam mundus esset (17,5) : haec omnia *sciens* i. e. quamquam suae potestatis, divinitatis et maximae exaltationis suae humanae naturae sibi maxime conscius erat, tamen more servi ministerium servile exhibuit suis, inter quos erat proditor. Ita *Cyr.* καίτοι γὰρ οὐκ ἠγνοηκὼς etc. (sim. *Aug. Ians. Bar. Corl. Schz.*). Locuturus quippe de tanta Domini humilitate prius celsitudinem eius voluit commendare evangelista (*Aug.*); alii in illis tribus cernunt causas impellentes (*Tol. Lap.*). Haec maxime insignia enumerans evangelista nos provocare vult ut magis admiremur Christum pedes discipulorum famuli instar abluentem, et ut eius exemplum et doctrina demissionis animi altius animis inhaereat. Quare singula enumerans totam actionem oculis quasi spectandam subiicit v. 4 *surgit a coena et ponit vestimenta sua* i. e. amictum superiorem (מְעִיל) et pallium (אַדֶּרֶת), i. e. ea vestimenta quae retenta tunica interiore (כֻּתֹּנֶת) deponi poterant, *et cum accepisset linteum praecinxit se* v. 5 *deinde mittit aquam in pelvim;* facile concipies quanta admiratione discipuli singula spectarint secum cogitantes : quid haec sibi velint. Bene expendit *Chr.:* « vide quomodo non lavando solum, sed et alio quoque modo humilitatem exhibeat; non enim antequam recumberet, sed postquam omnes recubuerunt, tunc surrexit; deinde non solum lavat, sed positis vestibus; neque his contentus linteo se praecingit; neque id satis habuit, sed ipse pelvim implevit, neque alteri implendam tradidit, sed haec omnia ipse facit ».

In tota narratione simplicitas illa Ioanni propria et veritatis index certissima splendet (*Patr.*), *et coepit lavare pedes discipulorum et extergere linteo quo erat praecinctus;* v. 6 *venit ergo ad Simonem Petrum;* haec verba aliter ab aliis intelliguntur; alii enim ita concipiunt, ut non a Petro lavandi initium ceperit (*Or. Chr. Barh. Theoph. Euth. Tol. Weiss*); alii, ut exprimatur a Petro eum incepisse (*Aug. Nonn. Bed. Rup. Bon. Cai. Salm. Mald. Ians. Bar. Lap. Corl. Schg. Schz. Fil.*); « quando ergo pedes discipulorum lavare coepit, venit ad Petrum

a quo coepit » (*Aug.*). Prius enim insinuat totum factum, scil. quod lavit pedes discipulorum; et postmodum si quaeratur quomodo factum sit, dicit quod primo venit ad Simonem Petrum (*Thom.*); « ergo pedes discipulorum lavare incipiens venit ad Petrum » (*Rup.*). Id quoque ex eo quod Petrus adeo fortiter recusat colligi potest; nam si ab alio incepisset, ille aut recusasset aut admisisset; si prius, certe a Domino compulsus paruisset, id quod Petrus intuens lotioni non tam acriter restitisset; si alterum, Petrus tali exemplo facilius cessisset. Idem ex Petri stupore et admiratione colligit *Edersheim* II p. 499 aliique acatholici (Baumgarten-Crusius, Hengstenberg, Ewald apud *Schz. Weiss*); quare potuit *Weiss* abstinere a cavillatione quod catholici propter causam primatus romani a Petro inceptum esse statuerent. Petri primatus adeo clare ex aliis locis patet, ut catholici minime indigeant ea explicatione. Petrus itaque videns quod Dominus facturus erat « expavit quod etiam quilibet eorum expavisset » (*Aug.*), *et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes?* « quid est *tu?* quid est *mihi?* cogitanda sunt potius quam dicenda, ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua » (*Aug.*); v. 7 *respondit Iesus et dixit ei : quod ego facio, tu nescis modo; scies autem postea;* scil. v. 13 seq., uti plerique explicant (*Theod. M. Aug. Bed. Theoph. Euth. Cai. Salm. Patr. Corl. Schz. Fil. Weiss*), dum alii illud *postea* ad institutionem a Spiritu sancto accipiendam referunt (*Chr. Rup. Mald. Schg.*).

« Quid ergo Petrus? adhuc cohibet » (*Chr.*); non attendit quod Christus dixit de causa; non curat causam fervor pectoris; reverentia Domini impulsus prosilit in negationem (cf. *Bar.*) v. 8 *dicit ei Petrus : non lavabis mihi pedes in aeternum* i. e. nunquam id patiar, nunquam hoc feram, nunquam sinam; hoc quippe in aeternum non fit, quod nunquam fit (*Aug.*); est vehementis affectus haec vox (*Tol.*); *respondit ei Iesus : si non lavero te, non habebis* (non habes) *partem mecum;* « ita dictum est : si non lavero te, cum de solis pedibus ageretur, quomodo dici assolet : calcas me, quando sola planta calcatur » (*Aug.*); οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ non habes consortium mecum. Uti ex v. 10 et 13 seq. consequitur, Iesus id quod actione sua designatum voluit etiam ex merito suae actionis discipulis impetrat et largitur; impetrat illis et largitur (illis scil. qui iam loti sunt i. e. in statu gratiae) perfectam munditiem et perfectam exempli sui imitationem, qua demum digni evadant qui tamquam apostoli et Christi legatione fungentes consortium habeant cum ipso tum in opere messiano tum in gloria. Unde aliis verbis hac sua actione animique demissione illis impetrat apud Patrem gratiam perseverantiae in dignitate apostolatus (cf. 17,11 seq.).

Quare *si non lavero te*, non accipies quod hac mea actione et significatur et tribuitur (v. 10. 13 seq.) et consequenter non habes consortium mecum, partem illam singularem et eximiam in opere messiano, in dignitate apostolatus. Christus itaque minis appositis Petri zelum indiscretum et inordinatum (*Thom.*) cohibet. Recusat utique ex reverentia Domini, verum post Christi responsum v. 7 debuit cognoscere id fieri consilio altissimo, debuit parere dicenti, ne Iesum quasi rem inutilem faceret et minime consentaneam accusare videretur (cf. *Or.*).

Communiter explicant ita, ut non ipsa actio Christi dicatur habere effectum salutarem vel necessarium pro Petro, sed ut dicatur Petrus excidere a familiaritate et gratia Christi, si persistat esse inobediens seu rebellis; « si non in hac re quam ego ut praeceptor et Dominus a te postulo, mihi acquieveris, illud tibi denuntio quod in poenam tuae inobedientiae de meo collegio sis eiiciendus partemque illam beatae retributionis et felicitatis aeternae quam ego una cum meis accipiam in regno Patris mei, non sis accepturus » (*Ians.* sim. *Tol. Lap. Bar. Nat. Corl. Fil.*). Quae tamen explicatio verbis non congruere videtur; exspectaretur enim : si non obedieris, non habes partem mecum; neque ulla cernitur ratio, cur Christus dicat : *si non lavero te*, vel cur ex tali recusatione quae tota amore ac reverentia innitatur maximum illud detrimentum et supplicium consequatur. Sermo Christi ita est conformatus, ut ipsa actione Christi bonum conferri dicatur, ut ipsa omissione huius actionis exsistat damnum, non inobedientia alterius. Hoc sensisse alii videntur, scil. rei cardinem verti in illo : si non lavero te. Sed cum difficile videretur, quomodo lotione pedum omissa Petrus excluderetur a Christi consortio, lotionem statim transtulerunt ad lotionem animi quae sanguine Christi fiat; « vere enim nisi Christus dilectos suos lavisset a peccatis eorum in sanguine suo, nec Petrus nec quisquam ceterorum hominum partem habuisset cum illo » (*Rup.* sim. *Cyr. Cai. Mald. Calm. Patr.*). Verum haec explicatio nimis recedit ab ipsa narratione et locutionis forma. Christus enim adstans cum pelvi aqua plena et linteo vult pedes Petri abluere; si iam dicit ἐὰν μὴ νίψω σε, non potest velle significare remissionem peccatorum Petro iam concessam merito sanguinis quem effusurus sit, ita ut verba illa dicant : si non lavissem te spiritualiter, vel si non fusurus essem sanguinem etc. — Quare rem ita explico, ut actio Christi id quod ex v. 10. 13 seq. significat etiam in apostolis mundis (in statu gratiae) efficiat, quo effectu sortiuntur illud consortium cum Christo quod non sint amissuri.

« Quid ergo fervens ille ardensque vir » (*Chr.*) hac comminatione audita? v. 9 *dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput;* ecce vera Petri indoles! vehemens in recusando, vehementior in concedendo est (*Chr.*); pro animi praecipitantia ab una exaggeratione in alteram contrariam transit; simulque

quae sit sua in Iesum fervens dilectio, quale ipsius consortii desiderium, nativa simplicitate declarat; v. 10 *dicit ei Iesus : qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*, respondet Iesus exemplo ex vita desumpto : qui lotus est ὁ λελουμένος, qui sumpto balneo domum suam revertitur, non indiget, nisi ut pedes lavet, quibus per viam nonnihil pulveris adhaerebat; domum reversus non iterum balneo lavat, sed ad summum pedes lavat, et est omnino mundus, toto corpore mundus. Iam hoc exemplo se velle declarare quid sua lotione efficiat ostendit addens : *et vos mundi estis, sed non omnes;* i. e. mundi sunt, similiter sicut is mundus est corpore qui e balneo egreditur, ita illi mundi animis, a peccato mortali immunes; verum indigent ut pedes lavent; per viam pulvis adhaerebat pedibus; sine defectibus et levioribus peccatis non vivitur; itaque ut efficiantur *prorsus mundi*, Christus hac sua actione iis meretur et confert; iis meretur et impetrat ut gratia divina adiuti a munditie *necessaria* in muneris ministerio non excidant et ad munditiem *perfectam* tandem evehantur vel ad eam redeant. Atque Christum dicere eos esse mundos munditie illa spirituali *necessaria*, patet ex eo quod addit : *sed non omnes;* eos evehendos esse ad *perfectam* munditiem, indicat exemplo allato de lotione pedum, ut quis sit omnino purus quoad omnia. Pulverem pedum esse venialium peccatorum sordes, quas nemo sine singulari prorsus divino auxilio perpetuo vitare possit, facile patet (cf. *Aug. Rup. Tol. Ians. Bar. Lap. Patr. Corl. Schz. Weiss*).

Iesus qui de excaecatione urbis Ierusalem fleverat (Luc. 19,41) profecto etiam cum magno animi dolore addidit illud *sed non omnes;* non designat aperte proditorem, ut ei parcat; at tamen ei occultam et utilem reprehensionem tribuit ostendens se omnino animum eius habere perspectum; « obscuro itaque sermone usus et conscientiae acrem reprehensionem relinquens incomparabilem suae patientiae magnitudinem declaravit » (*Cyr.*). Addit evangelista v. 11 *sciebat enim quisnam esset qui traderet eum; propterea dixit : non estis mundi omnes;* sane miranda summopere Christi clementia qui pedes proditoris lavare non dedignatur, sed simul considerandum, ad quantam obstinationem et pervicaciam pervenire possit qui malis animi cupiditatibus non resistit, quia Iudas tali amoris et benevolentiae et humilitatis exhibitione nullatenus tangitur, verum pedes lavari per Dominum sinens in sua perversitate immotus permanet.

Iam alterum declarat quod actione sua significatum voluit et merito suae actionis etiam pro suis apostolis impetravit v. 12 *postquam ergo lavit pedes eorum et accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis : scitis quid fecerim vobis?* « interrogatione excitat ut attentos reddat

auditores suos orator gratiae et veritatis; interrogati namque quod nescimus, attentius quasi manu pulsantis excitati audire solemus » (*Rup.*) i. e. cognoscitisne, intelligitisne quid hoc sibi velit quod fecerim vobis? v. 13 *vos vocatis me Magister et Domine*, *et bene dicitis; sum etenim;* v. 14 *si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus et Magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes;* « suo exemplo humiles esse docet, sed speciem ponit pro genere; nam per lotionem pedum, quod omnium ministeriorum humillimum est, omnia exempla, omnia ministeria intelligit humilitatis » (*Mald.*). Id quod etiam confirmatur v. 15 *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis;* « hoc est, beate Petre, quod nesciebas, quando fieri non sinebas » (*Aug.*). Ne facta eius solum admiremur, dicit : exemplum dedi vobis, exemplum scil. humilitatis, et dicit καθώς *quemadmodum*, « ut intelligamus, quod ad imitandum modum faciendi (humiliter, mansuete, benevole, studiose etc.) monet » (*Cai.*). Cadit enim praeceptum Domini non adeo in signum, lotionem pedum, quam in rem significatam, obsequia scil. caritatis et humilitatis proximis exhibenda (*Corl. Fil.* sim. *Chr. Cyr. Aug.* etc.).

Quod praeceptum non solum aequum esse, sed multo magis eius observationem nobis esse necessariam declarat sententia proverbiali v. 16 *amen, amen dico vobis : non est servus maior domino suo, neque apostolus* ἀπόστολος legatus *maior est eo qui misit illum*, vide Matth. 10,24; Luc. 6,40; proin multo magis id a vobis fiat oportet (*Chr.*). Et additur promissio ac praemium v. 17 *si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea;* « non enim scire virtutem, sed eam exercere optandum est atque laudabile » (*Chr.*). Non est improbabile quod iam *Rup. Bon.* existimant, Iesum etiam propterea pedes lavisse et admonitionem hanc dedisse, quia discipuli ante coenam inter se contenderant quis eorum videretur esse maior (Luc. 22,24), cum fortasse disceptarent de ordine accumbendi. Neque obstat ordo narrationis apud Lucam, qui scil. is est eo loco, ut prius referat coenam paschalem, dein eucharistiae institutionem, dein addat aliqua quae vel ante coenam vel inter eam et post eam dicta sunt (cf. Comment. in Luc. p. 576. 578 seq.).

Verba illa : qui lotus est non habet opus nisi ut pedes lavet et mundus est totus, saepe ad baptismum referebantur; ita *Aug.* : « homo in sancto baptismo quidem totus abluitur, non praeter pedes sed totus omnino; verumtamen, cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur; ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur et sic afficimur, ut si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus et veritas in nobis non sit » (1 Ioan. 1,8). Olim egressis e fonte baptismatis pedes ablue-

bantur; « ascendisti de fonte, memento evangelicae lectionis; etenim Dominus noster Iesus in evangelio lavit pedes discipulis suis » S. Ambrosius, de mysteriis cap. 6 (M. 16,398) et cur haec lotio fiat, ibidem exponit : « mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum supplantavit serpens et persuasit errorem; ideo planta eius abluitur, ut hereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur ». Quae fortasse recte intelligi possunt collatis illis quae idem dicit in expositione Ps. 48 n. 9 : « unde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi, quam reatum aliquem nostri esse delicti; meritoque Dominus... lavemus, inquit, et pedes, ut calcanei lubricum possimus auferre, quo fida statio possit esse virtutis et non metuat lubricum hereditatis ». Unde inferri potest Ambrosium in pedum lotione aliquod vidisse auxilium gratiae ad reprimendam concupiscentiam, quam aperte vocat lubricum delinquendi, calcanei lubricum et hereditatis.

Eius usus quod baptizatis pedes lavabantur etiam meminit auctor librorum de sacramentis, qui olim Ambrosius censebatur; verum commemorat ecclesiam romanam hanc consuetudinem non habere; « vide ergo, forte propter multitudinem declinavit »; sc. ab eo usu lavandi pedes baptizatorum abstinuit ecclesia romana; etiam hic auctor aliquid sanctificationis agnoscit in hoc ritu, subsidium scil. contra insidias diaboli et incitamentum humilitatis (de sacram. 3,1 n. 4-7; *M.* 16,432 seq.). Ad quaestionem quonam tempore potissimum « res tanta etiam facto doceatur » de lavandis scil. pedibus, respondit *Aug.* : « illud tempus occurrit quo ipsa commendatio religiosius inhaereret; sed ne ad ipsum sacramentum baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinem recipere noluerunt; nonnulli etiam de consuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem ut hoc et sacratiore tempore commendarent et a baptismi sacramento distinguerent vel diem tertium octavarum... vel etiam ipsum octavum ut hoc facerent elegerunt » (ep. 55 — alias 119 — 18 n. 33; *M.* 33,220). S. Bernardus lotionem pedum vocat sacramentum ad delenda peccata venialia; « nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum ablutionem... vis autem nosse quia pro sacramento illud est non pro solo exemplo factum? illud attende quod Petro dictum est : si non lavero te, non habebis partem mecum ». Verum in eodem sermone n. 5 statim docet, minime necesse esse ad remissionem illam usurpare lotionem pedum; illa enim lavari a Christo, facile ignosci imo et libenter, « si modo nos agnoscamus » (sermo in coena Domini n. 3-5; *M.* 183,272-274).

Baptizatis pedes lavabantur quoque in ecclesia gallica et hispanica; verum concilium elibertanum statuit can. 48 : neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel clericis (cf. *Heuser* in Kraus, Real-Encyclop. d. christl. Alterthümer I p. 547). Quando mos ille et ritus pedes lavandi in liturgiam feriae quintae hebdomadae sanctae receptus sit, non constat. *Isidorus* (de eccl. off. 1,28) nondum eius facit mentionem. Concilium toletanum deci-

mum septimum 694 an. statuit poenam in episcopos et sacerdotes qui eo die omiserint lavare pedes subditorum. Antiquissimi ordines romani eam consuetudinem non commemorant; in ordine romano Cencii (saec. 13) duplex lotio occurrit, altera quae fiebat post Missam Pontificis duodecim subdiaconis, altera post coenam tredecim pauperibus. Haec sola postmodum retenta est et cum officio ecclesiastico coniuncta (cf. *Heuser* l. c.). Et *Tol.* notat : in multis ecclesiis illa consuetudo viget, ut feria quinta quam dicunt in Coena Domini superiores pauperum vel subditorum pedes lavent; quod non eo fit quasi his verbis v. 14. 15 id Dominus praeceperit, sed ut tantae humilitatis Christi exemplum renovent devoteque colant et ad humilitatem omnes exhortentur. Qui mos in monasteriis quoque ab abbate observari solet, immo etiam a regibus et imperatoribus catholicis. In Ceremoniali episcoporum praescribitur, ut eo die vel tredecim canonicis vel totidem pauperibus pedes lavent. Qui mos cum adeo et antiquus et universalis sit, non intelligitur cur *Weiss* pontificem romanum arrogantiae accuset quia istam Christi actionem imitatur.

In ista Christi actione nobis commendari humilitatem animumque ad officia et servitia praestanda pronum ac paratum in confesso est; sed eo non excluditur ipsa lotionis pedum imitatio. Audiatur *Aug.* : « didicimus fratres humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est haec commendatio humilitatis, et faciunt hoc sibi fratres etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt; est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis usque ad factum quo cernatur expressa. Unde apostolus cum viduam bene meritam commendaret, si hospitio, inquit, recepit, si sanctorum pedes lavit (1 Tim. 5,10). Et apud sanctos ubicumque haec consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt quibus dicitur in hymno beatorum trium virorum : benedicite sancti et humiles corde Domino (Dan. 3,87). Multo autem est melius et sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur quod fecit Christus facere christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus » (tract. in Ioan. 58 n. 4).

Accedentibus ad convivium pedes lavari solebant, quod intermissum esse Iesus pharisaeum monet (Luc. 7,44). At coenam ipsam Iesu non fuisse occasionem, colligitur quia surgit a coena etc. v. 4. Merito plerique censent fuisse hanc lotionem praeludium quoddam ac praeparationem ad s. eucharistiam; voluisse Christum id facere propter munditiem discipulorum spiritualem, id quod satis probatur verbis illis : qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, et vos mundi estis, quibus declarat se de spirituali munditie quam tali lotione effecit in discipulis suis loqui, eamque munditiem a nobis significavit procurari debere, ut digne ad eucharistiam accedamus (*Tol.*). — Luculenter de hisce tractat multis additis exemplis nobilium virorum et feminarum *Gretser* in Pedilavio in tomi quarti operum eius parte posteriore, praesertim p. 191 seq. (Ratisbonae 1734).

Narrationem hanc de pedum lotione « critici » ab evangelista confictam et compositam esse statuunt ex variis quae apud synopticos legantur; nam eum reperisse apud Lucam 22,24-27 narrationem de contentione quis eorum esset maior et in ea verba Christi : ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat; unde haec verba ab eo esse conversa in eventum quendam et quasi scenice expressa, dum etiam illa Luc. 12,37 : amen dico vobis quod praecinget se, in suum adhiberet usum 13,4.5; quod autem Petrus v. 8 renuat lavari, iam simili exemplo haberi de baptista Matth. 3,14. Atque ita derivari hanc narrationem sententia est totius scholae criticae (diese der ganzen kritischen Richtung gemeinsame Ableitung des johann. Berichtes, Handcom. p. 176). Volunt etiam evangelistam quia de notione eucharistiae iam cap. 6 egerit, hanc narrationen hoc loco posuisse pro ipsa eucharistiae institutione, quae nullo modo nulloque artificio posset cum textu Ioannis congruere aut ei ullo pacto inseri. Id est, *nolunt* intelligere evangelistam ex multis eventibus sermonibusque aliqua decerpere, alia omittere, sed unamquamque narrationem et seriem eventuum et apud synopticos et apud Ioannem considerant tamquam catenam, cuius singuli nexus ita arcte inter se connexi atque constricti sint, ut iam nihil interponi et inseri possit.

b) Loquitur de proditore 13,18-30.

13,18. Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim; sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. 19. Amodo dico vobis, priusquam fiat; ut quum factum fuerit, credatis quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis : qui accipit si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

21. Quum haec dixisset Iesus, turbatus est spiritu; et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis : quia unus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli haesitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est, de quo dicit? 25. Itaque quum recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei : Domine, quis est? 26. Respondit Iesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et quum intinxisset panem, dedit Iudae Simonis Iscariotae. 27. Et post buccellam, introivit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus : Quod facis, fac citius.

28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim

13,18. Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω· ἐγὼ οἶδα τίνας ἐξελεξάμην· ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, Ὁ τρώγων μοῦ τὸν ἄρτον ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. 19. ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, ἵνα πιστεύητε, ὅταν γένηται, ὅτι ἐγώ εἰμι. 20. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ὁ λαμβάνων ἄν τινα πέμψω, ἐμὲ λαμβάνει· ὁ δὲ ἐμὲ λαμβάνων λαμβάνει τὸν πέμψαντά με.

21. Ταῦτα εἰπὼν Ἰησοῦς ἐταράχθη τῷ πνεύματι, καὶ ἐμαρτύρησεν καὶ εἶπεν, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με. 22. ἔβλεπον εἰς ἀλλήλους οἱ μαθηταὶ, ἀπορούμενοι περὶ τίνος λέγει. 23. ἦν ἀνακείμενος εἷς ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, ὃν ἠγάπα Ἰησοῦς· 24. νεύει οὖν τούτῳ Σίμων Πέτρος καὶ λέγει αὐτῷ· Εἰπὲ τίς ἐστιν περὶ οὗ λέγει· 25. ἀναπεσὼν ἐκεῖνος οὕτως ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ, λέγει αὐτῷ, Κύριε, τίς ἐστιν; 26. ἀποκρίνεται οὖν Ἰησοῦς, Ἐκεῖνός ἐστιν ᾧ ἐγὼ βάψω τὸ ψωμίον καὶ δώσω αὐτῷ. βάψας οὖν ψωμίον λαμβάνει καὶ δίδωσιν Ἰούδᾳ Σίμωνος Ἰσκαριώτῃ. 27. καὶ μετὰ τὸ ψωμίον, τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς. λέγει οὖν αὐτῷ Ἰησοῦς, Ὃ ποιεῖς, ποίησον τάχειον.

28. τοῦτο οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἀνακειμένων πρὸς τί εἶπεν αὐτῷ· 29. τινὲς γὰρ ἐδόκουν,

putabant (quia loculos habebat Iudas), quod dixisset ei Iesus : Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret. 30. Quum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.

ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχεν Ἰούδας, ὅτι λέγει αὐτῷ Ἰησοῦς, Ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν· ἢ τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. 30. λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος ἐξῆλθεν εὐθύς· ἦν δὲ νύξ.

In v. 18 ger med mt rush corp harl levavit, a b ff² l item; r erexit, e adampliavit. In v. 19 for ego sum de quo scriptum est. In v. 22 εβλεπον sine copula א° B C 16.245 e arm Ti W H; item in v. 23 ην sine copula B C* L 3.80.87 Ti W H. In v. 24 ειπε τις εστιν B C I L X 33; interroga a c f ff² q; dic b l; sin innuit ei S. P. ut interrogaret de quo diceret. In v. 25 αναπεσων sine copula B C; al ουν, δε; dub ille *sic*; ουτως non habent א A D Π 1.69 al mu it vulg rell Or; sin discipulus quem diligebat Iesus recubuit supra pectus Iesu et ait. In v. 26 βαψω τ ψ και δωσω αυτω B C L cop arm aeth Ti W H; pler codd vulg scariotis, sixt iscariotis; solum steph hent iscariotae. In v. 27 *tunc* introivit codd vulg; om *tunc* sin a b c ff² l r eg steph sixt; e statim. In v. 28 et discipuli eius nesciebant sin; v. 29 sin quid emeret pro festo et quid daret pauperibus; v. 30 cum surrexisset Iudas et accepisset panem exiit foras et tempus erat noctis.

Secundum Matth. 26,21 et Marc. 14,18 Iesus inter coenandum et ante institutionem eucharistiae sermonem infert de proditore et discipuli quaerunt : numquid ego sum Domine. Ioannes id etiam inter coenandum factum esse docet eo ipso quia Christus panem intingit et Iudae porrigit; ostendit itaque inter coenandum sermonem esse inceptum et ad finem fere coenae Iudam accepta buccella exiisse. Manifestum est itaque ex narratione Matth. Marc. Ioan. sermonem de proditore et quaestiones discipulorum quis esset ex eis qui hoc facturus esset (Luc. 22,23) inter coenandum fuisse; quare fieri nequit, ut Lucas 22,21 sic intelligendus sit, ut haec non solum post coenam, sed etiam post institutionem eucharistiae facta sint. Quomodo Lucas intelligi debeat, iam bene vidit *Rup.* : « verba quae in priore coena Dominus de traditore suo dixit, Lucas sic praeposteravit, ut priorem paschae coenam et sequentem dominici corporis et sanguinis consecrationem narrando coniungeret et tunc demum verba quae in convivio dicta sunt continuaret ». Nisi igitur, quod plane superfluum est, adstruere volueris et Christum et discipulos *bis* i. e. inter coenandum et post spatium temporis instituta eucharistia *eadem* dixisse (Christum : Luc. 22,22 : vae etc., discipulos quaesivisse), profecto narratio apud Lucam ita concipi debet. Ioannes, uti alias, ita hic quoque aliorum narrationem supplet, omittit ea quae apud alios exposita sunt; ita quod Matth. 26,22. 25 refertur, Ioannes v. 22 solum innuit; reliqua v. 23-30 ipse solus narrat.

Christus cum magno animi dolore ab illa laude v. 17 unum excipere

debet v. 18 *non de omnibus vobis dico,* scil. beati estis; « quanta patientia! nondum proditorem arguit, sed rem obtegit hinc illi poenitentiae locum concedens » (*Chr.*); *ego scio quos elegerim*, qui sint et quales futuri sint, quos elegi ad dignitatem apostolatus, *sed ut adimpleatur Scriptura : qui manducat mecum panem, levabit* (*levavit*) *contra me calcaneum suum;* i. e. sed quamvis sciverim quis futurus sit proditor, eum quoque elegi, ut adimpleretur etc.; attendenda est ratio diversa praedictionum. Peccata enim quae homines commissuri sunt idcirco praedicta sunt quia erant futura; nam Deus praevidet et quandoque annuntiat quae homines pro libero suo arbitrio facturi sunt; Christus autem ea de causa omnia faciebat, ut Patris impleret voluntatem; ita etiam faciebat, ut ea quae praedicta erant impleret. Proin elegit Iudam quamvis sciret eum fore proditorem, quia novit Patrem id voluisse, elegit quia id scriptum erat, elegit ut id impleretur quod significatum et praedictum erat (cf. *Tol.*). Unde illud *sed ut* consequenter ad Iudae peccatum praevisum et praedictum idem enuntiat ac si diceres: sed oportuit Scripturam impleri; alii post *sed* supplent : hoc factum est (γίνεται τὸ γενόμενον ὑπὸ τοῦ ἑνὸς ἐξ ὑμῶν παραδώσοντός με, *Or.*). Verba deprompta sunt ex Ps. 40,10 (hebr. 41); conqueritur psalmista de insidiis quae parantur ab eo qui ad mensam secum accumbebat. Cum psalmus inscribatur ipsi David, plerumque explicant de proditione Achitophel (2 Reg. 15,12. 31 seq. 16,20; 17,1 seq.; qui postquam perfide egit contra David suspendio interiit 17,23). Quare verba illa ratione typica in Messia quoque qui David a prophetis vocatur impleta sunt. Levare calcaneum dicit calcem alicui impingere, calce aliquem percutere; designatur iniuria quae ab amico familiari et conviva infertur. LXX eo loco habent ἐμεγάλυνεν ἐπ' ἐμὲ πτερνισμόν, unde vulg. : magnificavit super me supplantationem i. e. insidias struxit, imagine deprompta ab eo qui aliquem currentem (in stadio) supplantat, i. e. pede interiecto pedem alterius impedit, ut cadat.

Manifestat itaque Christus se omnino praescivisse proditionem et ea quoque impleri Scripturam ; cur autem de ea re moneat suos enuntiat v. 19 *amodo* ἀπ' ἄρτι ab hoc ipso tempore *dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis quia ego sum,* Messias scil. cf. 8,24 (*Mald. Corl. Schz.*), vel ut alii supplent : is in quo illud impletur (*Euth. Aug. Bed.*) ὁ προφητευθεὶς Χριστός (*Or.*). Ne igitur proditione illa quasi Iesus ex improviso esset captus perturbentur, ne ob rem adeo indignam de se dubitent et de sua missione, haec iis praedicit et in Scripturis ea iam esse consignata ostendit. Et postquam factum est recogitantes quae Christus dixerat in fide sua novo documento confirmantur. Adiungitur v. 20 *amen, amen dico vobis, qui accipit si quem*

misero me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit; honores et beneficia legatis collata redundant in eum, cuius legatione funguntur; vide Matth. 10,40. Demonstrat Christus, quanti aestimanda sint beneficia suis apostolis collata; qua promissione certe homines provocantur, ut apostolis qui a Christo mittuntur succurrant; itaque in verbis istis etiam continetur qualem eorum curam Christus sit habiturus. Sed qua ratione haec verba cohaerent cum antecedentibus? Hoc difficile est dictu, adeo ut sint qui ullum adesse nexum negent; esse scil. ab evangelista ea omissa quae in ipso sermone haec cum antecedentibus vel sequentibus connecterent (*Corl.*). Alii tamen nexum statuunt, sed vario modo. Et *Theoph.* quidem: μεγίστη μὲν οὖν ἀκολουθία; Christum quippe duobus modis suis afferre consolationem : suo exemplo, iis scil. quae passus sit, proditori fecerit; dein praedicendo hoc loco apostolis suam protectionem et curam (sim. *Schz.*). Alii verba haec referunt ad v. 16. 17 (cf. *Rup. Tol. Lap. Bar.*) : quamvis lavare pedes inter vos iubeam, scitote tamen me eo vos in loco ab omnibus haberi velle, ut qui recipit aliquem quem ego misero me recipiat. Cum in v. 20 asseratur dignitas apostolorum, alii ita ad v. 19 adiungunt, ut Christus innuat non obstante proditione unius manere reliquis intactam dignitatem apostolicam (*Schg. Fil.*). Vide ad v. 21.

Aliae quoque rationes coniungendi excogitatae sunt. Valde apta esset illa quam *Cyr.* proposuit, nisi videretur subtilior : « nolens, ut videtur, aperte dicere quod alibi dixit : qui non honorificat Filium, neque Patrem honorificat, ad id quod mitius erat se contulit, hinc cogitandum relinquens auditoribus contrarium »; quam explicationem omnium optimam *Patr.* existimat : sicut qui accipit quem misero me accipit, et qui me accipit, accipit eum qui misit me, ita (tacite concludendum relinquitur) : qui me non accipit neque eum accipit qui me misit, neque Deum agnoscit; crimen proin Iudae quale sit et quomodo in Deum Patrem conferat iniuriam indicari. Iudae itaque sceleris magnitudinem mitiori modo proponi. Verum quae suppleri debent sunt praecise contraria iis quae hic dicuntur; neque satis cernitur, cur ea in sententia inceperit Christus ab acceptione eius quem ipse miserit. — Alii ita ad v. 16 adnectunt : supra dictum est : apostolus non est maior eo qui misit illum; nunc dicitur : neque est eo minor (*Weiss*); vel uti supra iis consortium tribulationum indicitur, ita hic consortium honoris magistro debiti (*Beelen, Bisping*); vel humilitate illa quam a suis exigat Christus eos nullatenus fore contemptui, immo iri consideratum locum Christi tenentes, vel admoneri apostolos, ut quos Christus missurus sit ad eos suscipiant sicut se ipsum. Neque defuerunt qui hunc v. 20 interpolatione insertum esse dicerent.

Quae innuerat iam v. 10 et v. 18. 19, nunc claris verbis enuntiat non

sine magna animi commotione v. 21 *cum haec dixisset Iesus turbatus est spiritu;* cf. 12,27 *et protestatus est* ἐμαρτύρησεν quasi testimonium sollemne edidit, sollemniter testatus est *et dixit : amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me;* multa concurrunt, propter quae Christus animo commoveri ac concuti voluerit. Dixerat *qui me accipit* etc., unde a contrario horrore corripitur enormitate sceleris proditionis ab uno ex apostolis commissae; in hac ipsa proditione cernit passionem et mortem imminentem, a qua affectus humanus cum timore ac tremore resilit; « turbavit eum imminens passio et periculum proximum et traditoris impendens manus, cuius fuerat praecognitus animus; tale quippe hoc est quod Iesus turbatus est spiritu, quale etiam illud quod ait 12,27; sicut ergo tunc anima eius turbata est hora propinquante passionis, ita etiam nunc exituro Iuda atque venturo et propinquante tanto scelere traditoris » (*Aug.* sim. *Rup. Thom. Bon.*); exhorruit tantum proditoris scelus (*Cyr. Fil.*) et qui magno cum dolore de obcaecatione Ierusalem lacrimas fudit, ei, utpote magistro dulcissimo, flebile quoque erat unum ex discipulis tam miserabiliter labi et in praecipitium mortis aeternae propria malitia ruere neque ulla persuasione velle revocari (*Tol.* sim. *Thom. Lap. Bar. Schg.*). Ex qua animi commotione etiam intelligitur Iesum non solum hoc unum dixisse quod Ioannes refert, sed alia plura quae synoptici tradiderunt. Quia isti pariter iam de quaestionibus discipulorum satis scripserint, ipse solum generatim refert v. 22 *aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes,* ἀπορούμενοι incerti, *de quo diceret;* stupor simul ac timor invadit eos (*Cyr.*); « nota quidem sibi erat cuiusque conscientia; verumtamen quia proximi erat ignota, ita sibi unusquisque erat certus, ut incerti essent et in ceteris singuli et in singulis ceteri » (*Aug. Bed.*). Sed cum sciant Servatoris sermonem irritum esse non posse, de se etiam quisque erat sollicitus, unde interrogant, sicuti synoptici narrant.

Cum vero neque mutua inter se disquisitione (Luc. 22,23) neque quaestionibus Domino positis (Marc. 14,19; cf. Matth. 26,25) deprehenderetur proditor, tum demum accidit quod Ioannes narrat, quia Petrus quo erat fervore omnino certo scire desiderabat quis esset; v. 23 *erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu quem diligebat Iesus,* ipse scil. Ioannes qui ita de se narrat (cf. 18,15; 21,7. 20). Ad mensam enim accumbere solebant ita, ut reclinata superiore parte corporis in cubitum sinistrum, inferiore in longum porrecta, capite leviter erecto iacerent; Ioannes itaque iacebat in lectulo ante Iesum ad eius latus dexterum, cubito nixus sinistro, ita ut caput haberet fere coram pectore Iesu; iacebat ergo a sinu, vel in sinu Iesu (cf. *Light-*

foot, Horae hebr. ad h. l. *Corl. Schg. Schz. Fil.*); Petrum iacuisse ad latus Iesu sinistrum aliqui existimant (*Lightfoot* l. c. *Schg. Schz.*); sed tum non facile videtur, quomodo innuere Ioanni commode potuerit; quare alii eum in parte Ioanni opposita collocant (cf. *Edersheim* II p. 494). Ioannes diligebatur a Iesu maiore familiaritate; inde etiam nactus esse videtur specialem favorem, ut talem occuparet locum prope Iesum; « an parum te didicisse putas, cum recubuisse audis et quod tanta apud magistrum frueretur fiducia (παρρησίας); si vero causam quaeris, id ex amore proveniebat; ideo ait : quem diligebat Iesus » (*Chr.*). Eum autem speciali modo a Iesu esse dilectum propter animi puritatem passim affirmant (cf. *Cyr. Theoph. Euth. Rup. Alb. Thom. Tol. Lap. Bar.* etc.).

Iesum nolle proditorem omnibus notum facere et indicare satis planum erat ex iis quae gesta esse synoptici narrant. Petrus tamen summopere nosse rem desiderabat eiusque noscendi impatientia indoli eius alias manifestatae plane congruit. Sperat itaque per eum quem Iesus diligebat et qui prope eum in eius sinu accumbebat rem posse sciri; v. 24 *innuit ergo huic Simon Petrus et dixit ei*, ipso signo nutuque dicit : *quis est de quo dicit;* ita ergo Petrus accumbit, ut ipse clam Dominum non interrogare possit; eum nutu locutum esse Ioanni clarius exprimitur lectione νεύει... Πέτρος πυθέσθαι τίς ἂν εἴη etc., uti habet e quoque : et huic annuit ut cognosceret a Iesu de quo dixisset; v. 25 *itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu*, ἀναπεσὼν ἐκεῖνος οὕτως, scil. ὡς ἀνέκειτο (*Euth.*), scil. uti v. 23 dictum est et illud *in sinu* declaratur ἐπὶ τὸ στῆθος; quia enim hortatu Petri clam interrogaverat, necesse erat dicere quomodo recumberet ut clam ceteris posset interrogare et clam Iesu responsum recipere; fortasse hic dicitur *supra pectus*, quia ita accubitum fecerat, ut capite pectus Iesu contingeret, quo facilius clam reliquis colloqueretur; *dicit ei : Domine, quis est?* v. 26 *respondit Iesus : ille est, cui ego intinctum panem porrexero;* « non aliud dat Salvator rei signum quam quod per prophetae vocem olim praedictum erat » (Ps. 40,10; *Cyr.*) *et cum intinxisset panem*, ψωμίον frustum, buccellam, intinxit in patinam in qua erat charoseth, offa quaedam spissa, pulmentum, embamma (vide quae dixi in Com. Matth. II p. 420 nota 1), *dedit Iudae Simonis Iscariotae;* sunt qui existiment buccellam fuisse de agno paschali et Iesum, qui omnibus iam offulam porrexisset, eo momento Iudae praebuisse, vel statim postea aliis quoque dedisse, ita ut solus Ioannes ita designari proditorem perciperet (*Corl.*); id fortasse Petrus quoque advertit, quia quaestionis a Ioanne propositae non ignarus coniectare potuit Iesum ista actione respondisse. Iesus autem ista actione Iudae novum bene-

volentiae signum exhibuit iterumque ei gratiam et impulsum ad resipiscendum obtulit.

Frustra erant terribiles illae minae, frustra Iudas sciebat se plane perspici a Iesu (Matth. 26,24. 25), frustra benevolentia Iesu et gratia offerebatur; Iudas magis animum in malo obfirmabat; unde v. 27 *et post buccellam introivit in eum satanas;* « tunc intrat in cor quando homo totaliter dat se ad sequendum eius instinctum et in nullo ei resistit; intravit, ut plenius possideret et ad perpetrandam malitiam duceret, in quem prius miserat, ut desiperet » (*Thom.*). Accepit enim Iudas signum benevolentiae et amicitiae; sed perfricta fronte omnes admonitiones contempsit; « hinc iusto Dei iudicio factum est ut totus permitteretur potestati satanae illeque in eo pleniorem acciperet potestatem, quod significatur per hoc quod dicitur intrasse in eum satanas » (*Ians.*). Hoc Dei iudicium, quo Deus dicitur tradere peccatores in desideria cordis eorum (Rom. 1,24) etiam Christus enuntiat: *et dixit ei Iesus : quod facis fac citius;* « videns Dominus inemendabilem Iudae malitiam et firmum proditionis propositum, ne ille existimaret se timore aliquo eum beneficiis affecisse, quasi hisce sibi timens eum retrahere vellet et non potius illi consulere, idcirco dicit : quod facis fac citius, i. e. quod facere iam decrevisti, exsequere cito et celeriter, non contradico nec obsisto nec timeo » (*Tol.*). Hisce verbis simul scelus quod mente perpetravit ei obiicit et ante oculos proponit (*Bar.*); praeterea indicat se non permittente proditorem nihil posse efficere et vera esse quae Iudaeis dixerat : potestatem habeo ponendi animam meam (*Chr.*). Plerumque monent imperativum *fac* non esse praecipientis, sed permittentis et exprobrantis; adhibetur enim imperativus etiam, si quis dicere vult se quidquam patienter ferre, pati, se nihil opponere quominus aliquid fiat (cf. *Krüger* 54,4. 2; imperativum permissivum vocant, *Winer* 43,1); *citius* quam facere velle videris. Iudas certe proposuerat coena mox relicta se conferre ad synedristas et custodia accepta comprehensioni Iesu cooperari. Iesus videns eum in malo plane obduratum ab aliorum consortio et suo commercio eum removere vult, et cum ipse videretur tardare, eum monet, ut quod facere proposuit, coenam relinquere, *citius* exsequatur. Hisce itaque Iesus eum a collegio apostolorum removet, ut qui animo iam dudum recesserat, corpore quoque separetur, ineptus et indignus qui subsequenti dilectionis Iesu significationi intersit. Si ita verba conceperis, modus imperandi nihil habere potest offensionis. Ea verba non Iudae dici, sed diabolo *Cyr.* arbitratur, Iudae vel diabolo *Or.* existimat.

Quam bene obtexerit Iudas perversitatem, elucet ex sequenti mar-

ratione v. 28 *hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei;* nihil itaque suspicionis conceperant neque antea neque post annuntiationem Christi de uno proditore ex verbis illis: quod facis etc. v. 29 *quidam enim putabant quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret;* prius eo magis putare poterant, si dies subsequens Iudaeis non erat ipse dies sollemnis atque eum non fuisse Iudaeis patet tum ex aliis tum ex 18,28. Sed idem etiam existimare poterant, etsi dies subsequens fuisset dies ipse festivitatis paschalis; festi enim dies non habebant tam strictam observantiam et ab omni opere cessationem quam dies sabbati (vide quae de v. 29 dixi in Comment. Matth. II p. 407, ubi id locis allatis probatur); v. 30 *cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo; erat autem nox;* ἐξῆλθεν εὐθύς; proin buccella accepta *statim* coenaculum reliquit. Id quod bene notandum est. Nam ea re solvitur quaestio, utrum Iudas eucharistiam acceperit necne. Buccellam hanc non esse eucharistiam evidens est. Iam *Aug.* notat: « non autem, ut putant quidam negligenter legentes tunc Iudas Christi corpus accepit ». Sed poteritne institutio eucharistiae antea inseri? Sunt qui eucharistiae institutionem collocant post v. 22 et ante v. 23 (*Aug. Tol.*). Verum ita contextus narrationis discerpitur; discipuli inter coenam et ante institutionem quaerunt de proditore, Christus vae illud etiam ante institutionem enuntiavit; pariter dixerat proditorem unum ex discipulis secum manducare. Eadem narrat Lucas; sed uti iam dictum est, non potest assumi *eadem* bis et a Domino et a discipulis dicta esse et proin ordinem narrationis Lucae ita esse explanandum, uti etiam 21,37 habetur: ad rem gestam narratam (coenam paschalem et eucharisticam) addit aliquid quod narrationem supplet, quod itaque ex clara ac perspicua aliorum relatione explicari debet. Accedit quod plane improbabile sit, Petrum pro indole sua fervida quaestionem suam non eo tempore proposuisse quo omnes discipuli magnopere excitati inter se quaererent et Dominum interrogarent, sed eam distulisse et post eucharistiae institutionem demum (cum de ea re iam non esset sermo) quaestionem movisse. Certe in v. 22 evangelista id paucis innuit quod explicatius synoptici referunt; suo modo autem *eandem* synopticorum narrationem supplet iis quae v. 23 seq. narrat. Proin haec ab illa narratione et a v. 22 non sunt avellenda. Proin v. 18-30 narratio est una continua, quae arcte cum antecedentibus v. 10. 11 et cum lotione pedum connectitur neque sine violentia discerpi potest. Id bene intellexerunt ii qui, ut nihilominus Iudam ad eucharistiam admitterent, lotionem pedum ponunt post eucharistiam institutam (*Thom.*); alii, ut *Ians.*, censent omnia de proditione acta

esse post institutionem eucharistiae, quod est contra claram narrationem Matthaei et Marci; *Baronius* (an. 34 n. 58) recte existimat omnia gesta esse post lotionem pedum ante institutionem, uti Matth. Marc. Ioan. scribunt, Lucam uti postpositione; at illud *continuo*, εὐθύς, ita solum esse intelligendum vult, ut Iudas non exspectarit longum illum post coenam sermonem. Verum praeter εὐθύς etiam attendere oportet illud : quod facis, fac citius!

Contra hanc sententiam, Iudam non accepisse eucharistiam[1], obiectum est Patres unanimi consensu docere contrarium. Quae obiectio est falsa. Nam esse Patres qui explicite statuunt Iudam non interfuisse institutioni iam exposui in Comment. Matth. II p. 439; alii eam quaestionem non attingunt; quomodo ergo de consensu unanimi sermo fieri potest? Aliorum de eadem sententias vide in Comment. l. c.

Accepta buccella exivit Iudas continuo; *erat autem nox;* nocte uti. voluit ad consilium daemonis, principis tenebrarum exsequendum; apte nox seligitur ad crimen atrocissimum, quod utique convenit ei tempori, de quo Christus dixit : haec est hora vestra et potestas tenebrarum (Luc. 22,53). In noctem exit Iudas separatus ab eo qui est lux mundi, exit tenebris obvolutam habens mentem. Merito notat *Or.* tempus hoc noctis non temere assignatum esse; dicendum esse symbolice tunc noctem fuisse sub sensum cadentem quae imago exsisteret noctis factae in anima Iudae. Unde *Aug.* dicit : et ipse qui exivit erat nox. — Habet utique brevis haec sententia qua narratio concluditur aliquid horroris, quia animus legentis sponte monetur de nocte caliginosa qua Iudas est circumfusus et de nocte illa aeterna ad quam capessendam sibi et acquirendam exit.

c) Incipit loqui de discessu 13,31-38.

13,31. Quum ergo exisset, dixit Iesus : Nunc clarificatus est Filius hominis; et Deus clarificatus est in eo. 32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso; et continuo clarificabit eum.

33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quaeretis me; et sicut dixi Iudaeis : Quo ego vado, vos non potestis venire;

13, 31. Ὅτε οὖν ἐξῆλθεν, λέγει Ἰησοῦς, Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. 32. (εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ) καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν αὐτῷ, καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν.

33. Τεκνία, ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. ζητήσετέ με, καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν, καὶ ὑμῖν λέγω ἄρτι. 34. ἐντολὴν

1. Non est abs re quod inter alia *Bar.* notat, si Christus Iudae quoque eucharistiam praebuisset, potuisse apostolos concludere, ergo improbo quoque illam esse dandam, etsi is facile posset a mensa removeri. Ordine a Ioanne proposito ostendi a Christo eum potuisse facillime removeri; ergo censendum esse Christum fecisse quod quivis sacerdos facere debeat, si peccatorem sine ulla peccati manifestatione removere possit.

et vobis dico modo. 34. Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos; ut et vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

36. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? Respondit Iesus : Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea. 37. Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

38. Respondit ei Iesus : Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi : non cantabit gallus, donec ter me neges.

καινὴν δίδωμι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. 35. ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. 36. Λέγει αὐτῷ Σίμων Πέτρος, Κύριε, ποῦ ὑπάγεις; ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ὅπου ὑπάγω, οὐ δύνασαί μοι νῦν ἀκολουθῆσαι· ἀκολουθήσεις δὲ ὕστερον. 37. λέγει αὐτῷ ὁ Πέτρος, Κύριε, διατί οὐ δύναμαί σοι ἀκολουθῆσαι ἄρτι; τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω.

38. ἀποκρίνεται Ἰησοῦς, Τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις; ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, Οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσῃ ἕως οὗ ἀρνήσῃ με τρίς.

In v. 32 om ει... εν αυτω א* B C* D L X Π al 12 a b c ff² e g fuld ger hub* harl Tert Ambr sin W H; in altero loco pler εν εαυτω. In v. 33 pler codd vulg quaeritis. In v. 34 om ut et vos d. invicem c e m sin; et sin sed nunc mandatum etc. In v. 35 εν τουτω γαρ D c sin; v. 37 sin nunc animam meam. In v. 38 a b d e q r, pler codd vulg ponis; sin antequam gallus cantabit bis.

Iam Iesus omnem sermonem eo convertit, ut apostolos consoletur, instruat, confirmet salutaribus documentis. Indicat evangelista ipsum Iudae discessum occasionem Christo praebuisse commutandi sermonem et de glorificatione sua agendi (*Mald.*); quare scribit v. 31 *cum ergo exisset, dixit Iesus : nunc clarificatus est Filius hominis*, nunc quando Iudas egressus est ad proditionem perficiendam (*Or. Aug.*), passionem imminentem vocat suam glorificationem, quia consummatio gloriae in passione sita erat quam pro mundi vita sustinuit (*Cyr.*); in ipsa passione manifestata est eius gloria variis prodigiis, passione ipse pervenit ad gloriam, passione fit causa salutis aeternae et ideo gloria et honore prosequendus ab omnibus. Hanc passionis gloriam iam enuntiavit 12,32 (*Chr. Cyr. Rup.*); dicit ἐδοξάσθη, « sciendum est enim quod quando aliquid incipit fieri, videtur esse quasi factum » (*Thom. Schz. Corl.*); per proditionem opus redemptionis iam est quasi inceptum, et loquitur Christus, quemadmodum si belli dux accepto nuntio proelii eo die futuri gestiens dicat : nunc nomen consecutus sum immortale, loquens per praeteritum de re futura, ut ostendat se habere victoriam tam certam quam si triumphans iam reverteretur (*Mald.*). Vocat autem tempus hoc proditionis, passionis, mortis tempus glorificationis etiam ideo, ut animos discipulorum erigat, consoletur, ut cognoscant se per passionem transire ad gloriam (*Chr. Cai.*) et si ipse glorificatur, etiam discipuli eius gloriae erunt consortes. Dicit itaque iam adesse illud tempus, de quo 12,23 locutus est (*Euth.*, qui addit : si Domino gloria

sunt afflictiones toleratae pro servis, multo magis servis gloria sunt quae pro Domino sustinent).

Haec autem glorificatio Filii est etiam Patris gloria *et Deus clarificatus est in eo;* cf. 11,4; 12,28; 17,4; Iesus enim in omnibus Patris exsequitur voluntatem; in Christi gloria et regno apparet Patris gloria; in Christi opere et morte manifestatur Dei sanctitas, iustitia, immensa in genus humanum misericordia et caritas (cf. Rom. 3,26; 5,8); dein eo quod Christus honoratur et eius gloria per apostolos mundo annuntiatur, etiam Patris gloria agnoscitur et adoratur. Pater autem Filio vices reddit v. 32 *si Deus clarificatus est in eo* i. e. quandoquidem, *et Deus clarificabit eum in semetipso,* eum scil. assumendo in consortium gloriae coelestis divinitati propriae, uti 17,5 dicitur: clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te (cf. *Corl.*). Illud gloriae consortium exprimitur in sessione ad dexteram maiestatis in excelsis (Hebr. 1,3); illud ἐν αὐτῷ videtur eiusdem esse notionis ac παρὰ σεαυτῷ 17,5; alii explicant : per semetipsum eum glorificabit, non per alium (δι' ἑαυτοῦ, οὐ δι' ἑτέρου, *Chr.*); sed haec gloria Christi quae *per* Patrem ei fit potius in sequenti membro enuntiatur *et continuo clarificabit eum* εὐθύς statim, confestim, i. e. iam antequam in illam gloriae coelestis societatem assumatur, uti glorificatus est in ipsa passione et morte variis prodigiis, confessione centurionis, resurrectione sua etc.; immo hoc *statim* clarificabit eum, prooemium esse potest ad eucharistiam instituendam, quae commode hoc loco inseritur, uti eam post hoc verbum iam collocavit Tatianus (cf. *Ciasca*, Tat. evang. harm. arabice, Romae 1888 p. 80), quem *Bar.* quoque sequitur. Et profecto in s. eucharistia habetur insignis glorificatio Iesu, cum ibi praesens sistatur modo adeo stupendo et humana eius natura exsistentiam in plurimis locis nanciscatur. Sermo qui sequitur et etiam tenerrima illa appellatio τεκνία optime excipit ipsam institutionem illam, quam concludit : hoc facite in meam commemorationem (Luc. 22,19. 1 Cor. 11,24).

Discessum suum, de quo in eucharistiae institutione mentionem fecerat, postea clarius iis proponit v. 33 *filioli* τεκνία, compellatio blanda, amore plena, qua acerbum discipulis nuntium emollire studet simulque animi sui in eos affectum tenerrimum testari vult, *adhuc modicum vobiscum sum;* tempus usque ad captivitatem, passionem, mortem brevissimum est; de hoc modico tempore plerique recte intelligunt (cf. *Theod. M. Rup. Alb. Thom. Cai. Tol. Mald. Corl. Schz.*); *Aug.* bene notat : « ne cui autem videatur abhorrere iste sensus a vero..., apud alium quoque evangelistam post resurrectionem verba eius attendat, ubi ait : haec locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum »

(Luc. 24,44); unde esse cum apostolis dicit de continua sua cum iis consuetudine, qualem post resurrectionem iam non habebat. Post eius discessum magno desiderio discipuli eius praesentiam optabunt : *quaeretis me, et sicut dixi Iudaeis : quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo;* cf. 7,34; quod antea Iudaeis dixit, hoc *nunc* vel modo ἄρτι discipulis dicit (*Ians. Mald. Schz.*); ita ex oppositione ad Iudaeos quibus antea dixit iungendum erit, quamquam non pauci ita : *modo* non potestis venire, hoc dico (*Theod. M. Aug. Bed. Thom. Cai. Lap.*). Iesus vadit ad Patrem; monet se iam Iudaeis dixisse, ut recordentur a se iam antea praedictum esse : vado ad eum qui me misit (7,34); proinde suam mortem non adduci arbitrio adversariorum. Iudaeis dixerat : et non invenietis; hoc discipulis non dicit; quare simul indicat ipsis suam opem et auxilium et consolationem non defore in tribulationibus, quas ipsa voce *quaeretis me* et comparatione illa : sicut Iudaeis dixi, satis innuit illis occursuras esse. Non possunt venire, utique nunc, statim non possunt; « nec enim tempus adhuc erat discipulos nondum ministerio suo consummato ad supernas transire mansiones; ea quippe migratio in congruum tempus servabatur » (*Cyr.*), cui rationi ex divina ordinatione et eorum munere apostolico depromptae alteram quoque addi posse censet *Ians.* : quia propter imperfectionem nondum apti sint regno Dei aut morti pro eius gloria tolerandae.

Cum itaque illis in vita mortali remanendum sit, formam vitae eos docet (*Ians. Tol.*) simulque assignat quomodo regno Dei se idoneos reddere debeant (*Rup. Thom.*) et discedentis in modum paterna monita iis dat v. 34 *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem;* prius ἵνα *ut* declarat ipsum mandatum et eius argumentum inducit; καθώς *sicut* exponit huius mandati normam et exemplum; alterum ἵνα *ut* indicat quid Christus hac sua dilectione etiam intenderit. Quaerunt cur dicat Iesus hoc mandatum *novum*, cum mandatum diligendi proximum iam etiam in lege datum sit (Lev. 19,18; cf. Matth. 5,43). Variae rationes assignantur. Frequenter *novum* cernunt in norma adiecta : sicut dilexi vos, quo modo addito ostendit « suam dilectionem aliquid maius ac praeclarius habere quam vetus illa in proximos dilectio; investigandus ergo horum verborum sensus et quaerendum quomodo nos Christus dilexerit; tunc enim, tunc quid novitatis et discriminis sit in eo quod nunc datur mandato facile recensebimus » (*Cyr.*) et hanc novitatem exemplo Christi in eo deprehendunt, ut Christus iubeat nos alios amare plus quam nos ipsos, ita ut vitam ipsam pro iis ponere parati simus (*Cyr. Theod. M. Ammon. Rup. Euth.*), vel ut diligamus praestantes beneficia nullo debito obstricti, quia Christus non nostris meritis praecedentibus

debitum persolverit, sed ipse coeperit nos amare (*Chr.*). Utique illud *sicut* varie concipi potest; tria deprehendit *Thom.* : Christus nos dilexit gratuite, efficaciter (probatio dilectionis est exhibitio operis) recte (i. e. nos in altero quod Dei est debemus diligere, sicut Christus nos dilexit in quantum similes sumus ei per gratiam adoptionis); dilectionem describi ait *Aug.* ab omni mundana dilectione discretam, Christum enim Deum in nobis dilexisse; dilectionem designari christianam (*Corl.*). Alii tamen *novum* vocari mandatum censent quia hoc mandatum moribus hominum antiquatum et a Iudaeis imperfecte observatum novus magister Christus renovavit et exemplo suo docuit (*Ians.*) vel quia hoc mandatum Iesus eousque non expresserat, unde nunc : novum hoc praeter alia omnia adiungo mandatum (*Tol.*) vel mandatum de novo do vobis, ut diligatis (*Mald.*).

Hoc symbolum et signum esse vult, quo sui a reliquis distinguantur v. 35 *in hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem;* ponitur, ut *Thom.* ait, ratio implendi hoc mandatum. Quicumque connumeratur militiae regis, debet portare eius insignia; insignia autem Christi sunt insignia caritatis; caritatis igitur charactere insigniri debet, quicumque militiae Christi annumerari vult. Multa dona acceperunt apostoli, miracula patrarunt; omnia ista non sunt signa discipulatus Christi, cum gratiae gratis datae esse possint communes bonis et malis. Quare suos caritate vult esse distinctos? quaerit *Chr.*, « quia hoc maxime sanctorum indicium est et argumentum; omnem quippe indicat sanctitatem; per hoc maxime omnes salutem consequimur; sic vos laudabunt omnes, cum vos viderint meam imitari dilectionem ». Hoc symbolo noti erant christiani : multitudo credentium erat cor unum et anima una (Act. 4,32); hanc caritatem mirabantur gentiles teste Tertulliano : « vide, inquiunt, ut invicem se diligant (ipsi enim invicem oderunt!), et ut pro alterutro mori sint parati (ipsi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt »; Apol. 39; *M.* 1,471). Caritas quippe est plenitudo legis (Rom. 13,10), Deus caritas est (1 Ioan. 4,8), in Christo apparuit caritas Dei et gratia (Rom. 5,8. Tit. 3,4); unde qui sunt Dei et Christi, hac caritate distinguantur oportet, prout scribit Minucius Felix : amant mutuo paene antequam noverint (Oct. 9; *M.* 3,261).

Magna quaedam et praeclara res est dilectio; cum itaque ferventissimus Petrus (ὁ θερμότατος Πέτρος) audisset Dominum dicentem : quo ego vado etc., iam non cohibetur, et non tam discendi quam eum sequendi desiderio quaerit (*Chr.*); v. 36 *dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? respondit Iesus : quo ego vado, non potes me modo sequi;* ex divina enim dispositione Petrus apostolatus munere fungi debuit et

hoc demum absoluto et divina ordinatione completa, *sequeris autem postea;* negat sequelam pro praesenti, sed certam pro futuro promissionem concedit. Alii causam cur *modo* non possit sequi repetunt ex eius fide imperfecta; « quid festinas, Petre? nondum te suo spiritu solidavit petra; noli extolli praesumendo » (*Aug.* sim. *Cyr. Ammon. Rup. Alb. Thom.*); melius alii causam repetunt ex munere quod obeundum ei erat (*Apol.* in cat. *Schg. Schz.*) et alii ex utraque ratione : tum ex officio quod antea implendum erat, tum ex eius viribus adhuc infirmis, nondum Spiritu s. accepto roboratis (*Ians. Tol. Mald. Lap.*). Sed postea sequi Petro non videtur satis; « se modo non posse » considerat quasi sibi defectus fortitudinis ac fidelitatis obiiceretur; unde v. 37 *dicit ei Petrus : quare non possum te sequi modo?* nondum didicit verbo Domini acquiescere, quamvis in lotione pedum ea de re esset a Christo reprehensus; et se posse vult ex abundanti probare : *animam meam pro te ponam* paratus sum pro te mori! quale igitur periculum me posset a te separare, quia ne mortis quidem timor me retardabit? Nimiam eius confidentiam Christus retundit v. 38 *respondit ei Iesus : animam tuam pro me pones?* quantum abes a tali animi robore! *amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges*, i. e. ter negabis me nosse ante gallicinium, quae est quarta et postrema noctis pars sic vocata (*Patr.*); proin ante huius ipsius noctis finem iam tuum quod iactas robur miserrime te reliquit! « ecce quomodo tibi cito apparebis qui magna loqueris et te parvulum nescis; qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam; qui te iam putas mori posse pro me, prius vive pro te : nam timendo mortem carnis tuae mortem dabis animae tuae; quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum » (*Aug.*).

d) Quae bona praestet fides Iesu 14,1-14.

14,1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multae sunt. Si quo minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, et praeparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. 4. Et quo ego vado scitis, et viam scitis.

5. Dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire? 6. Dicit ei Iesus : Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Pa-

14, 1. Μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία· πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. 2. ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ πατρός μου μοναὶ πολλαί εἰσιν· εἰ δὲ μὴ, εἶπον ἂν ὑμῖν ὅτι πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. 3. καὶ ἐὰν πορευθῶ καὶ ἑτοιμάσω τόπον ὑμῖν, πάλιν ἔρχομαι καὶ παραλήμψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν, ἵνα, ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς ἦτε. 4. καὶ ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, οἴδατε τὴν ὁδόν.

5. Λέγει αὐτῷ Θωμᾶς, Κύριε οὐκ οἴδαμεν ποῦ ὑπάγεις· πῶς οἴδαμεν τὴν ὁδόν; 6. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς καὶ ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή· οὐδεὶς ἔρχεται

trem, nisi per me. 7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.

8. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. 9. Dicit ei Iesus : Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. 11. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet; quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

πρὸς τὸν πατέρα, εἰ μὴ δι' ἐμοῦ. 7. εἰ ἐγνώκειτέ με, καὶ τὸν πατέρα μου ἂν ᾔδειτε, ἀπ' ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, καὶ ἑωράκατε.

8. Λέγει αὐτῷ Φίλιππος, Κύριε, δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν. 9. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Τοσοῦτον χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με, Φίλιππε; ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακεν τὸν πατέρα· πῶς σὺ λέγεις, Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα; 10. οὐ πιστεύεις ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· ὁ δὲ πατὴρ ἐν ἐμοὶ μένων ποιεῖ τὰ ἔργα αὐτοῦ. 11. πιστεύετέ μοι ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί, εἰ δὲ μὴ, διὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ πιστεύετέ μοι. 12. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ κἀκεῖνος ποιήσει, καὶ μείζονα τούτων ποιήσει· ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν πατέρα πορεύομαι. 13. καὶ ὅ τι ἂν αἰτῆτε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω· ἵνα δοξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. 14. ἐάν τι αἰτήσητέ με ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω.

In v. 1 add D και ειπεν τοις μαθηταις αυτου, sim et ait discipulis suis a c d mt steph; sin dixit Iesus; dub eg credite in Deum, item sin, sed : in me creditis. In v. 2 om οτι N Γ Δ Λ unc 6 al pler a e f q go aeth Chr. In v. 3 om sin locum. In v. 4 υπαγω, οιδατε την οδον ℵ B C* L Q X aliq minusc a r cop aeth. In v. 5 πως οιδαμεν την οδον B C* D Cyr aeth a b e m Tert; sin quomodo possumus scire viam quae sit? In v. 7 αν ηδειτε B C* L Q X aliq minusc Bas Cyr; al γνωσεσθε; mu εγνωκειτε αν; cognovistis a b c ff² m; cognoscitis e q; mu codd vulg amodo cognoscitis eum; nostis a b c e ff² m; et videtis e f m; eum om dub r. In v. 9 it vulg aeth cognovistis; pler codd vulg vidit (bis); videt dub eg for mt rush wil. In v. 10 non credis pler codd vulg; creditis am cav dun st lind steph sixt; τα εργα αυτου ℵ B D Ti W H cop aeth Hil. In v. 11 B δια τα εργα αυτου; al αυτα; sin om v. 11. In v. 13 patrem add for steph sixt; ab eo b; ab illo c. In v. 14 sat mu om με, om me a e ff² d q r dub eg rush tol wil; sin om v. 14 quoque.

Propter negationem Petro praedictam discipulos esse turbatos, moerore et tristitia affectos, cum de se quisque timeret adeoque Christum eos blande allocutum esse aliqui censent (cf. *Chr. Cyr. Ians.*); at rectius existimat *Thom.* iis a Christo consolationem et confortationem praeberi contra eius recessum. Ad hoc enim sermo subsequens dirigitur totus. Modo Christus dixerat : adhuc modicum vobiscum sum; quo ego vado, vos non potestis venire (13,33); et quia haec locutus est eis, tristitia implevit cor eorum (cf. 16,6). Magistrum, cui totos se devoverunt, recedere; eumque recedere, uti ipsis videbatur, re infecta, munere messiano non completo; ipsos relictum iri sine tutela odio et persecu-

tionibus pharisaeorum; ipsos iam separari ab eo quem tam fideliter diligebant, quid tristius et magis aerumnosum accidere poterat? Quare quam maxime opus habebant consolatione, confortatione, explanatione. Et Christus pro summa in eos dilectione (13,1) eos modo plane paterno erigit et edocet; v. 1 *non turbetur cor vestrum* μὴ ταρασσέσθω ne tristitia, metu, anxietate percellatur, neve dubiis exagitetur; et horum omnium remedium assignat fidem; *creditis in Deum et in me credite;* utrimque graece πιστεύετε; unde sat multi utrimque imperativum explicant (cf. *Cyr. Nonn. Euth. Aug. Schg. Schz. Keil, Weiss*) aliis interpretationem vulg. praeferentibus (*Mald. Corl. Fil.*); neque immerito; nam magis congruit ad id quod Iesus vult: nam ex fide quam habent in Deum iis persuadet, ut in se quoque credant; iis in memoriam revocat, quod si in Deum credunt etiam in se debeant credere, quippe qui missus sit a Deo, habeat testimonium Dei, operetur opera Dei, sit unum cum Patre. Sententia proinde est : si in Deum creditis, vel sicut, vel quia in Deum creditis, ideo vel ita in me quoque credite; quae sententia plane apta est ad doctrinam toties traditam (cf. 5,19 seq. 36 seq. 8,18. 28. 38; 10,30. 38; 12,44-50); et ipsa exhortatio maiorem habet vim, quia tamquam consectarium necessarium ex veritate admissa proponitur.

Praeclare ea admonitione effertur vis et efficacia fidei; credite « i. e. omnes aerumnae pertransibunt; nam fides in me et in Patrem fortior est aerumnis omnibus nec sinet vos malis obrui » (*Chr.*); « fides itaque armatura est infracta ac lata quae ignaviam ac terrorem avertit et nequitiae tela irrita et inutilia prorsus efficit » (*Cyr.*). Fidem autem exigit etiam in se, tum ut sequentibus suis promissionibus quibus eos consolari studet fidem habeant, tum ut fiduciam suam in ipso collocent, sicut in Deo collocant, qua fiducia et fide facile animi turbationem omniaque mala superare possint. Si enim fidem in se exigit, non solum eam fidem requirit qua credatur esse Christus, verax in sermonibus, sed etiam eam qua fiducia in se collocetur tamquam eo qui etsi secundum corpus eos est deserturus, sua tamen ope ac divinitate nunquam est derelicturus. Haec est enim fides, de qua Ioannes, haec est, inquit, victoria quae vincit mundum, fides nostra; haec est fides quae timorem et turbationem pellit e corde, qua summa cum confidentia dicimus : Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo (Ps. 26,1; *Ians.*)? Eos itaque adhortatur v. 1 ad excutiendam omnem turbationem et ad fidendum in se; tum iam incipit aperire bona quae per ipsum tuto exspectare debent et propter quae omnis turbatio sit consolatione et spe expellenda; proinde ne propter 13,33.36 existiment se non posse perve-

nire aut solum Petrum eo perventurum quo ipse vadat, subiungit v. 2 *in domo Patris mei mansiones multae sunt* ἱκαναὶ δέξασθαι καὶ ὑμᾶς (*Euth.*), quae itaque sufficiant pro vobis et innumeris aliis (*Tol.*); effertur itaque multitudo (cf. *Chr. Theoph. Cai. Tol. Corl. Schz. Fil.*); alii ipsa multitudine etiam indicari volunt diversitatem pro gradu ac diversitate meritorum (*Cyr. Aug. Rup. Alb. Thom. Salm. Bar. Ians. Mald. Lap.* et in cat. *Theod. heracl.*), id quod tamen voce sola vix contineri dicendum erit, nisi dixeris ipsa multitudine iam varietatem insinuari solere. Id eorum animis Christus quam maxime imprimere vult; unde addit ad certam persuasionem gignendam, uti humano more in simili conditione loqui solemus : *si quo minus*, si non ita esset, *dixissem vobis, quia vado parare vobis locum* i. e. nam discedo a vobis causa vestri et vado ad Patrem, ut vobis parem locum (*Tol.*). Illud ὅτι *quia* non est recitativum, ut multi explicant (*Cyr. Aug. Thom. Corl.*), sed rationem reddit (cf. *Tol. Bar. Patr. Schg. Schz. Fil. Weiss*); Christus itaque est praecursor noster (πρόδρομος Hebr. 6,20). Et quod vadit ad parandam mansionem suis in domo Patris, eos de discessu consolari debet.

Si ὅτι accipitur recitativum, habetur sententia : si quo minus, dixissem vobis me vadere ut vobis locum parem. At tunc oritur difficultas ex v. 3, in quo absolute dicitur id quod modo negatum est. Quam contradictionem inter v. 2 et 3 aliqui ita tollere student, ut in v. 2 mansiones parari, in v. 3 autem mansores parari velint (*Aug. Bed. Rup.*) vel in v. 2 mansiones esse praedestinatas, ideo significasse non ire se ut eas paret; sed non esse paratas i. e. non posse quemquam in illas ingredi, nisi prius ipse aditum praeeundo patefecerit in v. 3; proin in v. 2 sermonem esse de praedestinatione, in v. 3 de operatione. Sed notat *Mald.* : « utraque expositio dura est; sed alterutra necessaria est, cum nulla tertia melior apparet »; duram esse ex eo quoque elucet quia in v. 2 et 3 idem verbum ἑτοιμάσαι legitur, proin expositio diversa admitti nequit. Alio modo *Euth.* etiam v. 3 regi vult ab illo ὅτι : hoc etiam dixissem vobis quod si abiero etc.; id quod sane durum est; meliore modo nodum solvit *Corl.* sententiam legens cum interrogatione : si non esset ita, numquid vobis dixissem quia vado parare vobis locum? « sic optime cohaeret contexta oratio nec dicenda est textui originali adversari, quippe qui interpunctione caret »; hoc utique verum est; at interrogationi obstat quia Christus nondum dixerat : vado vobis parare locum, sed solum : quo ego vado vos non potestis venire. Facile *Salm.* evitat difficultatem sequens alteram lectionem graecam, qua ὅτι omittitur : sin minus, dixissem vobis. Vado parare vobis locum; ita alii quoque (apud *Lap.*).

Sed cum mansiones iam sint in domo Patris, ideoque paratae ad excipiendos amicos Dei, quomodo dicit Christus se parare locum?

Respondent parasse per merita et sanguinem, per redemptionem (*Alb. Bar.*), aperuisse morte sua ianuam coeli eousque clausam, ipsum suo in coelum ingressu viam ad coelum patefecisse (*Cyr. Cai. Tol.*). Utut haec vera sunt, tamen verbis Christi non congruunt; nam dicit v. 3 *et si abiero et praeparavero vobis locum*, ἐάν *si* conditionem necessariam designat quae antea impleri debeat; praeparationem hanc itaque facit post suum recessum, postquam abiit ad Patrem; unde *parare locum* declarat id quod ipse in gloria assumptus est facturus, ut locus in coelo eis paretur, i. e. mittet Spiritum sanctum, cuius gratia idonei fiunt capiendis mansionibus, vivit ad interpellandum pro nobis, militibus suis continuo ope sua adstat et omnia illa eis suppeditat quibus praemio coelesti efficiantur digni et ita eis locum i. e. gradum gloriae in domo Patris parat. Significat igitur Christus se continuo curam suorum gesturum et ad dexteram maiestatis sedentem se pretium redemptionis abundantia donorum et gratiarum suis applicaturum. Postquam tali modo discipulis suis convenientem gradum gloriae providit, *iterum venio et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis*, evangelista haec verba Christi nobis refert eo tempore quo omnes apostoli ipso excepto iam obierant, quo itaque illud desiderium et suspirium : cupio dissolvi et esse cum Christo, iam in omnibus erat impletum. Unde evangelista haec verba non potuit non intelligere de adventu Iesu, quatenus in morte singulorum venire et singulos ad sui consortium coeleste avocare et assumere dicitur. Certissime evangelista non potuit concipere verba haec solum valere de secundo Christi adventu et de resurrectione corporum; nam evidenter scivit eos qui dormierunt esse cum Christo, quamvis utique resurrectione facta etiam corpore glorioso induti, ratione quadam pleniore, participes futuri sint gloriae Christi. Etsi itaque alibi Christus venire dicitur ita, ut alter eius adventus significetur, tamen hoc loco aperte docemur illud *venire* ἔρχεσθαι nullatenus ad unam illam notionem de altero adventu coarctandum esse.

Idem aliis quoque locis docemur. Nam : ideo et vos estote parati, quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est (Matth. 24,44) et vigilate, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes (Marc. 13, 36), haec et similia dicit discipulis neque iis solis; nam : quod autem vobis dico omnibus dico : vigilate (Marc. 13,37). Iam clarum est Christum de iis loqui qui secundum eius adventum visuri ante suam mortem non sunt, idque eum scire. Quid ergo illud *venire* significare debet? Morte unusquisque sistitur coram tribunali Christi; quare vero sensu ipse venit iudex in morte singulorum (cf. Comment. in Matth. II p. 352). Praeterea ex usu loquendi in vetere testamento Deus dici-

tur egredi, venire, si agitur de actione particulari iudicis Dei aut opitulatoris (cf. Comment. in Proph. min. II p. 73). Quare iterum intelligitur, cur Iesus qui singulos morte ad suum tribunal et ad praemium vel supplicium vocat, *venire* dici possit et merito dici venire in morte singulorum. Unde verba haec *iterum venio* etc. recte de morte singulorum[1] accipiunt *Thom. Schg. Fil.;* alii *iterum venio* referunt ad resurrectionem Christi, qua facta eos sit visurus (*Alb. Rup. Salm.*), alii locutione complexa dicere Christum de utroque adventu i. e. in morte singulorum et ad ultimum iudicium, quia assumptio illa ex parte compleatur in morte, perfectissime in resurrectione generali (*Alb. Ians. Bar. Corl.*), alii demum solum de secundo adventu verba concipi posse arbitrantur (*Schz. Weiss*).

Iam antea dixerat Iesus : vado ad eum qui me misit (7,33) et modo, in domo Patris esse mansiones multas et se vadere ad locum illis parandum; unde merito inferre potuit v. 4 *et quo ego vado scitis et viam scitis,* graece plerumque : et quo vadam, viam scitis; quo ipse vadat, clare in antecedentibus expressum est; sed quae via intelligitur? posset concipi via illa, per quam ipse vadat ad Patrem, i. e. passio, de qua discipulis iam saepius locutus est (Matth. 16,21; 17,12; 20,18. 19) sed de qua parum intellexerant. At ex subsequentibus patet Christum se ipsum dicere viam; quare hic iam intelligit viam per quam discipuli pertingant illuc quo ipse vadit, i. e. ad domum Patris, ad Patrem. Etiam hanc viam iam nosse poterant, quia dixerat Iesus illos habituros vitam qui veniant ad se (5,40; 6,35. 39. 40. 47). Si itaque dicit *scitis,* indicat illos habere rationem sciendi sufficientem (*Cai.*). Dicens autem tam asseveranter *scitis* innuit eos habere in hoc valentissimam consolationis causam; et eo ipso eos provocat, ut quo vadat et viam quam maxime animis imprimant eamque rem clare habeant perspectam. Dicit itaque *scitis,* ut si rem non plane intelligant eos ad interrogandum invitet, simili modo quo solet magister re dicta quandoque affirmare : nunc scitis, ut si non bene perceperint dubia proponant discipuli. Et revera illud *scitis* mirum videtur Thomae et quod sibi accidit reliquis quoque evenire existimat; « scire se nesciebant » (*Aug.*) v. 5 *dicit ei Thomas* (cf. 11,16) : *Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire?* interrogat ut discat (*Cyr.*), sed simul aliquid timoris (*Chr.*) et tristitiae in verbis exprimi nemo negaverit.

Iesus tarditati discipulorum occurrit et plenissime respondet v. 6 *ego sum via et veritas et vita; nemo venit ad Patrem nisi per me;* en

1. *Holtzmann* : der Tod der Jünger erscheint als Heimholung; mors discipulorum exhibetur ut deductio in domum paternam.

meta et terminus quo sit perveniendum, quo Christus vadit et quo discipuli perducendi sunt : venire ad Patrem; via est ipse Christus, cum nemo alia ratione quam per eum ad Patrem venire possit; nam non est aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4,12). Christus est via, quia per ipsum solum a peccato ad statum gratiae et iustitiae, et ab hoc saeculo ad aeternam beatitudinem pervenitur; est via quia ipse nos Deo reconciliat, nobis doctrina et exemplo demonstrat quomodo vivendum (ambulandum in vita temporali) sit, ut ad terminum beatum pertingamus. Cum autem dicat : ego sum ἡ ἀλήθεια καὶ ἡ ζωή clare naturam suam divinam affirmat; solus quippe Deus dici potest ipsa veritas, ipsa vita. Qua sui ipsius designatione simul abundantissime declarat, quomodo nobis sit via ad Patrem : fons scil. et auctor fidei et cognitionis Dei, qui illuminat omnes et solus de coelestibus et de Deo nos docet (cf. 1,9. 18; 3,11; 6,46; 8,38); est ipsa veritas, unde effata eius et promissiones firmissima sunt neque unquam eludi aut irrita fieri possunt; quare simul maxima causa consolationis discipulis praebetur. Est ipsa vita in se, habens naturam divinam, fontem et originem omnis vitae; est vita quoad alios, quatenus veram vitam, vitam aeternam ac beatam iis communicat; ipse enim dat vitam supernaturalem, aeternam (cf. 4,14; 5,24. 40; 6,33. 40. 41. 48. 51. 58; 8,12; 10,28); ipse est resurrectio et vita (cf. 5,25. 26; 6,39. 44. 50. 55; 11,25. 26). In hac quoque voce et sui ipsius designatione uberrima reconditur consolationis et confortationis materia. Si ipse est vita, ergo iis qui ipsi coniuncti sunt iam mors nullatenus est timenda. « Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur; ego sum via quam sequi debes, veritas cui credere debes, vitam quam sperare debes; ego sum via inviolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis; ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, beata, increata » (Imit. Chr. 3,56).

Quia Christus est via, veritas, vita, etiam explicatum est, cur nemo veniat ad Patrem nisi per Christum. Ad Patrem enim venire in hoc contextu est ad visionem beatificam pervenire, ipsa frui visione Dei; Deus autem est veritas et vita. Per Christum primo reconciliamur Deo, evadimus amici Dei, et ita quantum hisce in terris licet venimus ad Patrem; per eundem qui est veritas et vita nobis continget ipsius veritatis et vitae i. e. Dei visio ac possessio beata. Postquam Christus se testatus est esse ipsam veritatem et vitam, potest pergere cum tacita quadam reprehensione v. 7 *si cognovissetis me et Patrem meum utique cognovissetis;* nam Deus Pater est veritas et vita; ipsa enim veritas ἡ ἀλήθεια et ipsa vita non possunt enuntiari nisi de Deo, proinde si Christum cognovissent, cognovissent eum tamquam habentem naturam

divinam adeoque consubstantialem Deo Patri, proin Patrem quoque cognovissent; et nunc saltem debent Christum cognoscere tamquam habentem naturam divinam, quia tam explicite testatus est : ego sum veritas et vita; quare Iesus pergit : *et amodo cognoscetis* (lege *cognoscitis* γινώσκετε, vide lect. var.) *eum et vidistis eum* ἑωράκατε i. e. noscentes Christum noscunt Patrem; Christum viderunt et continuo vident, ergo Patrem notione visum habent; ἀπ'ἄρτι ab hoc tempore, ab hoc momento, quo scil. Christus hoc de se testimonium reddidit debent eum cognoscere; id saltem merito Christus postulare potest, praesertim quia alias iam tot testimonia de divina sua natura perhibuit (cf. 5,18. 19; 8,58; 10,30. 38; 12,45). Quare non opus est illud *amodo* explicare de futura cognitione per Spiritum sanctum danda (*Chr. Tol. Lap. Bar. Calm. Nat.*) neque γινώσκετε explicare per imperativum (*Cai. Weiss*), quae acceptio minime consentanea esse potest ad *vidistis;* ceterum vide 8,19. De qua visione Patris sermo sit, concludi potest ex aliis Christi verbis 6,46 : non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem (cf. 1,18); non itaque de visione corporali aut visione perfecta intellectuali, sed de cognitione quae huius vitae conditionibus respondeat.

« Discendi quidem cupidus erat Philippus, sed in comprehendendis divinis speculationibus haud satis acutus » (*Cyr.*), ad quod conferri potest 6,5-7; scivit Moysi et quandoque prophetis theophanias fuisse concessas (*Cyr. Theoph.*); inde ut simili modo ipsis quoque Pater ostendatur petit v. 8 *dicit ei Philippus : Domine ostende nobis Patrem* δεῖξον, ut semel pro brevi tempore ostendat innuitur; nam imperativo aoristi solum significatur fieri actionem, dum imperativo praesentis temporis ipse status et conditio perdurans exprimi solet; *et sufficit nobis,* nil ultra quaerimus (*Chr.*); sufficit ad deponendum omnem timorem et tristitiam; sufficit, ut timore ac tristitia depositis non opus sit ad nos erigendos et consolandos pluribus rationibus (*Tol.*). Apparet quam parum concluserint ex effatis Christi quod concludendum erat : Christus est Filius Dei, habens naturam divinam; proin ab eo edoceri, promissiones accipere, ab eo assumptum iri debet plane sufficere, debet multo pluris aestimari quam theophania quaedam transiens. Quare Christus tarditatem carpit et reprehendit et quae iam docuerat non sine quadam animi admiratione et acerbitate denuo repetit v. 9 *dicit ei Iesus : tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me* (lege : cognovisti me) *Philippe? qui videt me, videt et Patrem;* cf. 12,45; bene notant hisce duos errores confodi : enuntiatur consubstantialitas Filii cum Patre et distinctio personarum; « non cognovisti me? quaenam haec consequentia? multa sane; quia enim Filius idip-

sum est quod Pater, manens tamen Filius, iure in se Patrem ostendit; deinde hypostases distinguens ait, qui videt me, videt et Patrem, ne quis diceret eundem esse Patrem et Filium ». (*Chr.* sim. *Cyr.*). Visum hic vocat τὴν κατὰ διάνοιαν γνῶσιν (*Ammon.*); « sicut mea divinitas per hanc carnem assumptam videtur, ita etiam videtur divinitas Patris quae eadem est » (*Tol.*).

« Tamquam enim melior esset Pater quam Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat et ideo nec Filium sciebat quo melius esse aliquid credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est : qui videt me, videt et Patrem » (*Aug.*); unde : *quomodo tu dicis : ostende nobis Patrem?* et quam immerito id postulet, declarat Iesus repetens institutionem iam traditam v. 10 *non creditis* (lege : *non credis*) *quia ego in Patre et Pater in me est?* cf. 10,38; « cur in similibus distantiam cupis cernere? cur inseparabiles separatim desideras nosse » (*Aug.*)? et subdit manifestationem dictorum, quae habetur in verbis et operibus (*Thom.*); probat scil. ab effectu se esse in Patre et Patrem in se : *verba quae ego loquor vobis a meipso non loquor;* id iam antea docuit dicens : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem 5,19. 30; sicut audio (a Patre), sic iudico; ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo 8,26; vide 7,16; 12.49. Ita probat se esse in Patre. Dein pariter ex effectu probat Patrem esse in se : *Pater autem in me manens ipse facit opera* τὰ ἔργα αὐτοῦ; vide 5,20 : Pater diligit Filium et omnia demonstrat ei quae ipse facit; 5,30 non possum ego a me ipso facere quidquam; 5,36 opera quae dedit mihi Pater; cf. 8,28. 29; declarat itaque se peragere opera virtute divina sibi indita et proin, quia una est natura et virtus divina, opera illa peragi pariter a Patre; cf. 5,21. 26; « ideo Pater in illo manens facit opera, quia per quem et cum quo facit, non est nisi ab ipso » (*Aug.*). Et quantopere hanc περιχώρησιν, hanc circumincessionem divinarum personarum mentibus discipulorum impressam velit, repetitione declarat et argumento denuo addito urget v. 11 *non creditis,* « antea solus Philippus arguebatur; nunc autem non ibi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur » (*Aug.*), idque merito; Philippus enim quasi nomine omnium locutus est *nobis* dicens; *quia ego in Patre et Pater in me est?* v. 12 *alioquin propter opera ipsa credite;* dicit discipulis iterum quod antea iam Iudaeis dixerat : si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre 10,38. Uti saepius, ad operum testimonium provocat; opera enim talia sunt qualia nemo facere possit nisi Deus sit cum eo; et proin iis testimonium exhibetur Deum quoque verba eius et doctrinam approbare (cf. 3,2; 5,36; 6,27; 8,18; 15,24).

Animos apostolorum erigit, confortat, consolatur divinitate sua adeo clare exposita. Qua fide quid posset valentius esse ad omnem turbationem pellendam? nam a Christo se diligi sciunt et is a quo tenere diliguntur est Deus! De recessu suo eos consolatus est quia veniet et assumet eos ad seipsum v. 3; nunc eos consolatur promissionibus magnificis pro tempore illo intermedio a recessu suo usque ad assumptionem. Et primo quidem consolationem iis praebet exhibendo quali mercede et successu fidem illorum sit remuneraturus : *amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum* (hisce maiora) *faciet, quia ego ad Patrem vado;* opus igitur Christi continuabunt, immo maiore successu et effectu opus messianum, evangelium regni Dei, praedicabunt et propagabunt et eam operis maioris gloriam consequentur *quia* ego vado ad Patrem; i. e. vado, munus meae manifestationis et evangelii praedicandi credentibus committo et relinquo; vado ad Patrem i. e. gloriam meam recipio, ideoque regnans in gloria vobis tribuam, ut opera faciatis maiora his quae ego in habitu servi, in carne mortali feci; nam « dum ero glorificatus, decet me maiora facere et etiam dare vobis virtutes maiora faciendi » (*Thom.* sim. *Tol.*); cf. 7,39 nondum Spiritus erat datus quia Iesus nondum erat glorificatus et 12,32 si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Quia igitur Christus assequitur regnum et gloriam vadens ad Patrem, haec est causa faciendi maiora pro discipulis. Haec maiora bene designat *Rup.* verbis illis : in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum (Ps. 18,5; cf. Rom. 10,18). Atque praedicationem illorum iri adiutum signis et prodigiis multis et generatim ope fidei miracula iri patratum Christus hisce quoque verbis promittit et praedicit, idque explicite quoque asseruit post resurrectionem (Marc. 16,17. 18). Recole quam praeclara impletio huius promissionis iam cernatur in Actibus apostolorum et in epistolis paulinis tum propagatione evangelii tum patratione signorum.

Maiora quoque facient et generatim maximam habent rationem consolationis, quia (ita ὅτι quoque pertinet ad sententiam per καὶ adnexam), v. 13 *et quodcumque petieritis* (*Patrem*) *in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio;* nomine innotescit ac designatur persona; unde nomen Dei saepe ponitur pro iis quae Deus de se revelavit et quae de ipso ab hominibus cognoscuntur, ergo pro ipso Deo (vide Comment. in Is. I p. 293. 464. 475; in Matth. II. p. 110. 127); nomen Christi igitur dicitur pro ipso Christo in quantum eius dignitas, voluntas, ratio muneris nobis innotescit; inde petere in nomine Christi est petere in Christo, in unione cum Christo, ut orans sit gratia

coniunctus cum Christo (cf. 15,4) et cum dicatur *in nomine*, designatur unio cum Christo quatenus spectatur id quod Christus ratione sui muneris et doctrinae vult; brevi petere in unione cum Christo ad eius opus perficiendum. Quod hac ratione petitur, id est quod Christus vult et proin *hoc faciam*. In hac acceptione continentur reliquae explicationes quae proponi solent : petere invocato nomine Iesu, eius mandato, pro salute quam vult, cum confessione Filii Dei et salvatoris (cf. *Nonn. Theoph. Euth. Aug. Rup. Thom.* etc.), virtute et meritis Christi (*Ians. Lap.*), ad laudem et gloriam eius (*Cai. Salm. Tol.*). Et finis omnium ultimus est gloria Dei, quam gloriam ut hominibus manifestaret et Deo satisfactione praestita redderet Filius de coelo descendit, quam gloriam ut promoveat spondet se omnia facturum quae pro ratione muneris ad opus messianum propagandum discipuli petierint. Quo maiore fiducia petant, repetit v. 14 *si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam*, simul in illo *me* declarans denuo suam cum Patre consubstantialitatem ad corrigendum sensum illum quo Philippus dixerat : ostende nobis Patrem et sufficit nobis (*Rup.*). Etsi itaque Iesus discedat, tamen petentibus et invocantibus praesto est ac si praesens iis adstaret. Unde habent quo se consolentur, et cum talia promittat quia vadit ad Patrem (v. 12), etiam eos edocet expedire ad eorum utilitatem ut vadat ad Patrem (*Mald.*).

e) Iesus promittit Paraclitum 14,15-31.

14,15. Si diligitis me, mandata mea servate. 16. Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit, et in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos. 19. Adhuc modicum, et mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego vivo, et vos vivetis. 20. In illo die vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.

22. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes :

14, 15. Ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς τηρήσετε. 16. κἀγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα ᾖ, 17. τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ οὐδὲ γινώσκει· ὑμεῖς γινώσκετε αὐτὸ, ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, καὶ ἐν ὑμῖν ἐστίν. 18. οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. 19. ἔτι μικρὸν καὶ ὁ κόσμος με οὐκέτι θεωρεῖ, ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με· ὅτι ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσετε. 20. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὑμεῖς γνώσεσθε ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν. 21. ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου καὶ τηρῶν αὐτὰς, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με· ὁ δὲ ἀγαπῶν με ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου· κἀγὼ ἀγαπήσω αὐτὸν, καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν.

22. Λέγει αὐτῷ Ἰούδας, οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης, Κύριε, τί γέγονεν ὅτι ἡμῖν μέλ-

Domine, quid factum est quia manifestaturus es nobis te ipsum, et non mundo? 23. Respondit Iesus et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus; 24. Qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris.

25. Haec locutus sum vobis apud vos manens. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater maior me est. 29. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat; ut quum factum fuerit, credatis.

30. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quidquam. 31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

λεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ; 23. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει, καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιησόμεθα. 24. ὁ μὴ ἀγαπῶν με τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ· καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός.

25. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων. 26. ὁ δὲ παράκλητος, τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον ὃ πέμψει ὁ πατὴρ ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν ἐγώ. 27. εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, μηδὲ δειλιάτω. 28. ἠκούσατε ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, Ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. εἰ ἠγαπᾶτέ με, ἐχάρητε ἂν ὅτι πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα· ὅτι ὁ πατὴρ μείζων μου ἐστίν. 29. καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι· ἵνα, ὅταν γένηται, πιστεύσητε.

30. Οὐκέτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν· ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου ἄρχων, καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν· 31. ἀλλ' ἵνα γνῷ ὁ κόσμος ὅτι ἀγαπῶ τὸν πατέρα, καὶ καθὼς ἐντολὴν ἔδωκέν μοι ὁ πατὴρ, οὕτω ποιῶ. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν ἐντεῦθεν.

In v. 16 alium advocatum a c e m q Tert Novat Hil; consolatorem r Hil Hier (in Is. 40). In v. 17 mu codd vulg cognoscitis; manet it cav tol; est it; add e in aeternum; εστιν B D* tol go. In v. 18 venio b c d e ff² r. In v. 22 codd vulg longe pler scariotis, D ουχ ο απο καρυωτου; sin (et curet) thomas. In v. 26 advocatus a m q, consolator r; sin spiritus paracletus; v. 28 sin qui maior me est; v. 30 sin iam non loquar vobiscum.

Discessu suo commemorato normam vitae subiunxerat (supra 13,34) scil. caritatem. Idem hoc loco v. 15 *si diligitis me*, hanc dilectionem exhibete non in moerore et tristitia de meo recessu, sed *mandata mea servate*, et haec exhibitio dilectionis vestrae simul conditio est et praeparatio ad novum beneficium quod Christus ad eorum consolationem illis est largiturus (cf. *Thom. Bar. Corl. Schz. Fil.*); nam promissionem Spiritus sancti arcte loquendi formula adiungit ad hanc sententiam : si diligitis etc. v. 16 *et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum;* iam nova

consolationis ratio : iste παράκλητος non recedet ab eis, manet semper apud eos nunquam eos relinquens; ergo habent quo se consolentur de Iesu recessu. Dicit se rogare Patrem (cf. 17,9. 15,20), quamvis propter merita, quae in sua natura humana acquisierit meruerit, ut ille daretur (*Bon.*). Cum discipuli saepius viderint eum orantem, hac quoque precatione ad Patrem discebant, quanta de ipsis cura Iesus teneretur. Ceterum eodem modo Christus pro natura sua divina etiam dicit a se mitti Paraclitum (16,7) vel dari (20,22); παράκλητος vertitur in vulg. 1 Ioan. 2,1 advocatus, quae notio voci congruit, significat enim eum qui ad auxilium vocatur, patrocinium alicuius rei suscipit, adiutor, defensor exsistit (cf. *Alb. Patr. Fil.*), patronus, qua dictione *Ians.* censet sufficienter latine vocem exprimi, « patroni enim est suggerere clienti quae sunt utilia atque ad ea adhortari, consolari moerentem et intercedere pro eo apud alios » et *Euth.* dicit παράκλητον παραινέτην καὶ ἀλείπτην ἐν τοῖς ἄθλοις τῆς ἀρετῆς καὶ ψυχαγωγίαν ἐν ταῖς θλίψεσι καὶ ἀντίληψιν, proin admonitorem, praeceptorem, solatium, subsidium. Saepe explicare solent *Consolatorem*, quae notio etiam consequitur ex generaliore illa auxiliatoris, patroni; at per se sola si sumitur arctior est. Dicit *alium* Paraclitum scil. praeter se; nam v. 6. 13. 14 et Iesus se tamquam adiutorem qui causae eorum patrocinetur designat (cf. v. 18. 21. 27).

Clarius alium hunc Paracletum describit v. 17 *Spiritum veritatis* τὸ πνεῦμα τῆς ἀλ. quo significat hunc non corporaliter ac visibiliter cum eis mansurum, sicut ipse cum eis conversatus fuerat; est Spiritus veritatis, auctor veritatis et largitor, qui sine ulla erroris admixtione docet (*Ians. Tol.*), qui a veritate procedit et veritatem dicit (*Thom.*), *quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum*, i. e. improbi (*Chr.*), qui solum mundana ac terrena sapiunt (*Euth.*), quia animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi (1 Cor. 2,14) et in malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis (Sap. 1,4). Mundus enim, uti regno Dei opponitur, concipitur dominio diaboli subiectus; quem mundum alias vocat tenebras. Talis autem mundus, utpote spiritui erroris et mendacii subiectus, non videt θεωρεῖ, non mente contemplatur et perpendit veritatem, sed potius odio habet, aversatur, nec scit γινώσκει, non cognoscit nec agnoscit eam, ut scil. secundum eam veritatem vita instituatur; si autem veritatem mundus revera negligit, reprimit (cf. Rom. 1,18), Spiritum quoque veritatis recte dicitur nec videre nec scire; inde autem consequitur, quod eum *non potest* accipere, quia scil. et quamdiu se mendacio et odio veritatis mancipaverit. Verum plane alia est sors discipulorum, quibus maxima emo-

lumenta contingunt : *vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit et in vobis erit*, γινώσκετε; non suo merito eum accipient, non accipiunt, quia cognoscunt; sed cognoscent eum ex illius gratia et praesentia; manebit manet (cf. lect. var.) apud eos spirituali quadam conversatione, protectione (*Tol.*); neque hoc solum, sed quod maius est *et in vobis erit*, non solum gratiam et dona vobis infundet, verum ipse in vobis inhabitabit; insinuatur divinitas eius, quia naturae divinae proprium est singulari ratione esse in mente hominis. Habebunt itaque secum intime coniunctum potentissimum opitulatorem; ergo habent rationem validam : non turbetur cor vestrum. Similiter iam alia occasione eos consolatus est : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (Matth. 10,20) et Spiritus sanctus docebit vos in ipsa hora (Luc. 12,12).

« Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret quod ita eum Dominus daturus fuerat velut pro se ipso, ut non et ipse cum eis esset futurus adiecit atque ait » (*Aug.*) v. 18 *non relinquam vos orphanos; veniam ad vos*, quos τεκνία vocaverat (13,33), cum eis loquens paternae miserationis verbo utitur multam afferente consolationem et oblectationem (*Euth.*); nequaquam eos tamquam pupillos, parentibus orbatos, ope destitutos in mundo relinquet. Proin ne forte non sufficeret eis alterius paracleti promissio, quem non satis cognoverunt, promittit eis etiam suum adventum (*Ians.*). Potest dici cum *Tol.* discipulos mortuo Christo fuisse orphanos; verum mox Christo resurgente vivo cessasse esse orphanos, et *veniam ad vos* non dicere causam, cur non relinquantur orphani; absentia enim parentum non constitui orphanos, sed solum morte. Sed de quo adventu est sermo? plerique exponunt de tempore post resurrectionem quo Iesus iterum cum suis saepius conversatus est (cf. *Euth. Rup. Alb. Cai. Tol. Bar. Corl. Schz.*), alii de altero eius adventu (*Mald.*); sed non videtur promissio ad unum restringenda, sed intelligenda de adventu visibili in apparitionibus post resurrectionem et de eius adventu invisibili, quem pariter promittit dicens : ecce ego *vobiscum sum* omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth. 28,20; cf. *Thom. Ians. Lap.*). Erit igitur *venire* intelligendum secundum conditionem Christi, qui ante ascensionem versans in terra venit visibilis, postea est cum eis invisibilis. Qua explicatione verba haec bene adiunguntur ad v. 17, ad Spiritus praesentiam continuam, cui tamquam alia consolationis ratio additur Iesu quoque apud suos praesentia.

« Sed quia illud *veniam ad vos* praesentiam significat, ne rursus eandem ipsam praesentiam requirerent, quam prius, vide quomodo hoc ipsum non clare quidem dixerit, sed subindicaverit » (*Chr.*) v. 19

adhuc modicum et mundus me iam non videt; post resurrectionem enim suis adversariis se non visibili modo ostendit, improbis non apparuit; *vos autem videtis me quia ego vivo et vos vivetis;* consolatur eos de recessu suo; per modicum tempus ipsi quoque eum iam non spectabunt; at iterum eum conspicient, θεωρεῖτέ με, qua voce et oculis cernere et mente contemplari exprimitur; nam vivit ipse et quia ipse vivit, iis quoque vitam largietur; « crux enim non usque in finem nos separabit, sed ad brevissimum tempus me abscondet; vitam autem, ut videtur mihi, non praesentem tantum, sed et futuram dicit » (*Chr. Euth.* sim. *Rup. Ians. Corl. Fil. Schz.*). Dicit *ego vivo*, quia ipse est vita et habet vitam in semetipso (5,26) et quia ipse, uti ponit animam, ita sumit eam iterum (10,18) et « quia ipsius mox futura erat resurrectio, praesentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem » (*Aug.*); cf. 20,19. 26; 21,7 seq. Sunt qui verba haec ad vitam terrestrem restringant (*Cai. Tol.*) et qui *vivetis* ad alteram vitam vel etiam solum ad resurrectionem corporum referant (*Aug. Alb. Mald. Patr.*). Sed ut sunt verba generalia, ita generali modo quoque retinenda; eo enim modo et toti sermonis contextui et consolationi melius congruunt; v. 20 *in illo die*, quo scil. illud *videtis me*, v. 19 impletur, ergo post Domini resurrectionem et deinceps (*Chr. Euth. Alb. Cai. Ians. Schz.*; alii a resurrectione ad pentecosten usque *Ammon. Corl.*; a die Spiritus dati *Patr. Fil.*) *vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo et vos in me et ego in vobis;* haec cognitio in dies magis crescet; cum enim Christus ad eos veniat et ipsi eum videant in miris illis post resurrectionem apparitionibus, necessario eorum cognitio de divina eius natura firmior, clarior evadet; ad argumenta illa visibilia accedit institutio quam a Christo et a Spiritu veritatis accipient, qua institutione nunquam carebunt. Si itaque iam nunc iubentur credere : quia ego in Patre (v. 11 graece), haec fides et cognitio postmodum tot argumentis et doctrinis mirum in modum firmabitur. Porro iisdem docebuntur de intima sua cum Christo coniunctione, de illa cum Christo complantatione (de qua Rom. 6,5), de Christo capite Ecclesiae, cuius corporis mystici singuli sunt membra, de unione illa quam mox Christus indicat dicens : ego sum vitis, vos palmites (15,5) : *vos in me,* in me insiti per gratiam sanctificantem, a me accipientes continuum gratiae influxum, *et ego in vobis,* intime vobis iunctus, in vobis inhabitans per divinitatem, in vobis operans. Hisce iam tangitur « mysterium unitatis ecclesiasticae secundum unionem spiritus interni inter caput et membra, immo rectius inter personam et membra; Iesum enim esse in nobis et nos in Iesu nihil est aliud quam nos esse membra Iesu, ipsum vero esse ve-

luti personam horum membrorum » (*Cai.*); cf. Rom. 12,5. 1 Cor. 12,12. Eph. 1,23; 4,15. 16. Col. 2,19. Quam triplicem cognitionem in altera vita beata admirabilem in modum iri perfectum patet.

Aliam addit consolationis rationem; monet antea ut in sua dilectione perseverent et modum dilectionis ostendendae docet; si autem diligant eum, duplex emolumentum enascetur : Patris erga eos dilectio et Christi dilectio ac manifestatio. Ita ad causas consolationis iam recensitas additur dilectio Patris et ipsius Christi gloriae ac virtutis exhibitio, quam in se experientur; v. 21 *qui habet mandata mea et servat ea*, « qui habet in memoria et servat in vita, qui habet in sermonibus et servat in moribus, qui habet audiendo et servat faciendo, aut qui habet faciendo et servat perseverando » (*Aug.*); mandata eius sunt illa de perfecta legis observatione, quam docuit in sermone montano, de humilitate, de sui abnegatione, de venia offensoribus danda, de studio orationis etc. (cf. Matth. 5,20 seq. 18,1. Marc. 8,34. Luc. 9,23 seq. 12,22; 14,26; 16,9; 18,1 etc.), *ille est qui diligit me;* cf. v. 15; loquitur generali modo, quo indicat praeter apostolos fore multos qui sua mandata sint observaturi; hac etiam praedictione consolatio discipulis affertur; *qui autem diligit me*, *diligetur a Patre meo* tamquam filius fruitur favore Dei *et ego diligam eum et manifestabo ei me ipsum,* mei cognitionem et contemplationem in animam ipsius insinuabo et post hanc vitam me ei facie ad faciem videndum exhibebo. Haec dicuntur, non quasi nos priores Deum diligeremus; ipse enim prior nos diligit gratia sua praeveniente, excitante, adiuvante nos ad sui amorem trahens. Sed indicatur qua ratione Deus pro sua bonitate nostram erga Christum dilectionem sit remuneraturus; nam quoad quosdam effectus nos prius diligimus Iesum quam Deus nos, nostra scil. dilectione promerentes certos quosdam divinae dilectionis effectus, certa beneficia et dona, quae ipsa sunt Dei in nos dilectio et favor. Quotiescumque enim Deus gratiam vel beneficium largitur, suam nobis exhibet dilectionem, novum in nos suae dilectionis effectum transfundens (cf. *Cai. Ians.*).

Manifestationem sui promittit Iesus mandata servantibus et se diligentibus. Mundus autem, ut dictum est, non potest accipere Spiritum veritatis, quia non videt eum nec scit (v. 17) et mundus me iam non videt (v. 19). Inde consequi videtur id quod iudaicae exspectationi de manifestatione messiana plane contradicit : gloria enim Messiae et eius iudicium omnibus gentibus debet manifestari (cf. Is. 2,2; 11,10; 42,4; 49,6; 52,15 etc.). Unde v. 22 *dicit ei Iudas*, *non ille Iscariotes ;* addit ne quis putet proditorem esse reversum; Iudas Thaddaeus, qui et Lebbaeus vocatur et Iudas Iacobi i. e. Iacobi frater, uti

se appellat in epistola v. 1 (cf. Comment. Matth. I p. 375). Nota quam fideliter evangelista has interruptiones sermonis Iesu memoria servaverit Thomae, Philippi, Iudae; inde habes indicium apertum hos sermones non ab ipso esse compositos, sed, uti habiti sint, narrari; *Domine quid factum est*, quid accidit, quid causae incidit, *quia manifestaturus es nobis teipsum et non mundo?* quid quasi novi intervenit, ut mutaretur id quod nos divinitus constitutum existimavimus? Quaestioni huic certe subest etiam illa mundana et iudaica notio regni messiani qualis v. g. in Psalmo salomonico 17 enuntiatur (cf. Comment. Matth. I p. 10 seq.). Quare Iesus ita respondet, ut indolem spiritualem suae manifestationis efferat v. 23 *respondit Iesus et dixit ei : si quis diligit me, sermonem meum servabit*, hoc itaque quam maxime esse necessarium, in hoc omnem rei cardinem verti; unde temporalem exspectationem nullatenus fovet; verum illa conditione impleta : *et Pater meus diliget eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*, venire (cf. v. 18) dicit invisere amicorum more, assistere, opem ferre; neque hoc solum, sed mansionem facere, inhabitare in eo et stabile ibi sibi condere domicilium. Pater et Filius igitur simul cum Spiritu sancto (uti iam in v. 17) in animo singulari ratione habitabunt; de qua inhabitatione pluries apostolus loquitur Rom. 8,9. 11. 1 Cor. 3,16. Gal. 4,6. 2 Tim. 1,14. En, quomodo non relinquantur, etsi Christus recesserit ab eis! Pro praesentia eius corporali habebunt praeclarum supplementum in totius sanctissimae Trinitatis ope, praesentia, inhabitatione supernaturali.

A contrario nunc indicat causam, cur se non manifestaturus sit mundo; mundus enim cum non diligat non servat mandata, v. 24 *qui non diligit me, sermones meos non servat;* quia hic negligit sermones Domini, merito ipse quoque negligitur, et eum non solum Christo sed etiam Patri inferre iniuriam declaratur : *et sermonem quem audistis* ἀκούετε auditis *non est meus sed eius qui misit me Patris;* « ne, inquam, parva cuiquam videatur indignitas non servare sermones ab eo dictos, ecce iterum dicit : et sermo non est meus etc.; nam et hoc paulo ante dixit : verba quae ego loquor vobis a meipso non loquor » (*Rup.*); cf. v. 10; 5,30; 7,16; 8,26. 28. 38; 12,49. Dicit modo *sermonem* designans evangelium totum totamque doctrinam traditam, modo *sermones* singula scil. praecepta. — Quater a discipulis in loquendo erat interpellatus et interruptus (13,36; 14,5. 8. 22), quia eum non satis intelligebant et certe scit Christus ne nunc quidem responsionibus datis omne dubium, obscuritatem ex eorum animis exsulare. Quare de hac quoque re eos consolatur, eos monens ne ullo modo turbentur etsi multa quae dixerit non plane perspexerint v. 25

haec locutus sum vobis apud vos manens, in corpore mortali vobiscum versans; v. 26 *Paraclitus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo* i. e. Pater in intima mecum coniunctione ad opus meum perficiendum eum mittet (cf. ad v. 14. 16; 16,7), *ille vos docebit omnia et suggeret* ὑπομνήσει in memoriam revocabit *vobis omnia quaecumque dixero vobis;* proinde excutiant omnem sollicitudinem; quando opus fuerit, opitulator, ipse Spiritus sanctus efficiet ut clare intelligatis cuncta quae vobis dixi; ne timeatis ne quid vobis excidat; ille cuncta in memoriam vobis reducet, vos commonefaciet vobisque clare explanabit cuncta verba mea. Pro praesenti itaque eis indicat non opus esse ut si quid non satis intellexerint aut si quid nosse desiderent, a se quaerant; pro tempore futuro autem promittit eos ope Spiritus sancti fore doctores qui sine ulla erroris admixtione totum quod ipse docuerit aliis sint tradituri, ipsi scil. continuo a Spiritu sancto edocti et illuminati, ita ut cuncta quae in Iesu verbis lateant clare perspiciant. In illo *in nomine meo* etiam includitur, mitti Spiritum sanctum non solum apostolis, sed mitti ad opus Christi perficiendum, proin eadem quoque promitti Ecclesiae Christi in eorum successoribus.

Denique ut omnem animorum turbationem et anxietatem excludat et hac ratione firmam reddat et stabilem eorum consolationem addit v. 27 *pacem relinquo vobis* ἐγὼ εἰρήνην cum emphasi *ego,* qui scil. vos semper confortavi, ego qui sum vita (v. 6), *pacem meam do vobis,* pax est apprecatio omnium rerum prosperarum (*Mald.*), est tranquillitas animi et serenitas, qua fit, ut nulla adversitate conturbemini; *relinquo* vox est recedentis (*Chr.*); dicit *pacem meam* indicans pacem quam ipse venit stabilire in mundo (*Tol.*); haec autem est amicitia cum Deo, animi securitas, concordia mutua (*Thom. Ians.*); hanc *do*, ne tantum apprecari videatur; dat ea scil. auctoritate et potestate qua est auctor huius pacis. Merito ita loquitur Messias, quem pacis auctorem et largitorem prophetae iam praedicarant (cf. Ps. 71,3. 7. Is. 9,6. 7; 11,6; 26,3; 27,5; 54,10. 13; 66,12. Mich. 5,5), in cuius adventu angeli cantabant : et in terra pax. Et verbum suum esse efficax, indicat addens : *non quomodo mundus dat, ego do vobis,* mundus nudis verbis, saepius fictis, pacem quam ipse non habet, sed pacem dat brevem, falsam; Christus dat veram, sempiternam (*Mald.*); mundus fortasse dat pacem temporalem, externam, Christus spiritualem, aeternam; illa non est stabilis, vera; haec firma, veram afferens felicitatem; est enim pax Dei quae exsuperat omnem sensum (Phil. 4,7).

Pacem apprecari abeuntis est. Sed si Christus licet sit abiturus pa-

cem dat, neutiquam turbationi aut timori locus esse poterit. Repetit itaque, postquam tot rationes consolationis iis proposuit : *non turbetur cor vestrum* (cf. v. 1) *neque formidet,* ne turbentur ob moerorem de abitu Domini, neve sibi timeant ob eius abitum quasi essent ab eo deserendi et variis periculis obnoxii. Immo potius illis gaudendum esse affirmat de suo abitu v. 28 *audistis quia ego dixi vobis : vado et venio ad vos* (v. 3,18); *si diligeretis me gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est;* novam eamque validam consolationis rationem indicat provocans ad eorum in se dilectionem hancque excitans et stimulans : si mihi bene vultis, meum bonum revera desideratis, uti est vere diligentium, debetis gaudere, quia meae « naturae humanae gratulandum est eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in coelo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris; hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem » (*Aug.*). Et dicens : si *diligeretis* etc. eos etiam suaviter arguit de quodam dilectionis defectu, dicens quasi conquerendo et expostulando cum eis : video me non diligi a vobis; alioquin de mea gloria ac beatitate quam humana mea natura possidebit apud Patrem laetaremini, neque de meo recessu essetis tristes, sed laetabundi! Est sane modus aptissimus ad eorum moestitiam leniendam. Dicit : Pater maior me est, loquitur enim tamquam habens naturam humanam, utpote talis *vadit ad Patrem* et ut talis petit, exspectat, accipit claritatem et gloriam et exaltationem a Patre (cf. (Phil. 2,9). « Ratio gaudii est ex parte termini : vado ad maiorem, ad maius bonum meum; ipsemet textus fert secum declarationem, quo sensu intelligendum sit : Pater maior me est, dum assumitur hoc pro ratione itineris ad Patrem; ex hoc enim clare manifestatur quod Pater maior est me eunte ad ipsum, hoc est secundum naturam qua vado ad ipsum. Constat siquidem quod secundum divinam naturam Filius nec exivit a Patre nec vadit ad Patrem, sed ratione humanae naturae exivit a Patre et vadit ad Patrem » (*Cai.* sim. *Aug. Rup. Thom.* etc.).

Vero itaque sensu dicit : Pater maior me est. Quare minime opus est cum *Theoph. Euth.* explicare quasi id solum diceretur accommodatione quadam ad opinionem discipulorum qui putent Patrem esse maiorem Christo. Neque desunt inter Patres, qui eo sensu Patrem esse maiorem dici censeant etiam ratione divinitatis, ut non quidem substantiae inaequalitas quae una est, sed origo significetur, quia Filius est a Patre; Patrem itaque maiorem esse ratione originis seu principii, cf. *Tol. Mald.* qui pro hac explicatione allegant Athanasium, Hilarium, Epiphanium, Gregorium Naz. Caesarium, Cyrillum alex. Damascenum, Chrysostomum, Leontium; verum addit *Mald.* : « sed haud scio an plus adversariis concesserint quam aequum erat »,

Arianis scil. qui hoc quoque loco abutebantur. Verum cum homo Deo comparari nequeat neque quisquam dicat : Deus maior me est, haec ipsa cum Deo comparatio enuntiat in Christo eandem naturam divinam, qua Patri est aequalis et naturam humanam qua est inferior. Etiam *Holtzmann* dicit hic supponi Christum habere naturam divinam.

Subiungit cur haec quae futura sunt illis praedixerit v. 29 *et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis;* in his quoque bonum eorum spectat; « confirmat cor discipulorum et firmiter credere iubet Christus se vere ad Patrem coelestem reverti, regnaturum cum eo atque una consessurum » (*Cyr.*). Providet itaque sua praedictione, ut impletionem cum cernant fides eorum in Christum Filium Dei per recordationem praedictionis augeatur; cf. 13,19 ; 16,4. Neque opus erit illud dixi solum referre ad *vado ad Patrem;* praestat ad singula illud pertinere, quae de tempore futuro annuntiaverat; nam illud augmentum fidei et consolatio ac confirmatio animi ex impletione singulorum acquiri potest et debet, quia in singulis experimento cognoscent nihil ei fuisse incognitum, omnia dirigi eius potentia, ita ut continua habeant eius divinitatis documenta. Iam instare ait tempus quo ab eis separetur v. 30 *iam non multa loquar vobiscum; venit enim* iam venturus est brevi post *princeps mundi huius,* diabolus; cf. 12,31; uti Iudam instigavit ad proditionem, ita scribas et pharisaeos ad mortem Iesu inferendam; venit itaque per ministros et satellites suos; neque improbabile est ipsum quoque ad tentandum Iesum tempore passionis accessisse; nam « recessit ab illo usque ad tempus » (Luc. 4,13; vide quae ad h. l. dixi in Comment. Luc.) et de hoc tempore valet : haec est hora vestra et *potestas tenebrarum* (Luc. 22,53) *et in me non habet quidquam,* ille ἄρχων nihil habet in me quod suum sit, nihil dominii in me; dominatur enim in mundum i. e. in improbos, peccatores, qui eius sunt servi; omnis enim qui facit peccatum ex diabolo est (1 Ioan. 3,8) et a quo quis superatus est eius est servus (2 Petr. 2,19; cf. supra 8,44 vos ex patre diabolo estis). In Christo itaque, homine sanctissimo, nihil invenit diabolus quod suum sit; habet quidem diabolus mortis imperium (Hebr. 2,14), sed cum mors sit stipendium peccati (Rom. 6,23), nihil autem peccati sit in Christo, Christus ne morti quidem ex se erat subiectus; proin ne hoc quidem mortis imperium habet diabolus in eo.

Christus autem mortem subit, quia ex dilectione Patris eius mandato obedit v. 31 *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite eamus hinc;* iungunt aliqui : sed ut cognoscat... surgite (*Tol. Patr.*); at longe plerique me-

rito adnectunt ad superiora, et quod supplendum est, facile consequitur ex sententia praecedenti. Christus mortem subit, non quia diabolus mortis imperium habens hoc quasi ius mortis in eum exigere possit; « et tamquam ei diceretur : cur ego moreris, si non habes peccatum cui debeatur mortis supplicium, continuo subiecit : sed ut cognoscat... » (*Aug.*). Atque ante illud *sed ut* aliquid supplendum esse non poterit esse offensioni, quoniam eiusmodi scribendi genus saepius advertitur (cf. 1,8. 9,3; 13,18; 15,25. *Schz.*). Habebat ut moreretur mandatum Patris, ut *Aug.* ait; vide 10,18 : hoc mandatum accepi a Patre. Observationem mandatorum descripserat tamquam veram exhibitionem dilectionis (v. 15. 21. 23); idem iam ad se ipsum applicat et probat mundo suam erga Patrem dilectionem impletione mandati Patris. Hanc animi promptitudinem et alacritatem declarat quoque dicens : *surgite, eamus hinc;* ipse surrexit ex discubitu, surrexerunt quoque discipuli. Num etiam statim reliquit coenaculum et sermonem 15-17 inter eundum habuit? Non videtur probabile tam longum sermonem in via a coenaculo ad hortum esse habitum. Accedit quod tandem 18,1 legimus : haec cum dixisset Iesus egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron; quorum verborum vim bene expendit *Bar.* : « unde egressus? sane ex coenaculo; non enim Ioannes alterius domus fecerat mentionem, unde posset Christus cum discipulis egredi; quo tempore egressus sit, indicant illa verba : haec cum dixisset, hoc est, postquam hunc sermonem et orationem absolvit ». Proin verba illa *eamus hinc* non significant eum mox, postquam ea protulit abiisse, sed se ad discedendum accinxisse; saepe enim dicimus : eamus, tamen non statim imus, sed aliquantulum immoramur (*Bar.*); stans itaque alium incepit sermonem (*Ians.*) et ut *Mald.* advertit, evangelista non dicit statim Christum, ut haec dixit, exiisse; itaque non cogimur id factum esse credere; capite autem 18,1 disertis scribit verbis prius omnia dixisse quae tribus sequentibus capitibus recitantur. Cur ergo non statim exiit? facilis responsio, traxit longius ex sermone sermonem, ut fieri solet. Nam, ut *Lap.* notat, sicut solent valedicentes amici qui aegre ab amicis avelluntur sermonem abruptum resumere, sic Christus stando novum sermonem resumpsit. Atque sermones sequentes in coenaculo habitos esse etiam *Sa*, *Menochius*, *Nat. Schz. Weiss* censent; vel in coenaculo vel in via *Schg.* existimat.

Christum statim e coenaculo egressum esse *Cai. Patr. Corl. Fil.* putant; eum in alium locum (*Chr.*), locum occultum (*Theoph. Thom.*), locum tutiorem (*Euth.*) egressum esse aliis videtur; « quoniam, inquit, ecce appropinquat qui me tradet et turba cum eo, ne in angusto intra parietes coena-

culi huius nos comprehendat, vobisque non sit libera effugiendi facultas, surgite, eamus, ne vel iste cuius diversorio fruiti sumus ullam propter nos inquietudinem patiatur » (*Rup.*).

f) Manendum esse in Iesu dilectione 15,1-17.

15,1. Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 3. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. 4. Manete in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis.

5. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. 7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in eius dilectione.

11. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Maiorem hac dilectione nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

14. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. 15. Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus ve-

15, 1. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινὴ, καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι. 2. πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν, αἴρει αὐτό· καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει αὐτὸ, ἵνα καρπὸν πλείονα φέρῃ. 3. ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε, διὰ τὸν λόγον ὃν λελάληκα ὑμῖν. 4. μείνατε ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν. καθὼς τὸ κλῆμα οὐ δύναται καρπὸν φέρειν ἀφ' ἑαυτοῦ, ἐὰν μὴ μένῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ· οὕτως οὐδὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μένητε. 5. ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, ὑμεῖς τὰ κλήματα. ὁ μένων ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, οὗτος φέρει καρπὸν πολύν· ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδὲ ἕν.

6. ἐὰν μή τις μένῃ ἐν ἐμοὶ, ἐβλήθη ἔξω ὡς τὸ κλῆμα, καὶ ἐξηράνθη, καὶ συνάγουσιν αὐτὰ καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλουσιν καὶ καίεται. 7. ἐὰν μείνητε ἐν ἐμοὶ, καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, ὃ ἐὰν θέλητε αἰτήσασθε, καὶ γενήσεται ὑμῖν. 8. ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου, ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε· καὶ γένησθε ἐμοὶ μαθηταί. 9. Καθὼς ἠγάπησέν με ὁ πατὴρ, κἀγὼ ὑμᾶς ἠγάπησα· μείνατε ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ. 10. ἐὰν τὰς ἐντολάς μου τηρήσητε, μενεῖτε ἐν τῇ ἀγάπῃ μου· καθὼς ἐγὼ τοῦ πατρὸς τὰς ἐντολὰς τετήρηκα, καὶ μένω αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ.

11. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν ᾖ, καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ. 12. αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμὴ, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους, καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς. 13. μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, ἵνα τις τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ.

14. ὑμεῖς φίλοι μου ἐστὲ, ἐὰν ποιῆτε ὃ ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν. 15. οὐκέτι λέγω ὑμᾶς δούλους, ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδεν τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος· ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν. 16. οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς, καὶ ἔθηκα ὑμᾶς, ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε καὶ καρπὸν φέρητε, καὶ ὁ καρπὸς

ster maneat; ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Haec mando vobis, ut diligatis invicem.

ὑμῶν μένῃ· ἵνα ὅ τι ἂν αἰτῆτε τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δῷ ὑμῖν. 17. ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους.

In v. 2 tollit a b d f ff^{2} l; purgat a f; plurimum b c f ff^{2} l; maiorem q. In v. 4 μενη, μενητε ℵ B L; sin sic nec vos potestis quidquam sine me. In v. 6 αυτα A B Γ Λ unc 7 al pler; pler codd vulg *eos*, item a b c f ff^{2}; item ardent; a ardebunt; sin sicut palmes qui arescit et eiicitur foras. In v. 8 γενησθε B D L M X Λ Amphi Chr; a d e q r sitis, f possitis fieri. In v. 14 ὃ B; sin a e q Cyp Lcif quod; al ἃ, οσα. In v. 16 B αιτητε; al αιτησητε; c q ordinavi vos; a c ff^{2} r fructificetis.

Quamvis sit Iesus corpore a suis discessurus, tamen eos docet intimam secum unionem eos semper habere posse et debere, ad hanc unionem describendam adhibet similitudinem vitis et palmitum, ad hanc unionem retinendam et fovendam eos exhortatur, ut uberes ferant fructus; a qua si quis recesserit, interitui se obiicit. Ita quoque explicat illud : vos in me et ego in vobis 14,20 (15,1-8). Ex hac unione consequitur et ad eam fovendam plane necessarium est, ut et Iesum diligant et inter se ad exemplum Iesu diligant (15,9-17).

Quandoque quaerunt quaenam fuerit occasio huius similitudinis v. 1 *ego sum vitis vera;* utique imago vitis satis frequenter usurpatur (Ps. 79,9; 127,3. Eccli. 24,23. Is. 5,1 seq. Ier. 2,21. Ez. 15,1; 19,10; Os. 10,1 etc.); antea locutus erat de genimine vitis (Matth. 26,29. Marc. 15,24; Luc. 22,18); qui Iesum e coenaculo egressum esse putant, e vinetis forte occasionem arreptam esse coniectant. At immerito; neque enim in valle Cedron reperiebantur vineta. Verum minime opus est talem quaerere occasionem. Adhibet Iesus vitis similitudinem quia ad id quod docere vult quam maxime apta est. Multa enim inveniuntur in vite quibus praeclare exprimitur Christi Salvatoris indoles, natura, efficacia : fructuum copia et suavitas, fecunditas, lata ramorum diffusio; et quid suis praestet et largiatur, optime illustratur habitudine illa inter vitem et palmitem. Proinde iam discessurus a discipulis nihil illis dicere poterat magis necessarium, quam ne se unquam ab unione cum ipso avelli paterentur, si quidem vita supernaturali vivere et proficere vellent. Unde quis sit declarat : *ego sum vitis vera,* cum emphasi ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή i. e. is sum, cui conditiones vitis et ea quae notione vitis declarantur, vere conveniunt, immo longe perfectius quam viti communi; qui itaque vere habet naturam, indolem, proprietates, dotes vitis, quia melius ac perfectius suos sibi iunctos atque insitos nutrit et fecundat, quam palmites suos vitis naturalis (cf. *Cyr. Salm. Ians. Mald. Lap. Bar. Tol. Schg. Schz. Fil.*); et addens : *Pater meus agricola est* simul declarat se ut Messiam, ut Verbum incarnatum esse vitem, proin eodem modo quo est caput Ec-

clesiae; « quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam Deus esset » (*Aug.* sim. *Thom. Tol.*) Patrem dicit *vinitorem;* varia ratione Pater potest ita vocari; « ipse enim est qui hanc vitem non tantum plantavit et rigavit semperque excoluit, sed qui ei etiam semper dedit et dat suum incrementum; Patrem tamen se habere ut agricolam respectu huius vitis non declarat ex plantatione aut aliis actibus viti impensis, sed magis ex eius circa vitis palmites officiis » (*Ians.*).

Quo sensu dicatur vitis *vera,* varie concipitur; esse vitem eximiam, incorruptibilem, spiritualem *Euth.* explicat, vel dici veram, quia pro fructu proferat veritatem. Dici veram in oppositione ad falsam; « cum dicit : ego sum vitis vera, ab illa se utique discernit cui dicitur : quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena (Ier. 2,21)? nam quo pacto est vitis vera quae exspectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas » (Is. 5,4); ita *Aug.* et similiter *Rup. Thom.;* alludi ad vitem, sub cuius figura Messias olim praedictus fuisset censet *Corl.,* sed bene addit dici veram, ut in se verificans sensu altiori ac proinde veriori quidquid est in vite quoad palmites eius.

Uti alibi Pater in parabola describitur tamquam rex qui fecit nuptias filio suo (Matth. 22,2), ita hic munere fungi dicitur vinitoris, cuius opera iam declarantur v. 2 *omnem palmitem in me non ferentem fructum* (explica graece nominativum absolutum emphatice praemissum : quod spectat ad omnem palmitem...) *tollet* (tollit αἴρει) *eum et omnem qui fert fructum purgabit eum ut fructum plus afferat*, *purgat* καθαίρει, attende lusum verborum αἴρειν, καθαίρειν « quae paronomasia latine reddi non potuit et vim gratiamque orationi adhibet » (*Mald.*). Vinitor infrugiferos palmites resecat; frugiferos repurgat, supervacanea sarmenta et inutiles extremitates abscindens, quo plus roboris sumant et plus fructus ferant. Utrumque Patrem facere docet Christus. Quod Christus alibi modo proverbiali enuntiavit : omni habenti dabitur et abundabit, ei autem qui non habet et quod videtur habere auferetur ab eo (Matth. 25,29; cf. 13,12; Marc. 4,25. Luc. 8,18), hic allegorice proponit. Christo complantamur per baptismum (Rom. 6,5), in eum quasi inseritur intimeque cum ipso coniungitur quisquis gratia sanctificante ornatur. Qui si non opera bona fert, palmes est inutilis; suscipit enim sucum vigoremque ex vite i. e. accipit varias gratias actuales a Christo, at iis non utitur; non ope illarum illos fert virtutum fructus, quos Christus a suis exspectat et exigit; fides eius sine operibus mortua est (Iac. 2,20). Talis homo neglectu gratiarum tandem in peccatum mortale prolabitur, quo ab illa cum Christo con-

iunctione excidit; eum Pater iusto iudicio *tollit*, a communione cum Christo eiusque salute resecat, uti in alia parabola dicitur: succide illam (ficulneam), ut quid etiam terram occupat (Luc. 13,7; *Cyr*)? Ita ab apostolorum collegio iam resecatus est Iudas (*Rup. Tol. Lap. Calm.*).

Illos autem qui virtutibus sedulo operam navant Deus in dies magis promovet. Promoventur autem gratiis uberioribus, quibus ad meliores virtutum actus excitantur et iuvantur; promoventur quoque variis tentationibus et afflictionibus (*Chr. Theoph. Cyr.*) quibus a terrenarum rerum affectibus purgantur. « Nam homo bene dispositus et Deo coniunctus, si suum affectum ad diversa inclinet, virtus eius minoratur et magis inefficax fit ad bene operandum. Et inde est quod Deus ut bene fructificet, frequenter praescindit huiusmodi impedimenta et purgat immittens tribulationes et tentationes quibus fortior fiat ad operandum et ideo dicit *purgabit eum*, etiamsi purus exsistat, quia nullus est adeo purus in hac vita, ut non sit magis magisque purgandus » (*Thom.*). Nunquam materia resecandi deest in hoc saeculo; resecat Deus a iustis quantum ad intellectum, multas ignorantias particulares, vanas cogitationes, inutiles mentis distractiones; quantum ad affectum vanas cupiditates, nimias sollicitudines, desideria prava; quantum ad exteriora resecat aliquando possessiones, amicos, ea quae cara sunt, quae detinent iustum, ne in via Domini progressus faciat (*Tol.*). Ad quam purgationem etiam spectat illud : sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Levi et colabit eos quasi aurum et argentum et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia (Mal. 3,3; *Ians.*).

Sermonem convertit ad discipulos; « ne interrogarent de quibusnam haec diceret neve illos iterum sollicitos redderet, ait » (*Chr.*) v. 3 *iam vos mundi estis* καθαροί (v. 2 καθαίρει) *propter sermonem quem locutus sum vobis*, propter doctrinam a me vobis traditam (λελάληκα, quo tempore significatur id quod Christus dixit quoad effectum iis praesto esse; cf. *Krüger* 53,3,2); cf. 13,10. Sermo intelligitur non cap. 14 (*Rup.*); nam 13,10 iam dicuntur mundi, sed generatim doctrina Christi (*Cyr. Ians. Schg. Schz. Fil.*); sermo enim Christi et doctrina est efficax, si cum fide suscipitur; est evangelium virtus Dei (Rom. 1,16), verbo veritatis nos effici filios Dei docet Iacobus 1,18; sermo quippe Dei est cum amore notitia, et per amorem accendit affectum et incendit et consumit purgando in affectu, et per notitiam illuminat intellectum et propellit tenebras erroris; sic mundat et intellectum et affectum (*Alb.*). Discipuli enim paruerant doctrinae Christi eamque servabant et hac doctrina Christus eos quasi palmites pur-

gavit a variis defectibus; quare notant hoc loco Christum quoque ostendere se esse aeque ac Patrem agricolam (*Cyr. Aug. Theoph. Euth. Bar.*), suo enim sermone purgatos eos esse affirmat (cf. *Chr.*). Et ne quis semel purgatus a casu immunem se putaret, etiamsi nullam ad id curam adhibeat, utiliter iubet permanere (*Cyr.*) v. 4 *manete in me et ego in vobis* i. e. perseverate in dilectione mecum uniti, perseverate in ea munditie, quam vobis dedi (*Mald.*) et si vos in me manseritis, ego vicissim in vobis manebo, vel adhibete omne vestrum studium, ut ego in vobis maneam (*Tol. Ians. Mald. Cai. Bar. Lap.*). Non utique eo modo illi in ipso manent, sicut ipse in illis; utrumque autem prodest non ipsi sed illis; ita quippe in vite sunt palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant; ita vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis (*Aug.*). Manete, inquit, sicut palmites manent in vite, ut maneat pinguedo vitis in palmitibus; neque enim quia genuinus humor vitis in palmites se diffudit, idcirco palmites in vite manent, sed quia palmites manent in vite, idcirco vitis illos participes efficiet pinguedinis suae. Christus utique semper tamquam caput in membra gratiam suam diffundit; verum membrorum est ope eiusdem gratiae illam retinere unionem (cf. *Rup.*).

Atque quo plenius notum faciat quam necessarium sit nobis manere in illo, ut maneat ipse in nobis, subdit (*Rup.*) : *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis;* palmes non potest ex se, extra vitem, sine vite, ab ea separatus; palmes a vite vivificum humorem et sucum trahat oportet, ut uvam pariat, ita nullus virtutis fructus (salutaris) in nobis germinabit, si coniunctione illa cum Christo exciderimus (τῆς εἰς Χριστὸν συναφείας ἐκπεπτωκόσιν, *Cyr.*). Merito monet *Aug.*: magna gratiae commendatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Est itaque, ut *Thom.* dicit, mansio in Christo ratio fructificationis; idque repetitione confirmat (cf. 10,9. 14) v. 5 *ego sum vitis, vos palmites;* talis est comparatio vestrum ad me, qualis palmitum ad vitem (*Thom.*); unde consequitur : *qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum;* ostendit quam efficax sit mansio in Christo et altera ratione post v. 4 eos invitat, ut unionem illam sedulo retineant ac foveant. Duo illa : qui manet in me et ego in eo, non sunt posita tamquam quae ab invicem possint separari, sed tamquam sese mutuo consequentia (*Ians.*). Indicatur autem gratia Christi in nostra esse potestate ut haec unio maneat, pro humana autem inconstantia et culpa eam posse dissolvi. Quare varias affert Christus rationes ad studium unionis firmiter fovendae excitandum. Et hic nobis offertur ef-

fectus unionis fructus multus; unde ipsius fructus ubertate ad mansionem illam excitamur; *ego in eo* etiam ideo additur, ut intelligatur, unde habeamus quod feramus fructum multum, Christum scil. esse eius auctorem influxu suae gratiae. Et quam necessarius sit iste influxus Christi capitis in membra, seu vitis verae in palmites, clarissime simul et gravissime docetur : *quia sine me nihil potestis facere,* eo scil. in ordine qui in Christo vite vera pro nobis exsistit, in ordine supernaturali salutis. Proin sicut palmes sine influxu, vigore, suco vitis nihil frondis, floris, fructus proferre potest, ita nos nihil ad salutem pertinens sine gratia Christi interna efficiemus, qua et mens illustretur et voluntas salutariter moveatur. Et eo sensu dici debet cum *Aug.* : ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, non ait : quia sine me parum potestis facere, sed *nihil* (B οὐδὲ ἕν ne unum quidem) potestis facere; sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. — Notat *Thom.* qua ratione illud *sine me* amplissimo sensu applicari possit : « opera enim nostra sunt aut virtute naturae aut ex gratia divina; si virtute naturae, cum omnes motus naturae sint ab ipso Verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moveri potest sine ipso; si vero virtute gratiae, cum ipse sit auctor gratiae, manifestum est quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest » (cf. 2 Cor. 3,5).

Alia adiungitur ratio ad manendum in Christo, eaque a maximo damno et interitu petita eorum qui a Christo se separant v. 6 *si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet et colligent eum* (*eos*, iam ab allegoria ad rem signatam continetur fere transitus; cf. Matth. 13,41) *et in ignem mittent et ardet* (*ardent*), ἐβλήθη καὶ ἐξηράνθη i. e. eo ipso quod non mansit in Christo, iam eiectus, separatus est, iam exaruit, utpote abscissus a suco; συνάγουσιν, βάλλουσιν αὐτὰ tempore praesenti id enuntiatur quod ex aoristis illis consequitur certissime, si palmites illi ea in conditione tempore iudicii reperiuntur; modus ita loquendi refert consuetudinem, qua scil. palmites abscissi colligi et in ignem mitti solent secundum illud Ez. 15,2-5 (*Cyr. Aug. Bed. Rup. Ians.*). Palmite abscisso et arescente et iam ad nihil utili nisi ad comburendum gravissime depingitur conditio eius qui sese ab unione cum Christo resecuit, qui tollens membrum Christi facit membrum meretricis (1 Cor. 5,15), qui peccato se constituit servum diaboli (2 Petr. 2,19). Ut palmes abscissus, *arescit,* perdit quem habebat ex radice gratiae humorem (*Euth.*); hac arefactione optime describitur conditio eorum qui graviter peccare solent et in sordibus peccatorum manere; in dies magis alienantur a rebus divinis, mens

et conscientia obtunditur, fiunt plane stupidi quasi de rebus altioribus nihil iam capere valentes; animus evadit ad omnem adhortationem durus, omnem affectum pietatis abiiciunt. Atque bene notat *Apol.* (cat. Cord.) per carnis opera (σαρκικὰ πράγματα) praeprimis eiusmodi ariditatem induci. Eiusmodi arida sarmenta colligunt tempore iudicii et ardent; inflammantur, non tamen comburuntur, φλέγονται, οὐ μὴν κατακαίονται· (*Euth.*). Haec est sors illius qui in hac a Christo separatione deprehenditur tempore mortis; « unum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis; si in vite non est, in igne erit; ut ergo in igne non sit, in vite sit » (*Aug. Bed.*). Inde quoque patet quam apte allegoria vitis et palmitis sit adhibita; aliarum enim arborum rami abscissi non continuo ad nihil valent neque statim igni traduntur, sed aliquo alio modo usui hominum inservire possunt; sarmenta vero vitis ad nullum opus utilia ad nihil aliud valent nisi ut in ignem coniiciantur (*Ians.*).

Minis itaque gravissimis propositis adhortatus est, ut unionem secum servent diligenter; iam ad idem eos allicit promissione magnae utilitatis inde provenientis v. 7 *si manseritis in me et verba mea in vobis manserint*, « tunc dicenda sunt verba eius in nobis manere, quando facimus quae praecepit et diligimus quae promisit; quando autem verba eius manent in memoria nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice » (*Aug.*); manent in nobis amando, credendo, meditando, implendo (*Thom.*); operum igitur demonstrationem exquirit (*Chr.*), uti in v. 10 docetur; duo haec : in eo manere et praecepta eius servare, nexu inseparabili iunguntur; hac igitur conditione posita *quodcumque volueritis petetis et fiet vobis*; quanta quasi potestas in eorum manus traditur! ut illi verbis Christi obediunt, ita Deus et Christus eorum votis et desideriis annuunt et obsequuntur. « Manendo quippe in Christo quid velle possunt nisi quod convenit Christo? quid velle possunt manendo in Salvatore nisi quod non est alienum a salute » (*Aug.*)? Assignat conditionem exauditionis (cf. 14,13. 14); argumentum autem petitionum *Rup.* ex ipsa allegoria deducit : palmites rationales a vite vera, Christo, nihil nisi quod habet ipsa vitis petere debent vel accipere possunt i. e. non in auro et argento, sed in omni verbo et scientia divites erunt; non concupiscentias carnis, sed omne donum Spiritus sancti et quae vere utilia sunt accipient.

Ad eandem unionem fovendam eos adhortatur ostendens ex fructibus eius unionis haberi gloriam Dei; ita cuncta demum refert ad finem altissimum, ad Dei gloriam, ad quam ultimatim omnia convergunt et quam Deus in omnibus suis operibus ob oculos habet tamquam

finem summae suae perfectioni congruum eaque unice condignum v. 8 *in hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis et efficiamini mei discipuli; in hoc* refertur ad sequens *ut* ἵνα, quae particula in seriore graecitate et apud Hellenistas haud raro ita attenuatur, ut ibi ponatur, ubi antiquiores graeci infinitivo utebantur (cf. *Winer* 40,8; *Grimm*, Lex. s. v.) et ita vocem accipi patet ex explicatione *Chr. Theoph. Euth.* : gaudet, cum vos in me manetis, cum fructum fertis, et *Theod. heracl.* ἐν γὰρ τῷ πολὺν καρπὸν φέρειν τοὺς μαθητάς Patrem dicit clarificatum esse, eodemque modo exponunt *Aug. Thom. Ians. Tol. Mald. Schz. Weiss*, dum *Fil.* putet sensum finalem ἵνα retineri posse [1]. Patris gloria habetur eo quod fructus operum bonorum ac virtutum quam plurimos afferunt; nam ex iis homines provocantur ad Deum laudandum, ad imitationem, qua iterum a pluribus Dei gloria promovetur illa quam externam appellant; cf. Matth. 5,16 : sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum (1 Petr. 2,12). Habetur gloria Dei eo quod efficiuntur discipuli Christi i. e. in dies magis proficiunt in imitatione eius et magis ab eo discere et doctrinam eius vita verbisque magis exprimere student. Quo magis enim fructus afferunt, eo magis etiam fiunt Christi discipuli et imitatores, quippe qui immensum meritorum fructum tulit Patremque infinite glorificavit et in quo sibi Pater perfecte complacuit. Ultima sententia, si γενήσεσθε cum plerisque legitur, potest accipi sola per se : et efficiemini mei discipuli. Tum ex fructu uberiore allato in quo Patris gloria consistit, consequi dicitur verus ille discipulatus et perfecta Christi sequela et imitatio. Neque tamen necesse est ita accipi, nam ἵνα cum futuro quoque connectitur (cf. 1 Cor. 9,18 ἵνα θήσω; Luc. 20,10; 1 Petr. 3,1; Apoc. 22,14 ἵνα ἔσται etc.), quae constructio hic praeferenda est et lectione γένησθε necessario intelligitur.

Ut omni studio ad id adnitantur ut maneant in intima unione secum, Christus iis proponit eximiam suam in eos dilectionem, qua scil. maxima illis bona conferuntur, ad quam igitur retinendam conservandamque vires omnes exserere sane oportet; v. 9 *sicut dilexit me Pater et ego dilexi vos;* loquitur Christus ut homo de dilectione quam Pater humanae suae naturae largitus est, ex qua dilectione huic humanae naturae nullis praecedentibus meritis collatum est ut personae Filii copularetur; ex qua unione reliqua omnia summaque bona in eam redundabant et continuo redundant; summopere Pater sibi com-

1. Quod tamen vix intelligi potest. Nam facile fluit sensus quo exprimitur in quanam re gloria Dei habeatur et consistat; sed quid sibi vult alterum : ad quem finem seu scopum Deus glorificatur?

placet in Christo, omnia ei demonstrat, ei testimonium perhibet, eum glorificat (cf. 5,20 seq. 36; 8,50. 54; 10,17. 29; 11,42; 12,23). Dilectio Iesu erga suos tam est fons et ratio bonorum, tam est sublimis et praecellens, ut nulli alii dilectioni merito comparetur, nisi dilectioni Patris erga Christum. Diligere est bonum velle, bonum conferre. Hac dilectione Christus nullis praecedentibus meritis eos elegit ut se sequerentur, hac dilectione eos docuit, iis adstitit, iis disponit regnum (Luc. 22,29); proin in ea dilectione iis cuncta praebentur pro tempore et aeternitate. Quia igitur haec dilectio radix est et fons omnium bonorum, *manete in dilectione mea,* operam date, ut conservemini in hac dilectione qua ego vos prosecutus sum; operam navate ut non excidatis a mea in vos dilectione, a gratia mea, a bonis quae praeparavi vobis. Intelligi scil. dilectionem Iesu in suos, plerique recte explicant et consequitur id, ut *Aug.* ait, « ex verbo superiore; dixerat quippe : *et ego dilexi vos,* cui verbo continuo subiunxit : *manete in dilectione mea*, illa ergo qua dilexit nos »; et ita concipiunt *Cyr. Apolin.* (a me amamini; custodite igitur amorem quem habetis) *Bed. Thom. Cai. Salm. Cai. Ians. Tol. Corl. Schg. Schz. Fil. Weiss;* de dilectione in Christum accipiunt *Rup. Alb. Bon. Mald. Bar.; Mald.* insuper apodosin vult statui in membro ultimo : sicut dilexit me Pater et ego dilexi vos, ita pergite me amare; sed κἀγὼ alias quoque apodosin inducit (6,57; 13,15; 17,18; 20,21; *Schz.*). Praeterea prior explicatio multo melius ad verba et totum contextum congruit et etiam sequenti sententia unice commendatur.

Iam declaratur quomodo in eius dilectione manere possint (*Chr. Aug. Ians.*) v. 10 *si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea;* tum enim palmites sunt fructum multum afferentes, qui propterea in vite manent i. e. in unione cum Iesu vel in dilectione qua a Iesu diliguntur. Declaratur itaque quid sit manere in dilectione (*Thom.*). Quod ne ipsis videatur durum (*Ians.*), sed ut viam et modum hunc manendi in dilectione manifestum, facilem et suavem efficiat (*Tol.*), suum ipsius exemplum iis ob oculos ponit : *sicut et ego Patris mei praecepta servavi et maneo in eius dilectione*, qua scil. me diligit (*Aug.*) et sibi in me complacet; « ostendit itaque illam obedientiam esse necessariam; si enim Filium oportuit obedire servando praecepta Patris ad hoc ut perseveraret dilectus a Patre, consequens est, ut discipulis non sit onerosum obedire servando praecepta Iesu, ut perseverent dilecti a Iesu; ubi clarissime conspicitur quod Iesus loquitur de se secundum humanam naturam » (*Cai.*); cf. 4,34; 5,30 non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me; 6,38; 8,28. 29; 10,18; 14,31. Phil. 2,8. Ad haec autem eos adhortatur et excellentiam suae

dilectionis iis proponit et suo eos exemplo excitat, quo magis eos consortes reddat bonorum suorum; unde v. 11 *haec locutus sum vobis*, refertur proxime ad v. 9. 10; in iis enim summa omnium quae v. 1 seq. dixerat continetur, *ut gaudium meum in vobis sit*, diligere est bonum velle; vult itaque Iesus gaudium suum quasi in discipulorum animos transfundere, eos reddere participes gaudii sui. Gaudium autem Christi hominis est beatitudo illa quam haurit ex dilectione Patris in se (cf. *Ians.*) est laetitia adimplendi voluntatem Patris, alacritas et suavitas quam in Patris voluntate exsequenda percipit (cf. *Cyr. Rup.*); « in hac oblatione inenarrabiliter gaudeo; ut ergo hoc gaudium in vobis sit, idcirco haec locutus sum vobis tamquam vitis suci mei laetitiam gestiens effundere palmitibus meis » (*Rup.*). Quod gaudium Christi si susceperint, tunc utique ipsorum gaudium completum erit : *et gaudium vestrum impleatur;* cf. 17,13; si itaque has Christi adhortationes animis complexi fuerint, fruentur perfecta quantum hisce in terris fieri poterit felicitate et consolatione. Dum autem talem felicitatem et perfectum gaudium iis ostendit, simul poténtissimam rationem proponit qua excitantur, ut omni studio in eius manere nitantur dilectione, quo tanto bono uberius potiantur.

Haec tamen sententia : *ut gaudium meum in vobis sit*, aliter ab aliis est accepta. Iungunt enim aliqui illud *in vobis* ad gaudium meum et explicant ac si scriptum esset *de vobis* : « quid est gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis »? ita *Aug.*, quem sequuntur *Tol. Mald. Bar. Lap. Patr. Corl.* similiter explicantes : ut Christus de iis laetitiam percipiat et gaudium. Verum isti negligunt illud ἐν ὑμῖν; ἐν debet retineri; unde solum iungi potest et debet *in vobis sit*. Alii *gaudium meum* explicant : gaudium de me, propter me χαρὰ ἡ δι' ἐμὲ, περὶ ἐμὲ, εἰς ἐμέ (*Cyr. Euth.* sim. *Chr. Theoph.*) : ut discipuli gaudeant de Iesu, propter eum. Sed tum illud *gaudium meum* iam est gaudium *vestrum*, cum tamen in textu duplex gaudium clare distinguatur non solum per *meum* et *vestrum*, sed etiam per duplex sententiae membrum : ut sit in vobis, ut impleatur. Quare haec explicatio nequit admitti, cum omnino perspicuum sit diversum significari gaudium.

Quaenam sint ista praecepta quorum observatione tanta proveniant bona, iam docet v. 12 *hoc est praceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, ἵνα ponitur eodem modo quo in v. 8. Explicatur itaque v. 10, uti veteres iam nexum adstruunt (cf. *Theoph. Rup. Thom. Tol.* etc.) et simul monent uno hoc praecepto impleto omnia observari : plenitudo enim legis est dilectio (Rom. 13,10; *Chr. Aug. Rup. Thom.* etc.), qui enim diligit proximum legem implevit (Rom. 13,8).

In dilectione proximi etiam dilectio Dei habetur; unum includitur in altero; nam « a caritate omnia procedunt sicut a principio et in caritate omnia ordinantur sicut in finem; nam, sicut dicit Gregorius, ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una radice generantur, nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis » (*Thom.*). Cum emphasi dicit ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμή; vide 13,34. Qualem autem postulet dilectionem, suo ipsius praeclarissimo exemplo demonstrat : talem inter nos dilectionem iubet exercere, qualem ipse prius exhibuit et implevit (*Cyr.*); modum itaque et mensuram et rationem dilectionis a se disci oportere indicat. Quanta autem sit dilectionis eius mensura et quis modus, statim addit declarans illud *sicut* (*Cyr. Rup. Tol. Corl. Schz.*) v. **13** *maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis;* iterum ταύτης... ἵνα, uti modo in v. 12 αὕτη, ἵνα et in v. 8. Maior itaque caritas in aliquem exhiberi opere non potest, quam ut ipsa vita pro eo impendatur, qui igitur ita est dilectus φίλος, ut pro eius bono et salute tantum pretium solvere is qui eum diligit non dubitet. Abs re est quod aliqui hoc loco movent, num non sit etiam maior dilectio pro inimico vitam ponere (cf. Rom. 5,8); nam semper is, pro quo vita impenditur, diligitur, est φίλος, habetur et consideratur veluti amicus, cui favet et cui bona praestare vult is qui talem erga eum exhibet affectum. Hunc utique affectum in nos ostendit Christus tum quando nos ab eo aversi eramus; sed in hac ipsa misera aversione ille nos dilexit et dilectione sua et morte nos constituit amicos; vel ut *Thom.* dicit, licet non essemus amici quasi amantes, eramus tamen amici ut amati.

Ex vocabulo *amici* sumit occasionem adhortandi ad mutuam dilectionem novo hoc et honorifico titulo iniunctam (*Tol. Ians. Mald.*) v. **14** *vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis;* « magna dignatio, hinc amicos suos voluit intelligi, unde servi boni possunt probari; sed ista dignatio est, ut Dominus quos novit servos suos dignetur dicere amicos suos » (*Aug.*). Excellens sane dignitas in Christi amicitia et familiaritate consistit, et magna bonorum copia inde speranda est. Unde hoc quoque titulo et hac promissione eos efficaciter invitat ad mutuam inter se dilectionem; cf. 14,13. Quid ipsis titulo amicitiae praestandum sit dicit in v. 14; iam quid eodem titulo ipse fecerit ostendit declarans suam erga eos eximiam dignationem, ut sic ad redamandum vicissim magis illos provocet (*Ians.*) v. **15** *iam non dicam vos servos*, uti eos vocarat 12,26 et 13,13 innuerat, *quia servus nescit quid faciat dominus eius;* servus scit quid dominus imperet faciendum, neque tamen scit quid facere intendat neque scit secreta eius consilia; Prov. 25,9 : causam tuam tracta cum amico tuo et secre-

tum extraneo ne reveles (*Thom.*); Christus vero suos iam ut amicos adhibuit; *vos autem dixi amicos* εἴρηκα dixi et ut tales vos habeo; et eos iam eo nomine honoravit Luc. 12,4, *quia omnia quaecumque audivi a Patre meo nota feci vobis,* ea scil. omnia quae tamquam legatus in carne passibili cum iis communicanda habuit (*Cai. Ians.*), quae pro ratione temporis et discipulorum captu convenientia et necessaria erant et quae poterant capere (cf. 16,12; *Chr. Theoph. Euth. Thom. Bon. Tol.*) de opere redemptionis (*Rup.*) et de consiliis divinis. Propter illud *omnia* et 16,12 placuit aliquibus explicare de tempore futuro, quo scil. docente quoque Spiritu sancto de omnibus redderentur certi (cf. *Aug. Thom. Bon. Mald.*); at minime opus est illud ἐγνώρισα explicare a Christo dictum, quia noverit se id facturum (*Aug.*) vel decreverit se nota facere (*Mald.*). Dicit se audisse a Patre i. e. ab eo accepisse; vide 5,30; 8,26. 40; 14,24 et eodem modo 7,16 mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

Et quam vere eos habeat suos amicos, declarat alio signo amicitiae (*Euth.*), quae tanta amicitia in eos est ex parte Iesu tota gratuita (*Patr. Corl.*); ipse enim prior eos dilexit (*Theoph.*) et ad dignitatem praeclaram eos elegit v. 16 *non vos me elegistis, sed ego elegi vos* in discipulos et apostolos; ego vos ad meam sequelam vocavi invitatione externa et gratia interna; in apostolos elegit ex discipulis quos voluit ipse (Marc. 3,13). Haec autem electio iam est maximum beneficium, quia erant cum ipso et singulari cura ab eo edocebantur; insuper munus praeclarum iis destinatum est : *et posui vos* vos destinavi (cf. Act. 13,47. 1 Thess. 5,9. 1 Petr. 2,8; *Schz.*), *ut eatis* per mundum discurrendo ad evangelium praedicandum (*Cyr. Thom. Alb. Bon. Tol. Cai. Ians. Bar. Lap. Corl. Schz. Fil.*) *et fructum afferatis* in aliorum scil. conversione (*Bon.*), quem fructum facere apostoli expetunt (cf. Rom. 1,13; 15,16. 2 Cor. 11,2) *et fructus vester maneat,* ut fructus maneat evangelicae disciplinae, quam annuntiarunt (*Cyr.*), ut congregatio fidelium perducatur in vitam aeternam (cf. *Rup. Alb. Thom.*). Manet fructus, quia evangelium ab iis praedicatum non peribit, sed manebit semper et salus ipsa quam praedicatione efficiunt manet in aeternum (*Tol. Mald.*). Neque abs re est quod alii explicant de fructu et apostolatus et propriae sanctitatis (*Thom. Cai. Ians. Schg.*). Nam eos fructum ferre debere virtutum ex comparatione palmitum consequitur; dein ipsa praedicatio et labor apostolicus habet exercitium multarum virtutum (vide quae Paulus dicit 1 Cor. 4,9-14; 2 Cor. 11,23-29) et vera pietas ad ipsum opus illud fructuose implendum plane est necessaria, uti apostolus docet 2 Cor. 2,14-17. Sunt qui hunc modum loquendi ex allegoria vitis derivent et explicent : ego vos plantavi, ut longe lateque

emittatis palmites, multosque feratis sanctitatis fructus (*Chr. Theoph. Euth. Rup.*); unde notant Filium quoque tamquam agricolam describi aequalem Patri. Quae tamen allegoria hoc loco neque verbis neque re ipsa indicatur.

Ut vero fructum ferre possint, opus est oratione; quare apponit modum fore supplicando (*Cai. Bar.*), *ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis*, scil. posui vos, *ut;* etiam id beneficii eis promittit, fore ut Pater laboribus ipsorum quam maxime faveat. Prout membra priora referuntur ad *posui* : posui ut eatis et (ut) fructum afferatis et (ut) fructus maneat, ita hoc ultimum quoque eadem ratione a verbo primario *posui* dependere dicendum est, uti *Thom. Tol. Cai. Bar. Corl. Fil.* concipiunt. De vi et efficacia orationis vide 14,13. 14. Legunt *Chr. Theoph.*, quibus *Mald.* assentitur : *dem vobis;* cf. 14,13. Multi autem hoc membrum consequi volunt non ex *posui*, sed ex immediate antecedentibus : eo quod fructum affertis, ad tantam fiduciam evehemini, ut, quodcumque etc. (*Cyr.*); fructu allato dabit vobis Pater tamquam remunerationem (*Theoph. Aug. Bon.*), vel fructus est, ut (*Rup.*); si fructum affertis, sequetur, ut etc. (*Lap. Nat. Schg. Schz.*). Vides omnes hos illud *ut* adnectere non ad ultimum membrum (fructus vester maneat), quod tamen exspectandum erat, si ab immediate antecedentibus dependeret; proin eo iam ostendunt esse satius, omnia membra sententiae pari ratione ad verbum primarium referre. Monet itaque Christus apostolos de munere obeundo i. e. de praedicatione evangelii et fructu permanente afferendo, et ne ob operis magnitudinem et difficultatem terreantur, apte illis suggerit ultimo loco id etiam a se esse provisum et destinatum, ut Pater eorum petitionibus benigne annuat: proinde omnia illis praesto esse, quibus maxima cum fiducia opus aggrediantur.

Subiungitur adhortatio, quae simul est complexio ac comprehensio antecedentium (*Rup. Ians. Tol. Mald. Corl. Schz.*) et quaedam ad subsequentia transitio (*Aug. Alb. Cai. Patr.*) v. 17 *haec mando vobis, ut diligatis invicem;* quantum momentum ponat Iesus in hoc praecepto, elucet ex repetita iniunctione (cf. 13,34; 15,12). Adiungit id hoc loco ad munus apostolicum; unde docet plurimum quoque ad propagationem evangelii interesse, ut caritas haec fraterna sedulo foveatur; « haec est via per quam fructum multum afferetis et populos convertetis, ad quod tanta gratia et liberalitate mea electi estis » (*Tol.*). Mandat igitur Christus ac praecipit mutuam dilectionem ; particula ἵνα eodem modo ponitur quo supra v. 8 et 12 et ταῦτα *haec* non ad antecedentia spectat, sed cum emphasi praeceptum dilectionis effertur. Neque obstat quod ταῦτα, non τοῦτο habetur. Nam ταῦτα haud

raro etiam tum poni certum est, si de una solum re agitur; exemplum plane simile habes 3 Ioan. 4 μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, ἵνα ἀκούω etc.; etiam 1,50 maius *his* videbis, ad unum eventum refertur; eundem usum pluralis in litteris et sacris et profanis deprehendi, vide apud *Winer* 23,5; *Krüger* 44,4,3. Accedit quod eiusmodi constructio evangelistae sat familiaris est (cf. 4,34; 6,29); et eo modo *haec* ad sententiam subsequentem, *ut* etc. referunt *Aug. Rup. Alb. Cai. Ians. Tol. Mald. Patr. Schg.*

Alii tamen ita exponunt : haec quae dixi mando vobis eo fine, ut diligatis invicem (*Corl. Schz. Fil. Weiss*) vel, quod *Chr. Theoph. Euth.* habent et *Thom.* quoque innuit : non exprobrans haec dico, me animam ponere, me priorem ad vos accurrisse, sed ut ad amicitiam vos inducam. Qua in expositione dissentiunt, ad quae referri oporteat *haec; Chr.* aliique ad v. 13-16 spectare volunt, *Schz. Fil.* ad v. 12-16; *Weiss* ad v. 9-16, *Corl.* : haec omnia quae modo dixi, mando vobis eo fine, ut etc. — Equidem puto eam acceptionem ipsa voce ἐντέλλομαι satis excludi; nam significat mandare, faciendum iubere, praecipere. Iam quae v. 12-16 vel 9-16 continentur, non possunt nunc comprehendi : haec *mando;* nam mandatum solum habetur in v. 12; quae dicuntur v. 10. 11. 13-16 non sunt praecepta, sed sunt rationes variae quae apostolis suggeruntur, ut ad illam cum Iesu unionem retinendam, fovendam, maximi aestimandam provocentur. Ideo dicendum erat non : haec *praecipio,* sed : haec *locutus sum* vobis eo fine, ut diligatis invicem.

g) De odio mundi in discipulos 15,18-27.

15,18. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.

21. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit, et Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in

15, 18. Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν. 19. εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε, ὁ κόσμος ἂν τὸ ἴδιον ἐφίλει· ὅτι δὲ ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ ἐστὲ, ἀλλ' ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, διὰ τοῦτο μισεῖ ὑμᾶς ὁ κόσμος. 20. μνημονεύετε τοῦ λόγου οὗ ἐγὼ εἶπον ὑμῖν, Οὐκ ἔστιν δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ. εἰ ἐμὲ ἐδίωξαν, καὶ ὑμᾶς διώξουσιν· εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, καὶ τὸν ὑμέτερον τηρήσουσιν. 21. ἀλλὰ ταῦτα πάντα ποιήσουσιν εἰς ὑμᾶς διὰ τὸ ὄνομά μου, ὅτι οὐκ οἴδασιν τὸν πέμψαντά με.

22. εἰ μὴ ἦλθον καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, ἁμαρτίαν οὐκ εἴχοσαν· νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσιν περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν. 23. ὁ ἐμὲ μισῶν καὶ τὸν πατέρα μου μισεῖ. 24. εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα ἐν αὐτοῖς, ἃ οὐδεὶς

eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum. 25. Sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis. 26. Quum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

ἄλλος ἐποίησεν, ἁμαρτίαν οὐκ εἴχοσαν· νῦν δὲ καὶ ἑωράκασιν καὶ μεμισήκασιν καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου· 25. ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὁ ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν γεγραμμένος, ὅτι ἐμίσησάν με δωρεάν. 26. Ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ· 27. καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστέ.

In v 22.24 ℵ B L ειχοσαν. In v. 23 sin quia qui me odit. In v. 26 οταν sine copula ℵ B Δ c l m ken; ergo a b c ff² r. In v. 27 codd plur perhibetis; item a c f l; e testis estis; r testificamini; cav eg hub theod for car tol wil b ff² perhibebitis; add ff² de me; sixt qui ab initio; q ken rush fuistis.

Firmi in hac dilectione odium mundi non timebunt, cum ipse odium hoc prior sustinuerit et propter ipsum illis obtingat, quamvis ipse operibus suis divinam missionem luculentissime probaverit, ita ut odium hoc sit inexcusabile. Verum minime timendum est; nam impletur prophetia et Spiritus sanctus et ipsi testimonium perhibebunt de Iesu (15,18-27).

Christus eos elegit ad munus apostolicum (v. 16). Ad idem munus ab eo electi necesse est ut caritate inter se coniuncti sint (v. 17); pariter necesse est, ne difficultatibus muneris ullo modo retardentur aut absterreantur. Cum enim, ut *Theod. heracl.* notat, praedicatio eorum atque doctrina in omnis erroris vergeret abolitionem, consequens erat, ut apud infideles grave odium incurrerent; quare illos armans animorum conspiratione dilectionem eorum opponit odio mundi i. e. pravorum hominum (sim. *Ammon.*). Munit ergo eos contra mundi tempestates (*Mald.*) docens qua ratione odium et persecutiones perferre oporteat, qua doctrina simul iis exhibetur adhortatio, ut eas illo spiritu perferentes maneant in dilectione Iesu multumque afferant fructum; v. 18 *si mundus vos odit*, mundus ille regno Dei inimicus (14,17. 27), cuius princeps est diabolus (14,30), *scitote quia me priorem vobis odio habuit!* mira consolantis adhortatio (*Rup.*); suo eos exemplo confortat, ne de illo odio mirentur. Cum enim Christo intime sint iuncti, non mirum si eiusdem participes futuri sunt sortis; « recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite » (*Aug. Bed.*). Est magna energia in vocibus; *me*, inquit, qui innocens, Filius Dei, qui tot beneficiis eos cumulavi; *me priorem vobis*, non ergo vos priores ad pericula mitto, aut odio expono; prior ego sum odio habitus; tanto ergo exemplo proposito

non est cur retrocedatis *Tol.* : πρῶτον ὑμῶν. vide ad 1,15; putat *Ians.* πρῶτον ὑμῶν posse intelligi me principem vestrum, quae explicatio *Cai.* praeplacet propter rationem subiunctam : non est servus maior domino suo: ita utique dicitur οἱ πρῶτοι τῆς Γαλιλαίας, τοῦ λαοῦ, τῶν Ἰουδαίων, τῆς νήσου (Marc. 6,21. Luc. 19,47; Act. 25,2; 28,7. 17 etc.). Sed prior acceptio multo est expeditior et facilior. et hic usus vocis in recentiore graecitate saepius reperitur et apud nostrum evangelistam etiam 1,15. 30 habetur. Neque recte censet *Ians.* a *Cyr.* alteram expositionem esse adoptatam: bis enim *Cyr.* scribit : ἴστε προπεπονθότα τοῦτο τὸν διδάσκαλον, et odio haberi non sit vobis molestum ἐμοῦ τοῦτο προπεπονθότος, et *Euth.* : sit vobis in consolationem πρὸ ὑμῶν ἐμὲ μισηθῆναι; ad quam acceptionem etiam congruit quod *Nonn. Theoph.* habent : πρῶτον ἐμὲ odio habebant.

Primam itaque confortationis rationem petit a suo exemplo cf. 7,7), quae est grandis consolatio iustis ad fortiter sustinendum (cf. Hebr. 12,3. 1 Petr. 2,21); alteram rationem confortationis desumit ex causa odii (*Thom. Ians. Patr. Corl.* v. 19 *si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret*; gaudet namque simili simile (*Euth.*); omnis caro ad similem sibi coniungetur et omnis homo simili sui sociabitur (Eccli. 13,19. 20. *Cyr. Thom.*): *quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus*; « artificiose plane reddit facilem rem omnium longe gravissimam eoque praeter spem oblectari facit, quod non mediocrem molestiam iure allaturum videbatur » (*Cyr.*). Ergo non dolendum est de odio mundi, sed gaudendum, quia isto odio constat eos non esse de mundo; ergo odium istud annuntiat felicitatem et sicut laetari oportet quod sunt electi e mundo, ita quoque de illo odio est gaudendum. Christus eos elegit de mundo « cum vos a malis hominibus per fidem elegi, per vitae quoque sanctitatem ab iisdem segregavi » (*Theod. heracl.*; sim. *Corl. Schg. Schz.*); ita simul indicat eos non suis meritis aut sua opera fuisse subductos e mundo, sed Christi electione ac gratia. Proin in quantum haec electio et gratia est magni facienda, in tantum oportet odium illud mundi contemnere ac plane nihili facere (cf. *Ians.*). Cur autem mundus odio habeat iustos, tres rationes *Thom.* affert : propter diversitatem conditionis, propter displicentiam correctionis, propter iniquitatem aemulationis, qua mali invident viris iustis.

Explicat ipse Christus priorem quam attulit rationem et causam odii, quae ex ipsius exemplo deprompta erat (*Thom.*); ita eos iterum provocat ad suum exemplum considerandum (*Ians.*) et illud *scitote* declarat (*Schz.*), v. 20 *mementote sermonis mei quem ego dixi vobis : non est servus maior domino suo;* vide 13,16; *si me persecuti sunt et vos*

persequentur; cf. Matth. 10,24. 25 si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? Luc. 6,40; similiter iam quaesivit ex eis : potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum (Matth. 20,22); sed gloria magna est sequi Dominum (Eccli. 23,38; *Thom.*); exhortans ad mundi odia perferenda nullum maius eis et melius quam de seipso proponit exemplum (*Aug.*). Parem cum Christo habebunt sortem in munere apostolico : *si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt;* « suum autem et illorum sermonem dicit, non quod diversa doctrina esset, sed quod per diversos ministros traderetur » (*Mald.*). Christus utrumque expertus est : persecutiones et observantiam seu voluntatem propensam, fidem. Utrumque etiam discipulis continget.

At plerique aliter accipiunt, Christum scil. dicere velle : sicut meum sermonem *non* servaverunt, ita vestrum quoque non servabunt (cf. *Chr. Theoph. Euth. Cyr. Aug. Rup. Alb. Bon. Ians. Tol. Lap. Bar. Mald. Nat. Corl. Schz.*); aliqui ἐτήρησαν explicant : exploraverunt insidiose scil. (cf. *Calm.*); sed haec notio verbi apud evangelistam admitti nequit. Neque puto Christum quasi cum ironia dixisse : servarunt i. e. non servarunt. Neque video cur Christus qui suos elegit, ut fructum afferrent, nunc iisdem dicere censendus sit : non servabunt sermonem vestrum. Urgent quidem idem subiectum grammaticale esse retinendum (cf. *Schz.*). Sed forma verbi ἐδίωξαν, ἐτήρησαν est satis vaga et ex subiecta materia vel ex praedicato alteraque enuntiatione facillime colligitur alios aliter esse acturos. Utique dici potest ex v. 18. 19 Christum loqui de mundo; ergo etiam in v. 20 mundum esse subiectum logicum. Neque id repugnat; nam tum dicitur, sicut Christus suos elegerit de mundo, ita fore ut apostoli etiam e mundo Christi cultores acquirant. Hoc verum est, ea ipsa sententia apostolis innui praedicationem eorum a maiore parte non iri acceptum et praesertim a Iudaeis iri repudiatum, quia etiam haud multi ex plebe iudaica Christi sermonem servaverunt. Quare verba illa in sensu suo nativo retinenda sunt (*Thom. Schg. Fil.*); ea *Salm.* ita declarat : « sicut ego praedicans non nisi paucos sectatores habeo, sed post mortem meam multi ad me confluent secundum illud : si autem mortuum fuerit (granum frumenti), multum fructum affert (12,25), ita vobis eveniet; raros enim discipulos et auditores habebitis, priusquam morte testimonium vestrum compleatis ». Et *Keppler* ita : si meum sermonem servaverunt — et scitis solum paucos servasse — etc. maiorem partem contra vos esse; minorem a vestris fore partibus.

At ne ullo modo odio illo et persecutionibus inde exortis perturbentur, verum potius ut excitentur ad fungendum eo diligentius munere

quo magis homines ignorantiae tenebris obvolutos videant, declarat causam odii et persecutionum v. 21 *sed haec omnia facient vobis propter nomen meum*, quod vos praedicatis, cui vos testimonium perhibetis; « me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur; tanto ergo miseriores qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur » (*Aug.*). Quare autem tantum habent vel habebunt nominis mei odium (*Rup.*)? *quia nesciunt eum qui misit me*, id quod sequentibus declaratur; ex iis enim quae Christus testatus et operatus est, scire poterant et debebant eum esse missum a Deo. Ex qua declaratione simul patet Christum discipulis odium et persecutiones praeprimis a parte Iudaeorum praedicere. Atque illud *propter nomen meum* verbotenus legimus impletum; cf. Act. 4,17; 5,40. 41; 9,21; 21,13; 26,9. 1 Petr. 4,14-16. Sed ibi continetur, ut *Rup.* pluribus prosequitur, magna consolatio et diligentibus ad formandam patientiam sufficiens; gloriosa namque Christi nominis dignitas opprobria condecorat, tormenta in magnae spei vertit delicias. — Illi vero persecutores sine excusatione sunt; nam maxima sua culpa in illa versantur ignorantia, ex qua odium et persecutio oritur v. 22 *si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, de peccato scil. infidelitatis, quia non crediderunt Christo. Cur incredulitas quasi per excellentiam dicatur peccatum, explicat *Thom.*, quia isto peccato exsistente nullum aliud peccatum remitti potest. Si ergo Christus non venisset, hoc peccatum infidelitatis non haberent; nulli enim imputatur ad peccatum, si non facit quod nullo modo facere potest (*Thom.*); verum in multis pharisaeis peccato infidelitatis accrevit, ut *Bar.* ait, peccatum contra Spiritum sanctum (cf. Matth. 12,31. Marc. 3,29. Luc. 12,10).

Huius autem peccati magnitudinem exponit v. 23 *qui me odit et Patrem meum odit;* « non parvum hinc illis supplicium praenuntiat; quia enim ubique obtendebant se propter Patrem Christum persequi, illis omnem auferens defensionem, haec dixit; nullam enim habent excusationem » (*Chr.*). Nam eo modo quem lex mosaica statuit (Deut. 18,18-22) se probavit legatum Dei, cui credere et obedire debebant; eius de se testimonium Deus Pater multis et praeclaris modis confirmavit. Si itaque post tot missionis eius atque divinitatis documenta eum odio habent, eo ipso Deum Patrem odio habent. Quare praeter suum de se testimonium (v. 22) ad testimonium Patris in operibus exhibitum provocat, uti 5,31. 32. 36 seq. fecerat v. 24 *si opera non fecissem in eis*, inter eos, *quae nemo alius fecit, peccatum non haberent:* nam cuncta quae a prophetis fiebant opera Christus et numero

et varietate in omni genere miraculorum et modo ipso operandi longe superavit; solo verbo nutuque, auctoritate sibi propria patravit miracula hancque potestatem pro arbitrio cum discipulis communicavit; *nunc autem et viderunt* νῦν δὲ, atqui haec omnia oculis viderunt, horum fuerunt testes, *et* nihilominus *oderunt et me et Patrem meum;* cum istis operibus Christi illis esse etiam oblatam gratiam, qua possint credere, certum est; unde dicit *Thom.:* « est attendendum quod Christus attraxit verbo, signis visibilibus et invisibilibus, scil. movendo et instigando interius corda ». Verum ne mirentur; nam hoc quoque odium iam erat praedictum; unde Christus eodem modo loquitur, quo 13,18 de Iudae proditione v. 25 *sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est : quia odio habuerunt me gratis* i. e. sine ulla causa iusta, hebr. חִנָּם; verba deprompta sunt ex Ps. 68,5, qui ad Messiam spectat et ex quo pariter deprompta sunt illa verba : zelus domus tuae comedit me et : in siti mea potaverunt me aceto; iustus ergo ille qui ibi orat et afflictiones suas Domino proponit typum gerit Messiae. Leguntur quoque Ps. 34,19. Dicitur *lex* non de solo Pentateucho, sed generatim de toto vetere testamento (cf. 10,34). Sedulo implent et exercent odium, uti in lege *eorum* (cf. 8,17) iis iam praedicitur.

Verum non permittet veritatem illo odio obrui ac latere (*Tol.*); ne itaque discipuli odio illo ab alacri functione muneris retineantur, hanc eis addit consolationem, qua effectus ac successus missionis eorum praeclare in tuto collocatus apparet v. 26 *cum autem venerit Paraclitus,* adiutor, *quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me;* describitur Spiritus sanctus ita ut eius dignitas, auctoritas, maiestas commendetur. Eius missione ipse Christus operi suo prospiciet; eum mittet a Patre, παρὰ τ. π., declaratur missio temporalis; sicut Christus ex Deo processit et venit (8,42), simili modo Spiritus mittitur quasi procedens et veniens « ab eo loco, ubi Pater est, a sinu Patris; at quid hoc ad rem attinebat? ut eius commendaret testimonium; illius enim testimonium gravissimum fore, qui ex sinu veniret Patris omnia mysteria Patris sciens fidusque legatus neminem fallens » (*Mald.*). Quia autem Christus eum mittit, declaratur divinitas Filii Dei et processio quoque Spiritus sancti a Filio, quia missio in divinis hoc necessario infert. Cum dicat *ego mittam vobis,* ipso loquendi modo apostolis maximam et certissimam ingerit rei efficiendae spem, non iam dicens : ego rogabo Patrem etc., uti 14,16. Vocatur Spiritus veritatis, ut ostendatur, quanti aestimandum sit eius testimonium; est enim ipsa veritas, auctor et doctor veritatis. Et demum ut testantis dignitas divina clare exhi-

beatur, significata antea missione seu processione temporali futura iam aeterna eius processio et origo enuntiatur : *qui a Patre procedit;* quae verba cum plerisque (*Cyr. Theoph. Euth. Theod. M. Rup. Alb. Thom. Cai. Salm. Tol. Mald. Lap. Bar. Corl. Schg. Fil.*) de aeterna processione recte intelliguntur; nam processio seu missio temporalis iam indicata est idque alia verbi forma quoque indicatur : mittam a Patre, procedit (cf. *Keppler*) et hac origine divina declarata optime absolvitur auctoritas et dignitas testis. Talis itaque et tantus cum sit, testimonium perhibebit de Christo operibus miris et signis in confirmationem evangelii editis et lumen infundendo in mentes hominum et inflammando affectum, ut cognoscant et ament Christum omni errore et mundana vanitate postposita (*Tol. Ians.*).

De nexu v. 26 cum antecedentibus iam *Mald.* affirmat : quorsum haec Christus adiecerit, tot fere sententias quot auctores invenio. Ipse hunc nexum habet probabiliorem : illi quidem mihi neque docenti neque miracula facienti crediderunt, neque verba mea neque facta satis magnum apud illos fuere testimonium; non deerunt alii tamen mihi testes : Spiritus sanctus et vos. Aliis placet haec addi, ut declaretur etiam tempore futuro fore inexcusabiles qui non crediderint (*Thom. Ians. Patr. Schz. Weiss*); melius alii hisce solatium praeberi discipulis putant ne odio terreantur neve timeant de successu praedicationis (cf. *Chr. Theoph. Euth. Tol. Keppler*).

Verba *qui a Patre procedit* celebria sunt in controversia cum Graecis, de qua hic non est agendum. Verum hic notare oportet esse qui verba haec primo et per se referant ad missionem temporalem, ex qua deinde ad processionem aeternam fiat conclusio. Ita *Rup.* utramque processionem exprimi censet; quaerit cur Christus de se dicat : ego a Deo *processi,* et de Spiritu sancto : qui *procedit,* et respondet : cum haec diceret ipse iam processerat factus homo visibilis, Paraclitus autem nondum ad homines processerat; postea processit et usque in finem saeculi procedere non desinit. Sed simul etiam fatetur : ipsum sane processionis verbum dignitatem personae eius exprimit. Atque *Ians.* ita arguit : disputatio illa cum Graecis praesupponit locum hunc intelligendum esse de aeterna a Patre processione; at si recte perpenderimus, videbitur magis hic locus simpliciter accipiendus de temporali Spiritus ad creaturas processione, hoc est, de eius missione. Sicut enim nunc Dominus dicit Spiritum procedere a Patre, ita supra de se dixit : ego processi ex Deo, id autem magis de processione temporali Christi quam de aeterna accipiendum esse patet ex sequentibus (8,42 : et veni, ille me misit), eodemque modo 16,28 exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem. Et putat illa verba addi ad declarandum illud : mittam a Patre i. e. ideo illum dico me missurum, quia ipse a Patre procedit et datur hominibus. Pro qua explicatione provocat ad *Nonn.*, cuius tamen paraphrasis eum sensum non postulat : Πνεῦμα Θεοῦ νοεροῖο διορνύμενον Γενετῆρος i. e. Spiritus a Deo intelligente

Patre procedens. Demum urget *Ians.* dici παρὰ τ. Π. non ἐκ τ. Π; quod discrimen nihil tamen refert; nam παρὰ aeque dicitur, ut significetur aliquem ab alicuius latere vel sinu esse, venire; cf. 1,14; 6,46. Aliae eius rationes supra iam satis exclusae sunt. Recte autem addit : quodsi autem locus hic de processione temporali sit accipiendus, certum est includi etiam processionem aeternam (sim. *Schz.* qui primo et per se missionem temporalem hic declarari existimat).

Quaeri potest, cur dicat solum : qui a Patre procedit? respondet *Mald.* non dixisse a se procedere quia id apud homines magis minuere quam commendare potuisset eius testimonium. Fortasse melius dixeris, iam satis indicatum esse Spiritum a Filio quoque procedere, a quo scil. mittatur.

Tanti itaque adiutoris testimonium redditur Christo. Quo audito animi discipulorum confortantur et profecto magna iam alacritate perceperunt ac salutarunt verbum Christi quod addit v. 27 *et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis;* nam simul cum tali teste qualis est Spiritus sanctus testimonium dare maxime est tutum, honorificentissimum, in animos hominum efficacissimum. Eorum testimonium testium oculatorum mundo exhibitum est : quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt (1 Ioan. 1,1); cf. Act. 10,41. 42; et propter hoc testimonium Petrus in locum Iudae eligendum esse alium dicit ex his viris qui nobiscum sunt congregati omni tempore quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus incipiens a baptismate Ioannis etc. Act. 1,21; unde *ab initio* ἀπ' ἀρχῆς, ab initio vitae publicae Christi; vide Luc. 1,2; 3,23. Act. 10,37. Adest itaque testimonium humanum, adest testimonium divinum. Utrumque permanet in Ecclesia. Revelationem factam esse probatur documentis historicis; sed ad fidem non pervenitur nisi gratia Dei adiutrice.

h) De persecutionibus et testimonio Spiritus 16,1-15.

16,1. Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos; sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. 3. Et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me. 4. Sed haec locutus sum vobis, ut quum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.

5. Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram; et nunc vado ad eum qui misit me, et nemo ex vobis interrogat

16. 1. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε. 2. ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς· ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας (ὑμᾶς) δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. 3. καὶ ταῦτα ποιήσουσιν ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα οὐδὲ ἐμέ. 4. ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα, ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα αὐτῶν μνημονεύητε αὐτῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν·

5. ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ

me : Quo vadis? 6. Sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et quum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iustitia, et de iudicio. 9. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; 10. De iustitia vero, quia ad Patrem vado, et iam non videbitis me; 11. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. 13. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. 14. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. 15. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

με, Ποῦ ὑπάγεις; 6. ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν. 7. ἀλλ' ἐγὼ τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω. ἐὰν γὰρ μὴ ἀπέλθω, ὁ παράκλητος οὐ μὴ ἔλθῃ πρὸς ὑμᾶς· ἐὰν δὲ πορευθῶ πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς·

8. καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ περὶ κρίσεως. 9. περὶ ἁμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ· 10. περὶ δικαιοσύνης δὲ, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με· 11. περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται. 12. Ἔτι πολλὰ ἔχω ὑμῖν λέγειν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· 13. ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν· οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀκούσει λαλήσει, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. 14. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήμψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. 15. πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ, ἐμά ἐστι· διὰ τοῦτο εἶπον, ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

In v. 2 r removebunt vos de syn.; d de synagoga vos eiicient; e expulerunt vos a syn.; a f q se sacrificium, e culturam; a d q offerre, f obtulisse. In v. 3 add υμιν ℵ D L, alqi minusc. a c d f ff² Aug cop arm aeth; dub ing wil corp; sin om hunc versum. In v. 4 ωρα αυτων A B Π* aliq minusc. In v. 6 sin tristitia venit et implevit. In v. 7 e m q advocatus; sin mittam ad vos paracletum. In v. 13 a vos deducet in omnem veritatem; f q r diriget vos in om. ver.; b ff² deducet vos in veritate omni; sin omne quod veniet.

Etiam distinctius docet Iesus de persecutionibus quas post suum discessum discipuli a contribulibus sint experturi (v. 1-5). Tristes consolatur promissione Spiritus, cuius munus triplex quoad mundum, discipulos, seipsum illis declarat (v. 6-15).

Locutus erat Christus in antecedentibus 15,18-27 de odio mundi persecutionibusque in discipulos et de testimonio Spiritus sancti. Iam duo haec iterum tangit, sed ita ut ad utrumque novi quid addat et id quod dixerat magis determinet. Nam v. 1-5 prius prosequitur, dein alterum usque ad v. 15. Quare distinctio capitum usitata retinenda est, quamvis saepe v. 1-4 ad antecedens adiungant; sed tum etiam quae hic de Spiritu sancto dicuntur, pariter ad praecedens caput ob 15,26 referenda essent, quod tamen nemo facit.

Reddit Christus rationem cur ea de tempore futuro suis exposuerit

v. 1 *haec locutus sum vobis*, scil. 15,18-27 (cf. *Tol. Mald. Ians. Corl. Schz. Fil.*), *ut non scandalizemini*, cum nempe videbitis multos non credentes et vos gravia patientes (*Chr.*). Ad eorum utilitatem et cautelam haec spectant; iacula praevisa minus feriunt et nota causa profectus facilius tolerantur (*Cai.*). Scandalum est offendiculum viae, in quod incidentes impingunt et cadunt; qui autem admoniti sunt, caute ambulant illudque evitant (*Tol.*). Tale offendiculum poterat esse odium mundi contra regnum Messiae, quod regnum magnificis prophetarum oraculis erat celebratum, ita ut facile quis existimare posset regnum hoc cum plausu et laetitia statim ab omnibus iri acceptum (cf. Is. 9,7; 11,10; 49,6. 22 seq. 60,1 seq. Ier. 31,33. Mich. 4,2 etc.). Prophetae enim uno quasi intuitu beneficium divinum quod Deus omnibus dare intendit efferunt; raro indicant hoc quoque regnum varie iri impugnatum (cf. Ez. 38,1 seq. Dan. 7,18 seq. Ioel 3,10. Soph. 3,12). Quare praemonet suos Iesus revelans quod futurum erat, ut sic instructi minime offendantur.

Atque nunc ea iis annuntiat quae minime videbantur exspectanda esse, quia regnum messianum primo et per se Iudaeis erat promissum et salus ex Iudaeis ad omnes gentes permanare debebat. Viderant discipuli quomodo duces ac principes populi Iesum oppugnarent, audierant Iesum dicentem fore, ut regnum Dei ab eis auferretur (Matth. 8,12; 21,42); nunc erudiuntur, in quantam obstinationem et obcaecationem maior populi pars perventura sit v. 2 *absque synagogis facient vos* ἀποσυναγώγους, e synagogis vos eiicient, a communione ac consuetudine vos excludent (cf. 9,22; 12,42), a contribulibus suis tamquam apostatae habebuntur; neque ibi sistet odium; *sed venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo,* ἀλλὰ i. e. id quod modo dictum est parum est; at venit hora; affert enim ἀλλὰ adauctam gradationem, ut induat notionem : quin imo (cf. *Cai. Ians. Bar. Patr. Corl. Schz.*; vide *Klotz*, Devar. II p. 10); ἵνα, vide 15,8; λατρείαν προσφέρειν, cultum Dei offerre, quasi sacrificium Deo acceptum offerre. Legatos Christi itaque ut impios, sceleratos, blasphemos interficient zelum Dei et cultum obtendentes; id quod de se Paulus quoque fatetur : et ego quidem existimaveram, me adversus nomen Iesu Nazareni debere multa contraria agere (Act. 26,9; cf. Phil. 3,6). Considerabuntur igitur apostoli a suis ut pseudoprophetae, ut seductores ad cultum alienum, contra quos poena mortis a lege statuitur et quorum occisio in lege laudatur : Ex. 32,29 consecrastis manus vestras hodie Domino; Deut. 13,8; 17,7; 18,20. Et tale testimonium Iudaeis persecutoribus Paulus quoque reddit : aemulationem Dei habent, sed non secundum scientiam (Rom. 10,2). Unde autem fit, ut

tam perverso studio et zelo impleantur? v. 3 *et haec facient vobis, quia non noverunt Patrem neque me;* non ad excusationem Iudaeorum id dicitur; nam maxima eorum culpa talis illis inest ignorantia Dei et Christi; cf. 15,21-24; 8,19; eandem rationem reddit apostolus quoque: ignorantes enim iustitiam Dei et suam quaerentes statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti (Rom. 10,3); ita iam ipsum Christum insectati sunt amore traditionum humanarum et falso studio legis obcaecati. Haec addi a Christo etiam ad consolationem discipulorum *Chr. Theoph. Euth.* existimant; patiuntur enim sine sua culpa, propter Deum et Christum quem praedicant (*Aug. Tol.*).

Rei certo eventurae apponit vel opponit cur eam praedixerit v. 4 *sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis;* hora eorum cf. Luc. 22,53; distinguitur etiam : cum venerit hora, eorum reminiscamini, et : reminiscamini eorum; « ideo ergo praedixi, ne ista inexspectata vos turbarent et alia quoque de causa, ne diceretis me haec futura esse non praescivisse » (*Chr.*). Hora tunc venisse dicitur, quando persecutiones exercere iis permittitur. Cum Christus haec iis praedixerit, ingruentibus tribulationibus minus affliguntur, magis de eius adiutorio confidunt (*Thom.*); v. 5 *haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram;* nam ita passuri non eratis quamdiu vobiscum essem; nunc autem haec dico, quia separor a vobis et iam instant vobis pericula (*Euth.*). Persecutiones utique etiam antea praedixerat; vide Matth. 5,11. 12; 10,14. 16 seq. et praedixerat etiam persecutiones a parte Iudaeorum : in synagogis suis flagellabunt vos. Num itaque Ioannes corrigit synopticos? vel num ita verba sunt intelligenda, ut eiusmodi praedictiones a synopticis per anticipationem sint sermonibus Domini additae (cf. Matth. 20,23; 24,9. Luc. 6,22; 12,4; 21,12 etc.)? Nullo modo; nam novum quod illis nunc annuntiat est quod ab ipsis suis contribulibus morti tradentur quod illi hoc faciunt tamquam rem Deo gratam et quasi sacrificium ei offerentes (*Thom.*) et quod haec fient, postquam Dominus ab eis recesserit. Occisionem utique iam antea iis annuntiavit; at non talem ab ipsis Iudaeis in obsequium Dei intentandam neque antea indicaverat talem persecutionis furorem eos debere subire se absente. Duo haec et nova sunt et sane apta quae animos discipulorum angant. Cernunt ergo reprobationem populi sui et irreparabilem obstinationem; de qua civium suorum perditione quanto dolore affecti sint, conclude ex exemplo Pauli (Rom. 9,1-4). Assueti erant praesentiae Christi; nunc autem iis solis absente Christo tam luctuosa rerum conversio ob oculos ponitur. Quid mirum, si *haec* illis evadunt magnae tristitiae causa?

Quare Christus denuo eos suaviter consolatur. Et primo quidem iis amanter obiicit quod nullo modo de praeclaro fine cogitare videantur, ad quem ipse tendat; nam, uti antea dixit : si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem (14,28), *et nunc vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis interrogat me : quo vadis?* qua suavi redargutione illos vult admonere, ne in solo discessu cogitationibus haereant, sed ut perpendant, quo vadat, ut ad dispellendam moestitiam quaerant, ut Dominus sibi plura de suo ad Patrem reditu et de gloria apud Patrem habenda enarret — at fixi sunt in una illa tristitia v. 6 *sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum,* obliti sunt Christum abire, ut iis quoque locum paret in domo Patris (14,2); Dominum in hac humana conversatione praesentem semper habere cupiunt (*Rup.*). Eorum desiderio opponit tamquam alteram consolationis rationem fructum suae absentiae (*Bon.*) v. 7 *sed ego veritatem vobis dico : expedit vobis ut ego vadam;* proin si ipsius Christi utilitate et gloria apud Patrem non satis de eius absentia sese solari volunt vel possunt, iam suam ipsorum utilitatem expendant et suo se commodo erigant atque confortent; *si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos,* et quae bona per eum accepturi sint, partim iam sciunt (14,17. 26; 15,26) et mox plura audient. « En quomodo solatur eos : etsi tristitia afficiamini, ego quod vobis utile est dico; nam vos quidem velletis semper mecum esse; atqui hoc non est expediens; unde id eligo quod vobis est utile » (*Theoph.*).

Quaerunt cur Christo praesente non venturus sit Paraclitus. Respondent aliqui, quia nondum maledictum sublatum erat, nondum peccatum expiatum, omnes adhuc supplicio obnoxii; oportebat prius inimicitiam solvi et nos Deo reconciliari, tunc donum illud accipere (*Chr. Euth.*). Sed bene advertit *Mald.* Christum non dicere se ad mortem ire, sed ad Patrem, et potuisse eum soluto per mortem et resurrectionem peccato manere perpetuo cum apostolis. Alii rationem cernunt in aliquo amore discipulorum nimis humano et sensibili (*Aug. Bed. Thom.*) : « si alimenta tenera quibus vos alui non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carni carnaliter haeseritis, capaces spiritus non eritis » (*Aug.*). Vera autem ratio quaerenda est in decreto providentiae divinae (cf. 7,39), quo statutum est, ut omnes tres personae Trinitatis procurandae saluti hominum operarentur : Pater mittendo Filium trahendisque hominibus ad eum, Filius docendis, redimendis, liberandis hominibus, Spiritus sanctus perficiendis et variis divinis donis locupletandis; suae cuique vices erant, suum cuique tempus. Filius debuit mittere Spiritum; loquitur etiam more humano : si abiero, mittam eum ad vos (cf. *Mald.*).

Iam declaratur illud *expedit vobis;* ostenditur enim utilitas quam

Spiritus adveniens afferet et ponitur triplex utilitas, una ex parte mundi (8-11), altera ex parte discipulorum (v. 11-13), tertia ex parte Christi (v. 14; *Thom.*), quae tamen triplex utilitas, quia cum munere apostolico intime conserta est, omnino redundat in commodum et solatium apostolorum; v. 8 *et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio,* ἐλέγχειν convincere, coarguere, redarguere; hac notione consueta vox est retinenda, quae significatio est ut consueta, ita etiam hoc loco gravior magisque ad rem quam altera *demonstrare* (*Mald.*) ad quam quandoque recurrunt. Priorem notionem quae in sacris litteris unice reperitur (*Schz.*) merito retinent plerique (*Cai. Tol. Ians. Bar. Corl. Schz. Kep.*). Mundum non esse de solis Iudaeis intelligendum, sed de Iudaeis et gentibus recte plerique statuunt (cf. *Cyr. Rup. Salm. Tol. Mald.* etc.). Triplex haec Spiritus redargutio habet, ut *Ians.* notat, ordinem convenientissimum et omnia summatim continet, quae evangelica comprehendit praedicatio. Primum enim horum trium de quibus mundus arguetur convenit hominibus, secundum Christo, tertium diabolo. Et peccato quidem coniungitur iustitia tamquam contrarium, per quod alterum contrarium erat manifestandum. Ubi enim est alicuius peccatum, ibi alterius sit oportet iustitia, per quam illius peccatum redarguatur et convincatur. Iustitiae autem coniungitur iudicium tamquam quod illi est connexum iustitiamque declarat.

Iam singula exponuntur v. 9 *de peccato quidem* arguet mundum, *quia non crediderunt* (*credunt,* codd pler vulg.; πιστεύουσιν) *in me;* quale sit peccatum, quaeritur, sitne peccatum infidelitatis, an peccatum generatim. Dispiciendum erit, quo sensu ὅτι sit accipiendum, utrum scil. notionem antecedentem solum declaret et explicet, an vero rationem causamque addat. Id ex subsequentibus clarum est; nam iustitia non in eo est quia ad Patrem vadit. Unde ὅτι etiam priore loco eadem notione accipi debet; tres enim hae sententiae tanta inter se concinnitate dicuntur, ut eadem concinnitate verba quoque explicare oporteat. Quare per sententiam ὅτι non describitur ipsum peccatum, sed ratio affertur cur mundus arguatur. Proin peccatum illud non est solum infidelitas, sed generatim peccatum; Spiritus convincet et arguet mundum esse in peccato, esse obstrictum peccatis et manere in peccato, *quia non credunt in me;* nam qui Christo credere recusant, manent in peccato, habent peccatum originale, committunt peccata actualia, et praedicationi evangelicae non credentes adiungunt peccatum infidelitatis. Non est autem aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri, nisi nomen Iesu (Act. 4,12). Qui vero non credit iam iudicatus est (3,18); eodemque modo apostolus quoque ostendit omnes

et Iudaeos et gentes esse sub peccato, unam salutem esse in fide Iesu Christi (Rom. 1-4). Spiritus sanctus igitur in apostolis loquens per praedicationem apostolicam signis admirandis comprobatam Iudaeos et gentes redarguet de peccatis; illis per apostolos peccata exprobrantur, eorum scelera manifestantur (cf. Act. 3,14; 4,10; 17,29. 1 Cor. 14,24. 2 Tim. 3,2. Tit. 1,10. 2 Petr. 2,10 etc.). Nam si non credideritis, moriemini in peccato vestro; peccatum vestrum manet (8,24; 9,41).

Spiritus secundo arguet mundum v. 10 *de iustitia vero, quia ad Patrem vado et iam non videbitis me;* iustitiam Christi intelligi, probatur ratione addita, et est sententia plerorumque (*Chr. Theoph. Euth. Alb. Thom. Bon. Salm. Ians. Mald. Lap. Calm. Nat. Corl. Schz. Kep. Fil. Weiss, Keil*). Christi enim iustitiae testimonium redditur eo quod ad Patrem vadit, resurrectione et ascensione in coelum, in quo manet in gloria Patris, quare addit: iam non videbitis me (*Chr.*). Christus glorificatur, prout argumentatur Petrus Act. 2,36; 3,15; ergo verum est quod de se testatus est; ergo *mundus,* Iudaei qui eum tamquam seductorem persequebantur et blasphemum, et omnes infideles qui de eo ut deceptore iudicant, convincuntur iniustitiae et iniquitatis. Spiritus sanctus convincit mundum de iustitia Christi; nam eo ipso quod evangelium propagatur, quod nomine Iesu signa fiunt, Ecclesia contra omnes persecutiones firma stat per saecula, manifestum est Christum regnare in coelo. Si autem iustitia Christi ita comprobatur et mundo manifestatur, eo ipso quoque tota eius doctrina totumque opus eius eodem testimonio commendatur. Unde facile consequitur, hac sua redargutione Spiritum sanctum pariter mundum convincere quod nemo iustus esse possit nisi qui fide in Christum veram iustitiam a Christo edoctam meritis et gratia Christi sibi acquisierit. Proin quod multi explicant de iustitia discipulorum Christi, de iustitia quam Christus morte sua nobis comparavit (cf. *Cyr. Aug. Bed. Rup. Bon. Cai. Tol. Bar. Schg.*), non quidem primo et per se verbis enuntiatur, at necessaria consequentia ex ipsa illa Christi iustitia consequitur, qua scil. is esse arguitur quem se professus est. Haec redargutio mundi fit quoque virtutibus et multiplici sanctitate eorum qui fidem Christi profitentur; fit per Spiritum sanctum quia eius gratia et donis eiusmodi fructus enascuntur quibus mundus plane caret.

Tertio arguet mundum v. 11 *de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est;* vide 12,31; quia diabolus, princeps huius mundi i. e. improborum et inimicorum Dei iam plane devictus et morte Christi deiectus est, ideo mundo i. e. subditis eius et asseclis nihil aliud relinquitur nisi ut cum suo principe eandem sortem damnationis participent. Dicitur *iam iudicatus est* (quod iudicium in cruce

morte Christi exercetur), quia Christus loquitur de suo ad Patrem reditu, proin cogitatione sistit in tempore post mortem; de iudicio illo vide Col. 2,14. 15 et Hebr. 2,14 : ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium i. e. diabolum. Principis autem condemnatio certum pignus est condemnationis subditorum eius (*Corl.*). Atque de hoc iudicio redarguet mundum Spiritus eo etiam quod omnes impetus et oppugnationes mundi contra regnum Dei vanas esse et irritas demonstrabit, « non praevalebunt adversus eam », ita ut singuli oppugnatores regni Christi fateri debeant se victos et virtute Ecclesiae iudicatos et deiectos. Iudicium vero tale exerceri debet quia iustitia Christi victoriam reportare debet; agitur enim causa diaboli et causa Dei. Utra autem superior esse debeat, quis poterit dubitare?

Praeclarum itaque munus Spiritus sancti Christus explicat, quo opus Christi perficitur et per saeculorum cursum mundo exhibetur. Summa evangelicae praedicationis haec est docere fide in Christum tolli peccata, atque ut id ostendatur, docere Christum esse iustitiam et diabolum per ipsum iam esse condemnatum i. e. suo in homines dominio privatum. Arguit autem mundum Spiritus de illis tribus, ut *Ians.* ait, partim per apostolorum aliorumque doctorum praedicationem, ad quam eos accendit potenti quadam energia auditorum mentes per eos perstringens, partim per suam in hominibus efficacem operationem. Per hoc enim quod Spiritus post Christi ascensionem fidelibus tam mirabiliter et efficaciter datus est, quodque per eum fideles tam mirabilia sunt operati, miracula patrantes, virtutes eximias mundoque eousque ignotas exercentes et tam multos ad Christi fidem trahentes, declaratum est mundo ipsa re et peccatum non credentium in Christum et iustitia Christi et iudicium condemnatioque diaboli. — Atque ita videtur explicandus hic de triplici redargutione mundi locus « quo vix alius apud ullum evangelistam est aut maiore impeditus difficultate aut maiore interpretum varietate perplexus » (*Mald.*).

Exposuit itaque Christus magnam utilitatem Spiritus in redargutione mundi. Iam alteram quoque declarat ad consolationem suorum (συμφέρει ὑμῖν, v. 7), completam et integram doctrinam (*Tol.*); nam v. 12 *adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo* i. e. non potestis ea nunc intelligere aut cum fructu audire (*Ians.*); ideo indicat doctrinam et institutionem quam illis tradidit nondum esse integram et completam, sed superesse multa quae illos scire oporteat, sed quae propter imbecillitatem animosque tristitia praeoccupatos nunc percipere non possint. Illa itaque eos edocuit quae pro eorum conditione et statu, uti tunc erat, necessaria et utilia erant (cf. 15, 15). Quaenam sint illa multa quae nondum capere possent et quae

Christus non dixerit inquirere, *Aug.* temerarium esse dicit. At merito notat *Tol.* distinguenda esse tempora; si enim de tempore quando haec protulit Dominus loquamur, sane temerarium fuisset ea velle explicare quorum apostoli capaces tunc non erant et quae Christus non censuit enarranda; at si de tempore post adventum Spiritus sancti sermo fiat, quando illa quae dicenda erant apostolis et Ecclesiae iam sint manifesta facta, non esse temerarium putat *Tol.* aliqua exprimere, quae Dominus tunc habuerit dicenda; inter ea scil. referri a Gregorio naz. revelationem claram ac distinctam mysterii Trinitatis, referri ab aliis cognitionem de regno messiano spirituali ac coelesti, cognitionem legis veteris ut typi novae; posse assignari multa quae ad regimen Ecclesiae eiusque statum pertineant. In scriptis apostolicis inveniuntur varia, quae in evangeliis non deprehendimus (cf. Act. 10. 15. 1 Cor. 7,12; 15,23. Rom. 11,25. 1 Thess. 4,14; 2 Thess. 2,3. 2 Petr. 3,7 seq. Apoc.); de iis apostolos a Spiritu esse edoctos verisimile est. Sed nemo potest contendere apostolos cuncta quae didicerunt litteris mandasse. Nam plerique nihil scripti reliquerunt; immo aliqua quae scripta erant deperdita sunt (cf. 1 Cor. 5,9. Col. 4,16); ergo traditione orali alia esse servata et propagata evidens est et ita quidem, ut in ipsis sacris litteris ad traditionem oralem amandemur (1 Cor. 11,34. 2 Thess. 2,14). Quare interpretes acatholici traditionem *in thesi* non posse repudiari affirmant; addunt quidem eam *in hypothesi* i. e. pro certis rebus nunquam posse probari (cf. *Weiss*); verum si adest *in thesi*, debet etiam cognosci posse; alias verba Christi de munere Spiritus essent vana, vacua, inania.

Sed quae nunc capere non possunt, suo tempore discent doctore Spiritu v. 13 *cum autem venerit ille Spiritus veritatis*, vide 14,17, *docebit vos omnem veritatem* ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν, dux vobis erit, vos deducet in omnem veritatem, in illa scil. quae habeo vobis dicenda, sed quae non potestis modo ferre (*Patr.*). Declaratur fore, ut illis adsistat doctor Spiritus, qui quotiescumque dubia exsurgant iis suggerat quae vera et recta sunt; ipsum ὁδηγεῖν innuit veritatem in dies magis explicandam et pro rerum necessitate applicandam et evolvendam et pro errorum varietate et diversitate clarius et distinctius proponendam et declarandam. Spiritum autem ea docturum esse quae Christus habeat dicere (v. 12), indicatur : *non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur;* ita Christus discipulis more humano loquens significat Spiritum non alia et aliena prolaturum esse, sed ea quae ipse Christus cum iis communicare vult et quae idcirco Spiritum a se audire dicit. Sed simul hoc loquendi modo rationem indicat quae inter divinas personas intercedit. Sicut enim

Filius non dicitur facere aliud nisi quod facere Patrem videt, et sicut Filius id loqui dicitur quod audivit a Patre (5,19; 8,26. 40; 15,15) quia a Patre habet naturam et simul cum eo operatur, ita Spiritus quoque audire dicitur quae loquitur et non a se ipso loqui, quia naturam, adeoque scientiam habet a Patre et Filio et una cum ipsis est et loquitur (cf. *Tol.*). Ab eo enim audit, a quo procedit (*Aug.*). Proxime autem hoc loco significari : *a me* audiet, assumendum erit; nam Spiritus exhibetur ut *missus* a Filio; proin loquetur quae audivit a mittente ad similitudinem legati qui non loquitur a semetipso, sed quae audivit a mittente (*Cai.*); et Spiritus promittitur, ut ea doceat et suppleat quae Christus nondum discipulis tradere potest et quae tamen iis pro ratione muneris necessaria sunt. Ita profecto nexus est inter v. 12 et 13; proin « quae ego dixi, haec ille loquetur » (*Chr.*); idem quoque in v. 15 exprimitur : de meo accipiet i. e. a me audiet. Utique *re* idem est : a Patre audiet (*Chr. Theoph. Euth. Schz. Kep.*) et : a Patre et Filio audiet (*Alb. Bar. Patr.*); sed distinguere oportet, quid primo et per se (formaliter) significetur, et quid necessaria inclusione (materialiter) dicatur.

Ex *omni* veritate ad eorum munus rite exercendum necessaria et utili adhuc unum speciali modo effert quod aptum est ad animos erigendos et consolandos : *et quae ventura sunt annuntiabit vobis;* « illorum animos erigit; nullius enim tam cupidum est genus humanum quam futura discendi » (*Chr.*). Utili hac cognitione futurorum fiet, ut nihil temere nec praecipitanter agant; ad prudentiam enim et actionum humanarum directionem nosse futura maxime conducit (*Tol.*). Habebunt itaque spiritum prophetiae (cf. Apoc. 2 Petr. 2,1. Iud. 17. 18. 2 Tim. 3,2) et donum prophetiae multis esse datum constat; cf. Act. 11,28; 21,11; 27,22. 1 Cor. 14,24. Eph. 4,11. Christus promittit Spiritum sanctum apostolis, ut iis sit dux et doctor ratione muneris eorum. Quod munus praedicandi propagandique evangelii, cum minime cessaverit cum morte apostolorum, perseverare voluit Christus in Ecclesia; quare Ecclesiae usque in finem saeculorum duraturae eadem promissio Spiritus sancti data est; Christus ad apostolos loquens simul ad eos omnes loquitur qui in munus eorum succedent. Proin Spiritus semper erit dux et doctor veritatis in Ecclesia; omni tempore pro rerum necessitate et errorum varietate exsurgente Ecclesiam deducet in omnem veritatem, ut pro temporum ratione maior atque amplior evadat doctrinae explicatio et applicatio. Hac Spiritus manuductione et institutione (ὁδηγήσει) id efficitur, ut crescat et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum et saeculorum gra-

dibus, intelligentia, scientia, sapientia (cf. Concilium vatic. cap. 4).

Alia assignatur utilitas quam affert Spiritus sanctus v. 14 *ille me clarificabit,* omnia quae Spiritus agit spectant ad opus Christi propagandum et perficiendum; proin ad gloriam Christi manifestandam, ad efficiendum, ut Christus colatur, honoretur, Deus ac Redemptor agnoscatur. Hoc quoque ad consolationem apostolorum pertinet et expedit ipsis; « tanto enim vos illustriores et gloriosiores efficiemini, quandoquidem gloria magistri est gloria discipulorum, gloria Domini, gloria servorum » (*Tol.*). Cuncta autem praeclara opera, quae Spiritus edet et efficiet in Christi cedent gloriam, Christum clarificabunt, *quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* ἐκ τοῦ ἐμοῦ i. e. ἐξ ὧν ἐγὼ οἶδα, ἐκ τῆς ἐμῆς γνώσεως (*Chr.;* una quippe est mea et Spiritus scientia). Loquitur, ut in v. 13, more humano, sed tamen ea indicat quae sunt divinitatis. « Nemo turbetur, cum hic audiat verbum *accipiendi;* sed illud in animum inducat nostro more enuntiari res divinas, non sic tamen intelligi, sed modo nostrum captum excedente, atque ita nos dicere Spiritum a Patre et Filio accipere quae eorum sunt, non quod cognitionem et virtutem eorum aliquando non haberet; sapiens enim semper est et potens, imo ipsa sapientia et potentia » (*Cyr.*). A quo accipit Spiritus accipit totam substantiam. Dicitur autem *de meo* et *accipiet,* quia ex iis quae accipit aliqua cum hominibus communicabit, aliqua scil. ex infinita scientia divina, et communicatio in tempore futuro spectatur. Notat *Thom. :* « hic ponitur ratio clarificationis, quae est quia Filius est principium Spiritus sancti. Omne enim quod est ab alio manifestat id a quo est; Filius enim manifestat Patrem quia est ab ipso. Quia ergo Spiritus sanctus est a Filio, proprium est ut clarificet eum », et potest addi quia Spiritus procedit a Patre et Filio, clarificando Filium pariter Patrem glorificat (cf. 11,4); nam opus Filii totum est ad gloriam Patris (cf. 17,1. 4. 6).

Supra dixit Christus Spiritum procedere a Patre (15,26) i. e. accipere naturam divinam a Patre; modo autem affirmat *de meo accipiet;* quomodo haec inter se concordent declarat v. 15 *omnia quaecumque habet Pater mea sunt; propterea dixi : quia de meo accipiet et annuntiabit vobis;* « ex necessitate enim oportet quod si omnia quae habet Pater sint Filii et Filius sit consubstantialis Patri, quod Spiritus sanctus procedat a Filio sicut procedit a Patre, ut Hilarius et Didymus arguunt » (*Thom.*); λαμβάνει (hic pler testes) id indicat quod semper est et manet, uti a Patre *procedit* (15,26). Habere in divinis est esse, unde Filium esse Patri consubstantialem asseritur. Annuntiabit igitur Spiritus, inquit, de meo accipiens, hoc est, nihil aliud quam quod mihi visum erit loquetur, et cum sit meus Spiritus, eadem omnino mecum

loquetur et quae meae voluntatis sunt annuntiabit (*Cyr.*). Nota quam distincte et accurate in isto sermone mysterium Trinitatis enuntietur : tres scil. personae inter se distinctae : Pater, Filius qui mittit Spiritum et proin a Spiritu distinguitur ut mittens a misso (cf. 14,16. 26; 16,14), una natura divina tribus personis communis (16,15) quae a Patre communicatur Filio, a Patre et Filio communicatur Spiritui sancto (15,26; 16,7. 15). Hoc loco cum dicatur : omnia quae Patris sunt *mea sunt; propterea* etc. etiam apparet quam absonum sit quod graeci schismatici tentant ad evertendum argumentum, scil. explicare ἐκ τοῦ ἐμοῦ i. e. ex Patre meo (cf. *Corl.*). Christus est ἡ ἀλήθεια (14,6), ex hac veritate Spiritus annuntiabit; proin hoc quoque sensu recte dicitur *de meo*.

i) Discipulos iterum visuros esse Iesum 16,16-33.

16, 16. Modicum et iam non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me; et quia vado ad Patrem? 18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit : Modicum? nescimus quid loquitur. 19. Cognovit autem Iesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quaeritis inter vos, quia dixi : Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier quum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; quum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis; si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

16,16. Μικρὸν καὶ οὐκέτι θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με, (ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα). 17. Εἶπαν οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς ἀλλήλους, Τί ἐστιν τοῦτο ὃ λέγει ἡμῖν, Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με; καὶ, Ὅτι ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα; 18. ἔλεγον οὖν, τί ἐστιν τοῦτο ὃ λέγει, τὸ μικρόν; οὐκ οἴδαμεν (τί λαλεῖ). 19. ἔγνω Ἰησοῦς ὅτι ἤθελον αὐτὸν ἐρωτᾷν, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Περὶ τούτου ζητεῖτε μετ' ἀλλήλων, ὅτι εἶπον, Μικρὸν καὶ οὐ θεωρεῖτέ με, καὶ πάλιν μικρὸν καὶ ὄψεσθέ με; 20. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι κλαύσετε καὶ θρηνήσετε ὑμεῖς, ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται· ὑμεῖς λυπηθήσεσθε, ἀλλ' ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται. 21. ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει, ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς· ὅταν δὲ γεννήσῃ τὸ παιδίον, οὐκέτι μνημονεύει τῆς θλίψεως, διὰ τὴν χαράν, ὅτι ἐγεννήθη ἄνθρωπος εἰς τὸν κόσμον. 22. καὶ ὑμεῖς οὖν νῦν μὲν λύπην ἔχετε· πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς ἀρεῖ ἀφ' ὑμῶν· 23. καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἄν τι αἰτήσητε τὸν πατέρα, δώσει ὑμῖν ἐν τῷ ὀνόματί μου. 24. ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου· αἰτεῖτε, καὶ λήμψεσθε, ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη.

25. ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν.

25. Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora quum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis; et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis. 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli eius : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quia a Deo existi. 31. Respondit eis Iesus : Modo creditis? 32. Ecce venit hora, et iam venit ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis; et non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.

ἔρχεται ὥρα ὅτε οὐκέτι ἐν παροιμίαις λαλήσω ὑμῖν, ἀλλὰ παρρησίᾳ περὶ τοῦ πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν. 26. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε· καὶ οὐ λέγω ὑμῖν ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα περὶ ὑμῶν· 27. αὐτὸς γὰρ ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε, καὶ πεπιστεύκατε ὅτι ἐγὼ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐξῆλθον. 28. ἐξῆλθον ἐκ τοῦ πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· πάλιν ἀφίημι τὸν κόσμον, καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα.

29. Λέγουσιν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Ἴδε, νῦν ἐν παρρησίᾳ λαλεῖς, καὶ παροιμίαν οὐδεμίαν λέγεις. 30. νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, καὶ οὐ χρείαν ἔχεις ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ. ἐν τούτῳ πιστεύομεν ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες. 31. ἀπεκρίθη αὐτοῖς Ἰησοῦς, Ἄρτι πιστεύετε; 32. ἰδοὺ, ἔρχεται ὥρα καὶ ἐλήλυθεν, ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος εἰς τὰ ἴδια, κἀμὲ μόνον ἀφῆτε· καὶ οὐκ εἰμὶ μόνος, ὅτι ὁ πατὴρ μετ' ἐμοῦ ἐστίν. 33. ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε. ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἔχετε· ἀλλὰ θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον.

Habet sin v. 18 ita : quid est illud modicum quod dicit? B om τι λαλει; pariter aeth. In v. 20 sin quod vos plorabitis et lamentabimini et gemetis; v. 21 quia venit dies partus eius. In v. 22 plor αιρει; B D* Γ αρει. In v. 23 e in illa die nihil metuebitis; δωσει εν τω ον. ℵ B C* L X Δ Or Cyr (Nonn confirmat eo loco poni verba); alii ponunt εν τω ον. post πατερα. In v. 25 sin venit hora ut aperte doceam vos de patre. In v. 27 παρα του πατρος B C* D L X cop syr (sch) Cyr; al παρα του θεου; v. 28 ita sin : veni in mundum et iterum vado ad Patrem; pariter D b om εξηλθον εκ τ. π.; v. 30 sin quod a Deo missus es; a f tol venisti, aliq minusc εληλυθας. In v. 32 unusquisque c r in suam regionem, a b in sua regione. In v. 33 pressuram habetis ben eg.

Solatur eos eo quod affirmat post modicum discessum se reversurum, ut corda eorum gaudio repleat (v. 16-24). Ex verbis Christi fides discipulorum confirmatur; eos tamen monet de periculo instante; at confidant; Christus vicit mundum (v. 25-33).

Consolatus est suos de suo discessu describens munus et operationem Paracliti. Huic consolationi quoad tempus remotiori alteram adiungit, quae ad moerorem de eius discessu mitigandum quam maxime apta est, scil. fore ut post breve tempus ipsum iterum videant v. 16 *modicum et iam non videbitis me et iterum modicum et videbitis me;* redit Christus ad solatium illud quod iam 14,18-20 iis dederat; modicum tempus est post quod non videbitis me et iterum modicum tempus post quod videbitis me; post breve tempus enim passus est

et non viderunt eum; rursus post modicum tempus resurrexit et viderunt eum. Christum hic loqui de morte et resurrectione, uti 14,18-20, ex ipsis verbis satis obvium est; nam *modicum* et *iterum modicum* sane debet in utroque loco breve tempus vere designare; oppositio *non videbitis* et *videbitis* clare enuntiat eundem qui abiturus est esse rediturum ut eum videant. Ceterum bene notat *Aug.*, quod tunc cum Iesus loqueretur discipulis obscurum erat, mox ipsa re et impletione manifestatum est, ideoque nobis iam manifestum est; unde plerique etiam explicant verba de morte et de visione post resurrectionem (cf. *Chr. Euth. Cyr. Ammon. Aug. Bed. Rup. Alb. Thom. Bon. Cai. Ians. Tol. Lap. Corl. Schz.*). Quod additur *vado ad Patrem,* in codicibus melioribus (א B D L) et editionibus criticis non habetur, et haud facile explicatur hoc loco. Volunt quidem ire ad Patrem includere mortem et resurrectionem adeoque rationem reddi utriusque intervalli, interruptae et redditae visionis (*Cai. Ians. Tol. Corl.*), quae tamen ratio non est perspicua. Aliter *Patr.*: et iterum modicum et videbitis me ire ad Patrem (similiter iam inter alia *Salm.*); intelligit scil. alterum modicum de tempore inter resurrectionem et ascensionem. Sed tum valde inconcinne diceretur *iterum modicum,* quia discrimen inter utrumque modicum nimis magnum est; insuper *quia vado ad Patrem* alias semper proponitur ratio sententiae praecedentis (14,28; 16,10), nunquam autem tamquam res quae videatur.

Aliae quoque explicationes tentatae sunt. Modicum est tempus quo non videbitis me, scil. triduum quo iacebo in sepulcro, et iterum modicum quo videbitis me, scil. quadraginta dies qui erunt inter resurrectionem et ascensionem; ita si explicaveris, utique facile adiungitur : quia vado ad Patrem; ideo enim modico tempore post resurrectionem eum viderunt, quia iturus erat ad Patrem. Sed ei explicationi obstant duo. Prius est quod *modicum et non videbitis me* accipiendum est, uti 14,19 et cf. 7,33; alterum est quod discrimen inter dies tres et quadraginta maius est quam ut *iterum modicum* alterum hoc temporis spatium vocari possit. Primo quidem *Aug.* exposuit, ut supra relatum est; at mox aliud ei magis placuit; explicat : modicum et iam non videbititis me, quia vado ad Patrem i. e. eundo ad Patrem, ascendendo in coelum facturus erat ut eum iam non viderent; iterum modicum : modicum est totum spatium quo praesens pervolat saeculum, et ita loquitur, ut visionem in aeternitate vel in altero Christi adventu intelligat; similiter, uti solet *Beda;* quae explicatio, scil. non multum restare ab ascensione usque ad secundum in iudicium adventum post quod illum perpetuo visuri erant, etiam placuit *Mald. Schg.* — Aliter alii, prius *modicum* significare brevi ascensurum Christum in coelum, et deinde mox ipsum conspectum iri in Paraclito (*Fil.*). Quae acceptio plane improbabilis est; nam *videbitis me* in oppositione ad *non videbitis me* debet in

utroque membro aequaliter intelligi de vera in se visione; neque discrimen constituitur vocibus θεωρεῖτε et ὄψεσθε tale, ut alterum hoc ad meram visionem spiritualem possit referri.

Sermo iste aenigmaticus discipulis videbatur v. 17 *dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem : quid est hoc quod dicit nobis : modicum et non videbitis me; et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem?* cum hic dicatur *et* quia vado ad Patrem, discipuli duo effata Domini recitant quae quomodo inter se conveniant minime perspiciunt. Unde patet illud *quia vado* non ad v. 16 spectare (ubi omittendum est, utpote per errorem ex v. 17 assumptum) sed referri ad v. 10. Non intellexerunt verba Domini « aut propter tristitiam, ut arbitror; ipsa enim dictorum omnium memoriam eliminabat, vel ob dictorum obscuritatem, ut contraria protulisse videretur, quae vere contraria non erant; si te videbimus, aiunt, quo vadis? si vadis, quomodo te videbimus; noverant eum abiturum; ignorabant paulo post rediturum » (*Chr*); neque enim quod de resurrectione dixerat intellexerant (cf. Marc. 9,31. Luc. 9,45. Ioan. 20,9). Iesus autem ita locutus est, ut iis occasionem praeberet de sensu verborum inquirendi, quo magis eorum attentio erigeretur ad explicationem quam daturus erat (*Corl.*), qua re simul a moestitia avocati ad aliam considerationem provocarentur; v. 18 *dicebant ergo : quid est hoc quod dicit modicum? nescimus quid loquitur;* « et vero quid mirum discipulos adhuc rudes eventu nondum rem explicante, Christo nondum quid vellet dicere interpretato non intellexisse, cum ne nos quidem nunc homines, ut nobis videmur acuti, post Christi expositionem, post eventum rei, post tot scriptos commentarios satis intelligamus », haud ineleganter adnotat *Mald.*; et quam verum id sit elucet ex varia verborum acceptione, quae hodiedum fertur. Nihilominus certum est Christum de morte et resurrectione loqui, quamvis in subsequentibus pro more suo magis ad generalem quandam rerum considerationem diversamque suorum mundique conditionem verba deflectat. Vult enim ut in vicissitudine ea brevi futura quandam totius vitae delineationem deprehendant.

Quod illi inter se agitabant, non latuit Christum v. 19 *cognovit autem Iesus quia volebant eum interrogare* (cf. Marc. 9,32; et supra 2,25; 6,62) *et dixit eis : de hoc quaeritis inter vos quia dixi : modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me?* iterum ostendit discipulis se scire quid clam inter se disceptaverint. Videntur non ausi esse interrogare, fortasse quia eadem vespera Thomas et Philippus positis quaestionibus aliquatenus a Domino reprehensi poterant videri (14,5. 9. 23). Iesus praevenit v. 20 *amen, amen dico vobis, quia plo-*

rabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium; ita sententiam suam explicat, ut dicat illis imminere maximum quendam luctum, dum impii sint laetabundi; at moestitiam illorum in laetitiam esse vertendam. Iam antea iis dixerat venturos dies luctus, cum ablatus fuerit sponsus (Matth. 9,15). Tristati sunt apostoli de morte Christi, gavisi sunt eum videntes post resurrectionem; improbi inimici Christi in eius passione et morte utique brevem agere triumphum visi sunt (*Chr. Euth. Cyr. Aug. Corl. Schz.*). Resurrectione causa tristitiae ablata est ab apostolis et tanta animorum laetitia affecti sunt, ut flagellatione puniti tamen gaudentes a conspectu concilii abierint quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati (Act. 5,41). Annuntiat igitur illis Christus pro explicatione moestitiam quam mox experturi sunt, dum inimici tripudient; at simul eos consolatur ostendens moerorem in gaudium versum iri.

Idque exemplo in sacris litteris familiari declarat v. **21** *mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius;* dolores parturientis acutissimi sunt; cf. Is. 13,8; 21,3; 26,17; Ier. 4,31; 13,21; 22,23; 30,6; Os. 13,13; Mich. 4,9; quare acerbam tristitiam iis fore clare indicat; at subito ac celeriter quoque fore transitum ad laetitiam pariter innuit; *cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum;* magnitudine gaudii omnis quasi memoria et recordatio doloris deletur et obruitur; tantus exoritur amor maternus, ut dolorum iam non memor sit; tanta laetitia, quae eo maior erat apud Israelitas, quo magis fecunditas censebatur singularis Dei benedictio (Deut. 7,14. 1 Reg. 2,5). Ipsum hoc exemplum ostendit transitum istum certo quodam temporis momento fieri, ita ut dolor summus subito vertatur in gaudium maximum. Id autem bene congruit illi tempori quo resurrectio innotuit et quo Dominum sibi apparentem conspexerunt; non autem convenit adventui Spiritus; tum enim iam non erant in moerore et tristitia (cf. Act. 1,14). Comparationem prosequitur Christus v. **22** *et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis;* impletionem legimus 20,20: gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dicit hic *videbo vos*, ut a sui ipsius exhibitione et manifestatione et dilectione intelligerent pendere quod eum sint visuri (*Thom. Ians.*) et gaudium eorum inde dimanare. Brevis tristitia, gaudium perpetuum; nam gaudium de Christi resurrectione, vita gloriosa, perpetuo in animis eorum vivebat; hoc gaudio omnes afflictiones putabant leves scientes quoniam qui suscitavit Iesum et nos cum Iesu suscitabit (2 Cor. 4,14).

Exemplum de partu vario modo applicatur. Mors Christi causa fuit resurrectionis, sicut partus causa est eius qui in lucem editur. Christus per mortem quasi per quendam uterum genitus et solutis doloribus mortis natus est novus homo in mundum (*Chr. Theoph. Euth. Ians. Lap.*). Tristitiam et dolorem discipulorum recte assimilari dicunt dolori partus, nam uterque dolor est vehementissimus, brevis; per dolorem pervenitur ad gaudium; adest in utroque periculum; eadem est causa doloris et gaudii; scil. puer causa est doloris et gaudii, ita Christus quoque; gaudium subsequens est eximium, perdurans (cf. *Tol.*). Demum applicant exemplum hoc et toti Ecclesiae et singulis fidelibus. Oportet enim per multas tribulationes intrare in regnum coelorum. Atque in praesenti saeculo tempus est partus bonorum operum, tempus est ut Ecclesia multos Deo filios progignat. Cui partui dum insistunt iusti, graves patiuntur a carne et mundo dolores et afflictiones; verum non solum post dolores, sed etiam per illos succedet in vita aeterna gaudium et maximum et sempiternum (*Ians.*). Per dolores nasci oportet vitae aeternae; per dolores poenitentiae nascitur homo novus. Sancti iam non memores sunt pressurae quam habebant in mundo.

Eo autem exemplo Christum generali quodam modo delineare voluisse vitam temporalem suorum, manifestum fit v. 33 in mundo pressuram habebitis.

Quando iterum discipulos Christus visurus est, multa quae nunc obscura iis sunt et de quibus interrogare illis in animo est, erunt clara; est alia ratio consolationis, quam illis affert, ut omnem sollicitudinem et anxietatem quam parere solet dubitatio ex illorum animis eximat v. 23 *et in illo die me non rogabitis quidquam;* dies est ille, de quo v. 16. 22, dies quo iterum videbunt Dominum, tempus post resurrectionem; ἐρωτᾶν, uti *Aug.* iam notat, adhibetur notione interrogandi et precandi. Utra hoc loco erit seligenda? utramque ex explicatione data videntur amplecti *Chr. Theoph. Euth. Bon. Thom.;* priorem statuunt multi (*Cyr. Rup. Cai. Salm. Ians. Tol. Mald. Bar. Patr. Corl. Schg. Fil.*), alteram *Schz. Weiss.* Equidem priorem praeferendam censeo; nam ea notione modo lectum est ἐρωτᾶν in v. 19 et mox occurret v. 30 et pro notione precandi in hoc versu 23 statim legitur αἰτεῖν. Si dicitur discipulos non interrogaturos esse quidquam (οὐδέν), haec sententia generalis restringenda est ad ea, de quibus sermo praesens est; nam eiusmodi sententiae semper intelligendae sunt iuxta materiam de qua agitur; in hoc autem contextu de discessu suo loquitur et de interrogationibus ad eum pertinentibus, quarum interrogationum non amplius ulla similis facta est (*Tol.*): non interrogabunt quidquam horum, quae nunc quaerere volebant audientes *modicum* etc. (*Rup. Calm.*); nam ipsa rerum evidentia edocti sunt. Facile omnem difficultatem, quae in sententia generali latere aliquibus vi-

detur, solvunt *Aug. Mald.* explicantes dedie aeternitatis; sed quo modo ad beatam aeternitatem vel alterum Christi adventum congruit quod immediate additur, ut scil. in illo die petant?

Alia consolationis ratio est « promissio accessus eorum ad Patrem » (*Thom.*); accedit ad gaudium quo tunc fruentur certitudo omnia obtinendi quae a Patre petierint; *amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis; in nomine meo* videtur propter v. 24 referendum esse ad petieritis, uti latini interpretes referunt; multi codices graeci habent : dabit vobis in nomine meo; quod si praetuleris, explicabis uti 14,26 : Pater in intima cum Filio unione dabit vobis ad opus Filii perficiendum. Sed prior coniunctio suadetur, quia Christus statim addit v. 24 *usque modo non petistis quidquam in nomine meo;* cf. 14,13 quid sit petere in nomine Iesu, *petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum;* docet eos nomine suo postulare a Patre; eiecerant quidem daemones in nomine Iesu, at non oraverunt Patrem in nomine eius (*Euth. Ians. Mald.*), quem orandi modum Christus videtur praesentiae suae opponere; « non enim solemus quidquam aut petere aut agere nomine praesentis, sed absentis; legatus nomine principis a quo missus est » (*Mald.*). Christum porro tamquam redemptorem et mediatorem eousque nondum ita cognoverunt, ut per eius merita peterent beneficia a Deo. Quare quod Christus eis dicit, non est reprehensio, quia eousque talem orationis formam omisissent, sed est institutio et adhortatio. Sic igitur petentes in intima cum Iesu unione et ex eius mente et intentione ad opus salutis promovendum impetrabunt et impetrantes laetabuntur; proinde si volunt perfectum habere gaudium, petant in nomine Iesu. — Cum Christus dicat *dabit vobis*, vult *Aug.* ea beneficia significari quae ad eos qui petunt proprie pertineant; « exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum est *dabit,* sed *dabit vobis* ». At iubemur in sacris litteris etiam pro aliis orare; ergo etiam huic orationi debet exauditio promitti certis conditionibus, et ceteroquin promissio fit prorsus generalis, uti ipse Ioannes explicat in epistola prima 5,14. 15 : haec est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos, et scimus quia audit nos quidquid petierimus. Porro nonne vero quodam sensu etiam mihi datur, si Deus meas pro alio preces exaudit? datur mihi scil. quod postulo, exaudior.

Uti supra 14,26 consolatus est apostolos promissione Spiritus, qui eos cuncta esset docturus, quare minime opus esse ut solliciti essent, quod non omnia intelligerent, ita nunc quoque properans ad finem

sermonis tollit ab eis occasionem tristitiae quam ex sermonis obscuritate percipere poterant, declarans instare tempus quo clarius eos sit edocturus (cf. *Ians.*) v. 25 *haec in proverbiis locutus sum vobis* i. e. obscure, tecte, quasi modo obvelato et per similitudinem; referunt *haec* aliqui ad totum sermonem post coenam habitum (*Bar.*), alii ad 15,1 seq. (*Cai.*), sed alii solum ad v. 16 seq. (*Corl. Schz.*), dum *Schg.* vult totam docendi rationem Christi in vita publica ita designari. At de tali extensione non potest cogitari. Omnino sufficit haec referre ad v. 16 seq.; id quod etiam verbis subiunctis indicatur: *venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis;* nam illud *ad Patrem vado*, et illud *modicum* non intellexerant; unde apte Christus eis promittit fore, ut iam non obscure, sed παρρησίᾳ clare et aperte de Patre iis annuntiet. Quando erit hoc? ad adventum Christi alterum (*Schg.*) vel ad patriam coelestem (*Cyr.*) hoc nequit pertinere, iam propter v. 26, in quo iterum de petitione *in illo die* mentio fit; verba *loquar, annuntiabo* ad ipsam Christi oralem institutionem aptissime referuntur; ergo cogitandum erit de tempore post resurrectionem, quo per dies quadraginta iis apparuit loquens de regno Dei (Act. 1,3; *Chr. Theoph. Euth. Cai. Bar.*); alii una cum hoc tempore etiam adventum et institutionem Spiritus intelligunt, per quem Christus etiam loquatur apostolis (*Ians. Tol. Corl. Fil.*), vel, ut aliis placet, per quem solum Christus clare annuntiaturus sit (*Bon. Mald.*).

Atque praeter clariorem cognitionem illis aliud continget beneficium maximi aestimandum: Dei in eos dilectio, fons bonorum omnium, quam dilectionem Patris inde iis demonstrat Christus, quia Pater petitiones eorum exaudiet, ita ut iam non opus sit Christum pro ipsis rogare v. 26 *in illo die*, qui in v. 25 indicatur, *in nomine meo petetis et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis,* i. e. non indigetis, ut ego pro vobis rogem (*Tol.*); sufficit vestra in me dilectio ad patrocinium (*Chr.*). Erat sane magna consolatio, quod audiebant se adeo gratos et acceptos fore Patri, ut quasi intercessore opus apud illum non haberent et ille ultro sponte omnia petentibus praebiturus esset (*Ians.*). Merita Christi utique ex decreto divino necessaria erant, sine quibus nemo a Patre exauditus, nemo ab eo dilectus esset, et hisce meritis Christus est semper intercessor et mediator; hisce semper vivit ad interpellandum pro nobis (cf. Hebr. 7,25. 1 Ioan. 2,2. 3). Christum in coelis etiam orare Patrem pro nobis, ut homo est, generatim docent; neque id hoc loco excluditur, cum Christus solum significet sua *oratione* non opus esse; opus esse tamen ut in suo nomine petant. Et cur Christi oratio non sit necessaria, ratio est v. 27 *ipse enim Pater*

amat vos, quia vos me amastis et credidistis quia ego a Deo παρὰ τοῦ Πατρὸς *exivi;* Pater iam amore in vos affectus est; unde dilectis concedet quod petunt Pater amantissimus sine ulteriore intercessione. Sermo est de amore gratiae subsequentis, qui correspondet merito quo amaverunt Iesum. Amat scil. Deus in eis quod ipse in eis effecit; ipse eos ad Filium suum traxit, ipse pium amorem fovit, ipse huic amori praemium largitur. Amat Deus benefaciendo et in bono facto et collato complacendo; ipse dat bonum in quo complacet sibi et hoc ei gratum est. Unde patet priorem Deum diligere benefaciendo et donando, ut credamus nos et diligamus Christum; dein in eo quod dedit sibi complacet et propter ea quae diligens nobis contulit, amat nos nova alia nobis exhibendo (cf. *Tol.*). Magna simul praedicatur gloria Christi, quia Pater propter eorum in Christum fidem et amorem propensissimus est ad orationem exaudiendam. Nota φιλεῖν affectum dicere tenerum; eo affectu fertur Pater in eos qui Filium amant.

Sollemni modo Christus fidem discipulorum confirmat et simul argumentum enuntiat efficacissimum pro suo discessu (*Tol.*) proponens quasi quoddam totius vitae suae compendium v. 28 *exivi a Patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad Patrem;* prius quasi iter a Patris sinu in mundum; alterum (unde *iterum*) a mundo in gloriam apud Patrem instituitur; *exivi* vide 6,46; 7,29; 8,42 ego ex Deo processi et veni; 13,3. « Exiit a Patre, quia de Patre est; in mundum venit quia mundo suum corpus ostendit quod de Virgine assumpsit; reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione nec mundum deseruit praesentiae gubernatione » (*Aug.*). Explicant *exivi a Patre* i. e. ex substantia Patris de generatione aeterna *Cyr. Euth. Thom. Tol. Fil.;* et haec certe connotatur, etsi verba proxime ad exitum Filii temporalem ratione Incarnationis referantur. Nam in eo quod dicitur ipsum cum veniret assumpta humanitate in mundum, exiisse a Patre, includitur ipsum prius fuisse apud Patrem, apud quem quia semper manet (1,18; 3,13; 10,38; 14,10), neque eo est inferior (5,19 seq. 10,30; 12,45; 14,9), non potest ab eo intelligi temporaliter exiisse, nisi naturalem suam ab eo accepisset originem. Cur autem primo et explicite exitus ille temporalis hic indicetur, ita demonstrat *Ians.:* duplex hic indicatur iter, in quo ipsorum terminorum ordo est inversus: a Patre in mundum, a mundo ad Patrem; unde sicut illi *veni in mundum* respondet *relinquo mundum,* ita illi *exivi a Patre* respondet *vado ad Patrem;* proinde uti *vado* ita *exivi* de Christo incarnato usurpatur; similiter *Corl.:* exivi a Deo, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum (symb. Athan.).

Quae Christus de amore Patris et de exauditione precum et modo de se ipso dixerat, discipulis plana et aperta visa sunt. Unde laeti animis id testantur v. 29 *dicunt ei discipuli eius : ecce nunc palam loqueris* de tuo discessu : relinquo mundum, quod verbum utique magis planum est quam quod antea dixerat se abire, vadere ad Patrem; *et proverbium nullum dicis*, sententiam obscuram, uti illud *modicum*, et *iterum modicum;* v. 30 *nunc scimus, quia scis omnia et non opus est tibi ut quis te interroget,* Christus enim ad tacitam eorum interrogationem responderat v. 19; unde novo argumento didicerant etiam hominum arcana ei esse aperta; praevenit enim eos dicens : de hoc quaeritis inter vos (cf. *Cyr. Rup. Thom. Corl. Schz.*); dicunt *nunc* in oppositione ad v. 17. 18; *in hoc credimus quia a Deo existi,* ἐν τούτῳ propterea (cf. Act. 24,16), quia hominum arcana nosti, — mentis enim penetralia et cordis secreta perspecta habere solius Dei est (*Cyr.*) — credimus, non quod tum credere primum coepissent, sed quod novo argumento fides altiores in eis egerit radices (cf. *Cyr.*) vel hoc unum, te nosse arcana animorum, sufficeret ut crederemus te a Deo missum. Nam Dei solius est scire et revelare cordis secreta (cf. Ps. 7,10. Sap. 1,6. Ier. 17,9. 10). Profitentur eum a Deo exisse, verba Christi repetentes; sed merito notat *Mald.* : « quamquam non satis constat an eo usque tum eorum fides pervenisset, ut crederent illum naturalem Dei Filium verumque Deum esse; adhuc enim ex multis apparet rebus ante adventum Spiritus sancti, ut Chr. et Theoph. solent dicere, rudem et imperfectam eorum fuisse fidem, ut Christus ipse interprete Heracleota, Chr. et Cyr. videtur statim coarguere ». Immo *Aug.* censet apostolos putasse iam advenisse horam illam, de qua Christus locutus sit in v. 25 et eos usque adeo non intellexisse, ut ne intellexisse se quidem intelligerent. Quod tamen durius dici manifestum est. Nam ex verbis Christi veram aliquam cognitionem et consolationem perceperunt, uti laeto illo loquendi modo sine ullo dubio produnt v. 29. 30; neque putandum est Christum tot ac tanta ad eorum institutionem et consolationem dixisse ita, ut illi tamen nihil inde luminis et roboris haurirent. Non ita loquitur Christus; verba eius plane inutilia non sunt.

Fidem utique eorum nondum esse firmam, stabilem, perfectam, Christus significat v. 31 *respondit eis Iesus : modo creditis?* ἄρτι; *nunc*, hoc ipso tempore creditis? cum emphasi ponitur ἄρτι; quare sensus esse potest : nunc tandem creditis? vel etiam : nunc vos credere dicitis? at mox ostendetis fidem adhuc esse infirmam. Merito plerique legunt interrogative (cf. *Cai. Ians. Corl. Schg. Schz. Fil.*); affirmative praeferunt alii (*Mald. Tol.*) : creditis quidem, sed modo, cum in tuto

estis; at futurum est mox, ut in hac fide non sitis stabiles. Alii utroque modo explicant (*Thom.*). Fidem eorum praesentem Christus agnoscit; at periculum simul eis indicat v. 32 *ecce venit hora* ἔρχεται *et iam venit* καὶ ἐλήλυθεν, iam instat proxime, iam adest, *ut dispergamini unusquisque in propria*, ut suum quisque latibulum quaerat, ut inter vos separati alii in aliam fugiant partem; cum emphasi illud *ecce* opponitur illi *modo creditis;* ecce iam adest, ubi fidem esse debilem ostendetis; *et me solum relinquatis*, destitutum vestro consortio, vestra ope; verum ne videretur id dixisse quasi eorum ope et solatio indigeret, addit : *et non sum solus quia Pater mecum est,* uti etiam iam affirmarat 8,16. 29; Pater unus mihi pluris est quam omnium hominum societas, praesidium, solatium (*Ians.*); proin omnia evenient ex Patris voluntate, non ex humana mea infirmitate. « Simile quid respondit Petro : an putas quia non possum rogare Patrem et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? hoc totum Dominus dicebat, ut mortem hanc voluntariam et ex divino consilio in hominum salutem susceptam discipuli intelligerent » (*Tol.*). — De dispersione adducto vaticinio locutus est Christus cum exiret in monem olivarum (Matth. 26,30. Marc. 14,26). Inde aliqui concludunt haec verba in v. 32 esse eadem et ad idem colloquium referri et sermonem hunc inter eundum esse habitum. Quae tamen conclusio haud firma est. Modus loquendi atque nexus hic apud Ioannem plane peculiaris est, longe diversus ab eo qui apud synopticos cernitur. Neque afferri potest ratio solida, cur Iesus non potuerit dispersionem bis indicare, prius generatim et obscuriore modo, dein distincte. Nonne etiam saepius de sua passione locutus est? Nonne in hoc ipso sermone aliqua bis inculcavit (cf. 14,17. 26; 16,13 — 14,18; 16,16. 22 — 14, 13; 15,17; 16,24. 26).

Iam sermoni finem imponens, ad quid tota tendat oratio declarat et brevi compendio sortem eorum futuram delineat v. 33 *haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis;* omnia quae Christus longiore hoc sermone post coenam habito dixit, ad id unum convergunt ac collimant, ut discipuli in Christo, in intima cum eo unione per fidem et dilectionem manentes, habeant pacem, felicitatem, firmitatem, ut scil. in Christo radicati et firmati eum habeant et conservent animi statum quo etiam in maximis periculis nihil commoveantur, nihil perturbentur, sed tranquilli, compositi, pacati maneant (cf. *Mald.*). Haec est vis et efficacia huius sermonis, quam vim etsi non statim plene experti sunt, tamen postea in munere apostolico in se exprimebant (cf. 2 Cor. 1,3-7; 7,4 superabundo gaudio in omni tribulatione: 6,4-10 etc.). Ad quae autem *haec* protendantur, varie concipiunt.

Ad totum sermonem post cœnam referunt *Cyr. Aug.* (sermonem magnum prolixumque concludit) *Cai. Ians. Tol. Bar. Patr. Fil.* (13,31-16,32); ad sermonem 14,1 seq. *Corl.;* ad sermonem 15,1 seq. *Schz.;* ad solum v. 32 *Schg.;* ad ea quae Christus de se et de futura mundi in apostolos persecutione dixerat, potissimum refert *Mald.* Ad quem finem ea docuerit Christus utile est scire; nam ita indicat quis fructus revera in doctrina contineatur et quem a suis percipi velit. Verum est enim quod notat *Mald.* nos saepe ex Dei admonitionibus sive verbis sive rebus adhibitis minorem quam possemus deberemusque fructum percipere, quia ignoremus quem in finem adhibeantur.

Ex hisce omnibus hanc eis vitae tesseram commendat; *in mundo pressuram habebitis,* ἔχετε, *sed confidite, ego vici mundum;* θαρσεῖτε, forti, audaci, securo sitis animo; dicens : ego vici, duplici nomine eos confortat; nam bona spes est prostratum et devictum hostem denuo posse facile superari — parum vobis superest laboris : victum vincere, lapsum superare — Christus cum sit suorum caput suae victoriae exemplo suoque auxilio suos reddet confidentiores; « non enim vicisset ille mundum, si eius membra vinceret mundus » (*Aug.*). Vincit ipse mundum, dum principem mundi vincit (12,31; 14,30. Col. 2,15). Mundum appellat totum id quod Dei voluntati opponitur, quod hominem a Deo avertere tentat, sive tentationes et illecebrae voluptatum, superbia, insectationes hominum vel daemonum — qui in Christo per gratiam manet, his omnibus superior erit. Unde : Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum (1 Cor. 15,57) et vicistis eum (mundum), quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo (1 Ioan. 4,4), haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra (1 Ioan. 5,4) et ipsi vicerunt eum (diabolum) propter sanguinem Agni (Apoc. 12,11; *Mald.*). Omnibus infestationibus gratia Christi superatis socii eritis, uti victoriae, ita consortes regni, participes gloriae (*Rup.*). Quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo vivunt omnes isti victores, qui pressuram habebant in mundo, sed qui forti animo aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum (Hebr. 12,2) cum ipso victoriam reportarunt ea fide animati : ego vici mundum!

k) Christus pontifex orat pro suis 17,1-26.

17,1. Haec locutus est Iesus; et sublevatis oculis in coelum, dixit : Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius

17, 1. Ταῦτα ἐλάλησεν Ἰησοῦς. καὶ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν εἶπεν, Πάτερ, ἐλήλυθεν ἡ ὥρα· δόξασόν σου

tuus clarificet te; 2. Sicut dedisti ei po-
testatem omnis carnis, ut omne quod de-
disti ei, det eis vitam aeternam. 3. Haec
est autem vita aeterna : ut cognoscant te
solum Deum verum, et quem misisti Ie-
sum Christum. 4. Ego te clarificavi super
terram : opus consummavi quod dedisti
mihi ut faciam. 5. Et nunc clarifica me
tu, Pater, apud temetipsum, claritate
quam habui, priusquam mundus esset,
apud te. 6. Manifestavi nomen tuum ho-
minibus quos dedisti mihi de mundo. Tui
erant, et mihi eos dedisti; et sermonem
tuum servaverunt. 7. Nunc cognoverunt
quia omnia quae dedisti mihi abs te sunt;
8. Quia verba quae dedisti mihi, dedi
eis; et ipsi acceperunt, et cognoverunt
vere quia a te exivi, et crediderunt quia
tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo; non pro mundo
rogo, sed pro his quos dedisti mihi : quia
tui sunt. 10. Et mea omnia tua sunt, et
tua mea sunt; et clarificatus sum in eis.
11. Et iam non sum in mundo, et hi in
mundo sunt, et ego ad te venio. Pater
sancte, serva eos in nomine tuo, quos
dedisti mihi; ut sint unum sicut et nos.
12. Quum essem cum eis, ego servabam
eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi,
custodivi; et nemo ex eis periit, nisi fi-
lius perditionis, ut Scriptura impleatur.
13. Nunc autem ad te venio; et haec lo-
quor in mundo, ut habeant gaudium
meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum; et
mundus eos odio habuit, quia non sunt de
mundo, sicut et ego non sum de mundo.
15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed
ut serves eos a malo. 16. De mundo non
sunt, sicut et ego non sum de mundo. 17.
Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus ve-
ritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, et
ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis
ego sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi
sanctificati in veritate. 20. Non pro eis
autem rogo tantum; sed et pro eis qui
crediturі sunt per verbum eorum in me;
21. Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater,

τὸν υἱὸν, ἵνα ὁ υἱὸς δοξάσῃ σε· 2. καθὼς
ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, ἵνα
πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσει αὐτοῖς ζωὴν
αἰώνιον. 3. αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ,
ἵνα γινώσκωσιν σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν,
καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. 4. ἐγώ
σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς· τὸ ἔργον τελειώσας
ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω· 5. καὶ νῦν δό-
ξασόν με σὺ, πάτερ, παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ
ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρὰ σοί.
6. Ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώ-
ποις οὓς ἔδωκάς μοι ἐκ τοῦ κόσμου· σοὶ
ἦσαν κἀμοὶ αὐτοὺς ἔδωκας· καὶ τὸν λόγον
σου τετήρηκαν. 7. νῦν ἔγνωκαν ὅτι πάντα
ὅσα ἔδωκάς μοι, παρὰ σοῦ εἰσίν· 8. ὅτι τὰ
ῥήματα ἃ ἔδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς· καὶ
αὐτοὶ ἔλαβον, καὶ ἔγνωσαν ἀληθῶς ὅτι παρὰ
σοῦ ἐξῆλθον, καὶ ἐπίστευσαν ὅτι σύ με ἀπέ-
στειλας.

9. ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ· οὐ περὶ τοῦ
κόσμου ἐρωτῶ, ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι,
ὅτι σοί εἰσιν, 10. καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστιν
καὶ τὰ σὰ ἐμά· καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς.
11. καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ αὐτοὶ
ἐν τῷ κόσμῳ εἰσὶν κἀγὼ πρὸς σὲ ἔρχομαι.
πάτερ ἅγιε, τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί
σου, ᾧ δέδωκάς μοι, ἵνα ὦσιν ἓν, καθὼς
ἡμεῖς. 12. ὅτε ἤμην μετ' αὐτῶν, ἐγὼ ἐτή-
ρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, ᾧ δέδωκάς
μοι καὶ ἐφύλαξα, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώ-
λετο, εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ἵνα ἡ
γραφὴ πληρωθῇ. 13. νῦν δὲ πρὸς σὲ ἔρχο-
μαι, καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ, ἵνα
ἔχωσιν τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν πεπληρωμένην
ἐν ἑαυτοῖς.

14. ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου,
καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτοὺς, ὅτι οὐκ εἰσὶν
ἐκ τοῦ κόσμου, καθὼς ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ
κόσμου. 15. οὐκ ἐρωτῶ ἵνα ἄρῃς αὐτοὺς ἐκ
τοῦ κόσμου, ἀλλ' ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ
τοῦ πονηροῦ. 16. ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἰσὶν,
καθὼς ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου. 17.
ἁγίασον αὐτοὺς ἐν ἀληθείᾳ· ὁ λόγος ὁ σὸς
ἡ ἀλήθειά ἐστιν.

18. καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσ-
μον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον·
19. καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν,
ἵνα ὦσιν καὶ αὐτοὶ ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ.
20. Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ

in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum sicut et nos unum sumus. 23. Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; ut videant claritatem meam quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater iuste, mundus te non cognovit; ego autem te cognovi; et hi cognoverunt quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam; ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμέ, 21. ἵνα πάντες ἓν ὦσιν, καθὼς σύ, πατήρ, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν (ἓν) ὦσιν· ἵνα ὁ κόσμος πιστεύῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας.

22. κἀγὼ τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι, δέδωκα αὐτοῖς, ἵνα ὦσιν ἕν, καθὼς ἡμεῖς ἕν· 23. ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοί, ἵνα ὦσιν τετελειωμένοι εἰς ἕν, ἵνα γινώσκῃ ὁ κόσμος ὅτι σύ με ἀπέστειλας, καὶ ἠγάπησας αὐτούς, καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας. 24. Πατήρ, ὃ δέδωκάς μοι, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγώ, κἀκεῖνοι ὦσιν μετ' ἐμοῦ· ἵνα θεωρῶσιν τὴν δόξαν τὴν ἐμήν, ἣν ἔδωκάς μοι, ὅτι ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου. 25. Πατὴρ δίκαιε, καὶ ὁ κόσμος σε οὐκ ἔγνω, ἐγὼ δέ σε ἔγνων, καὶ οὗτοι ἔγνωσαν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. 26. καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου, καὶ γνωρίσω· ἵνα ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με, ἐν αὐτοῖς ᾖ, κἀγὼ ἐν αὐτοῖς.

In v. 5 sin apud te ex ea (gloria) quam dedisti mihi, antequam etc. In v. 8 sin et acceperunt a me; v. 11 sin in nomine tuo finitur versus; ονοματι σου ω δεδωκας ℵ A B C L etc. ita testes pler; *quod* dedisti mihi fuld lind; item in v. 12 ω δεδωκας cum B C* L Cyr, ubi tamen ους A C³ D X Γ Δ Λ Π unc 7 al pler it vulg go syr (utr) aeth Or; at sin om eam partem, item om et custodivi. In v. 14 D 69 b c e r sin om sicut et ego non sum de mundo. In v. 17 sin *quia* sermo tuus veritas est; item e. In v. 20 sin om in me. In v. 21 εν ημιν sine ἓν B C* D a b c e r ept sah arm Or. In v. 23 sin ego *cum* eis et tu *mecum*. In v. 24 ὃ δεδωκας ℵ B D cop go sin. In v. 25 *et* mundus a e g am fuld for ing go sah syr (utr) sin arm aeth Clem Or.

Petit Christus a Patre gloriam; opus enim sibi demandatum se perfecisse; dein quomodo et quo successu illud sit exsecutus exponens (v. 1-8) transit ad preces pro discipulis, et tribus causis adductis postulat ut Pater eos servet in unitate, ut servet a malo et sanctificet in veritate (v. 9-19); porro petit pro omnibus fidelibus, ut sint unum et ut ad aeternam beatitatem adducat Pater quos sibi dederit (v. 20-26).

Christum tamquam Pontificem magnum has fundere preces adnotat ad v. 9 *Cyr.* scribens : « intercedit rursus, ut homo, Dei ac hominum reconciliator ac mediator et vere magnus et sanctissimus pontifex noster (ἀρχιερεύς) qui se ipsum pro nobis offerens (ἱερουργῶν) suis interpellationibus Genitoris placat animum; ipse enim est hostia et sacerdos, ipse mediator, ipse immaculatum sacrificium, agnus verus qui tollit peccatum mundi ». Et eodem modo *Rup.* dicit ad v. 13 : haec orat pontifex ipse et hostia salutaris, et ad v. 26 concludit : « haec pontifex summus propitiator ipse et propitiatorium, sacerdos

et sacrificium pro nobis oravit; verbis illis significavit, qua causa vel intentione sustinere habet protinus vincula, probra, alapas, sputa, flagella, spineam coronam, crucem, clavos atque lanceam... itaque hac oratione declaravit rex et pontifex, laetabundus quidem in virtute Domini, tristis tamen et anxius in infirmitate carnis, quali desiderio duceretur ad torcularia passionis ». Sicuti *Cyr.* et *Rup.* praeierunt, ita recentiores quoque magno consensu hanc orationem appellant orationem summi sacerdotis, orationem Christi sacerdotalem, pontificalem.

Atque Christus, sacerdos et hostia, iam iturus ad sacrificium offerendum fundit hanc orationem, qua suum consecrat sacrificium eiusque fructus a Patre efflagitat. Efflagitat enim ut sua oblatione et glorificatione quae inde necessario consequatur, Patris gloria in orbem terrarum diffundatur opusque messianum ad effectum adducatur. Ad utrumque obtinendum oratio eius necessario convertitur in precationem pro discipulis et fidelibus, ut hi secum uniti et inter se intime iuncti et mundo persuadeant divinam Christi missionem et demum aeterna potiantur beatitate. Rogat itaque id quod omnium operum divinorum finis et scopus est, scil. ut ex sua oblatione gloria Dei et salus hominum exoriatur. Quam orationem audientibus discipulis clara voce ad Patrem dirigit. Unde in ea se simul doctorem et exemplar precationis praebet et ipso argumento precationum animos discipulorum erudit, confortat, consolatur. Quae discipulorum institutio et consolatio ipsis precibus continetur. Dum enim audiunt Christum ita ad Patrem orationem fundentem, sciunt quoque Christum iri exauditum a Patre. Quare postulationes Christi consolationes sunt apostolorum; nam si id quod in nomine Iesu petitur obtinetur a Patre (16,26), profecto quod ipse petit effectu carere nequit. — Merito mirantur huius orationis sublimitatem, suavitatem, copiam affectuum. Eam vocat *Lap.* Christi ituri ad passionem ultimam et quasi cygnaeam orationem, plenam dulcedinis, amoris, ardoris.

Orationem in coenaculo esse habitam certum videtur (*Salm. Bar. Schg. Schz. Kep.*); vix enim cogitari potest inter ambulandum ita Christum audientibus discipulis orasse; neque in horto (*Rup.*) fundi potuit, quia ibi, uti ex synopticis patet, anima Christi iam aliis sese affectibus tradidit et instantis passionis angores experiri voluit. Ceterum vide quae ad 14,31 dicta sunt; v. 1 *haec locutus est Iesus et sublevatis oculis in coelum* cf. 11,41; modus est sollemnis orandi; immerito inde concluderetur Iesum sub dio orasse; nam publicanus in templo orans pariter dicitur noluisse oculos in coelum levare et Stephanus in synedrio disserens intendit in coelum (Luc. 18,13. Act. 7,55), *dixit :*

Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te; uti nos docuit precandi initium facere a Patris gloria : « sanctificetur nomen tuum », ita ipse quoque suam efflagitat gloriam, qua gloriam Patris apud omnes promoveat (sim. *Cyr.*). Eius autem glorificatio iam incipit in ipsa passione; cernitur in summa illa tormentorum tolerantia, in prodigiis ad eius mortem factis, in confessione centurionis, in consternatione multorum, in honore sepulturae (Luc. 23,45-56); cernitur etiam magnificentius in resurrectione, ascensione, in sessione ad dexteram Patris; cf. v. 5. Haec omnia petit a Patre, quia secundum divinum de opere messiano et redemptione consilium necessaria sunt, quibus gloria Dei, cui per peccata iniuria erat illata, reparetur et apud homines innotescat; « in seipsa claritas Patris nec minui nec augeri potest; apud homines autem procul dubio minor erat, quando in Iudaea tantum Deus notus erat, nondum a solis ortu usque ad occasum laudabant pueri nomen Domini » (*Aug.*). In ipsis Patris et Filii tui vocibus sollemnes exprimuntur rationes exauditionis; orat ut homo, at loquitur ut Deus (*Tol.*); cf. 7,39; 12,16; 13,31.

Statim subdit rationem petitionis et modum gloriae addit, quo pacto Patrem sit glorificaturus (*Chr. Cyr. Ians. Corl. Schz. Fil. Kep.*) v. 2 *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis,* καθώς, i. e. διότι (*Euth.*), quoniam, siquidem (*Ians. Patr. Corl. Schz. Fil. Kep.*); Messiae scil. facta est promissio : postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae (Ps. 2,7. 8; 71,8. 9. Is. 49,6 etc.); cf. Matth. 28,18; omnis caro hebraismus est ad omnes homines designandos. Haec autem potestas ei tradita est tamquam Messiae, homini, redemptori, *ut omne quod dedisti ei det eis vitam aeternam,* qui simul est modus quo Deus glorificatur. Eo enim quod Christus, *quantum est ex se,* ex merito sui sacrificii, ex sua doctrina et missione apostolorum et ex distributione gratiarum, omnibus viam aperit consequendae vitae aeternae, et ipse clarificatur et gloria Dei externa quae dicitur habetur. Nam in vita aeterna et gloria beatorum magnificentissime relucet et manifestatur Dei liberalitas, misericordia, benevolentia, et maiestas divina aeternis beatorum laudibus et honoribus celebratur. Deus enim gloriam suam quam necessario appetit in suae bonitatis manifestatione et diffusione, in beatitate creaturarum collocatam vult. Christus illis revera *dat* vitam aeternam, qui gratiis oblatis cooperantur; dicit *dedisti,* quia orat ut homo; ceterum vide 6,44; est enim Pater qui filio nuptias parat Matth. 22,2.

Iam exponit, in qua re habeatur vita aeterna, i. e. via et aditus ad eam hisce in terris, quae sit radix et fundamentum eius vitae quae tandem in coelis perfecta Dei cognitione ac visione absolvatur v. 3

haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Iesum Christum; « non quasi sola cognitio Patris et Fili sufficiat, sed quia cetera omnia hac cognitione nituntur » (*Corl.*); cf. 3,16. 1 Ioan. 5,20 : dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius; hic est verus Deus et vita aeterna. « Itaque Dominus noster, cum sciret cognitionem illam unius ac veri Dei parariam esse (πρόξενον) ac veluti pronubam (προμνήστριαν) eorum bonorum, ait ipsam esse vitam aeternam, utpote matrem et nutricem aeternae vitae, in sua quodammodo virtute et natura causas vitae parturientem et ad eum referentem » (*Cyr.*). Contra Arianos, Socinianos adverti debet, Christum non dicere *solum* Patrem esse verum Deum, sed Patrem esse *unicum verum Deum,* in oppositione ad polytheismum et ad idola ficta (*Chr. Cyr. Patr. Corl.*). Dei autem cognitionem talem qualis requiratur ad vitam aeternam, non haberi nisi per Christum clare exprimitur; itemque cognitionem Christi plane necessariam esse atque eodem modo ac cognitionem Patris ad vitam aeternam requiri, qua re simul docetur Filium esse Patri consubstantialem (cf. *Cyr.*). Fideles iam hisce in terris vitam aeternam habere dicuntur (cf. 6,40. 55; 5,24); unde *dare* vitam aeternam (cf. 10,28) etiam ad id refertur quod iam in terra datur; cf. 1,12 dedit eis potestatem filios Dei fieri et vide statim infra v. 22. Quare proxime de cognitione fidei hoc loco est sermo. At merito ulterius ex verbis infertur, vitam aeternam i. e. essentiam beatitudinis coelestis in intellectuali Dei visione potissimum haberi i. e. « principaliter secundum totam suam substantiam; amor autem est movens ad hanc et quoddam eius complementum » (*Thom. Ians.*), quam tamen ulteriorem conclusionem recte inferri *Tol. Mald.* negant; ille quidem, quia videretur beatitudo etiam constitui essentialiter in visione humanitatis Christi; hic autem censet potius colligendum esse beatitatem consistere in voluntate, quia inchoatio eius in caritate posita sit; dici autem cognitionem esse vitam aeternam, non quod sola, sed prima illius causa sit fides. De utriusque opinione videant theologi quid valeat. Ceterum γινώσκειν non dicit nudum et aridum intellectum, verum includit et denotat mentis quoque affectum, aestimationem, observantiam (cf. 8,55; 10,15. 27; 16,3. 1 Ioan. 2,3 seq. 3,1. 6; 4,8 qui non diligit non novit Deum, quoniam Deus caritas est). Quem usum si attenderis, illam scholasticorum multorum sententiam haud rigorose hoc textu enuntiari fateberis, sed potius innui.

Petitionem esse plane iustam nova declarat ratione ostendens quid praestiterit v. 4 *ego te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam;* quomodo Patrem clarum et gloriosum effecerit, addit : opus consummavi; ea omnia praestitit quae Pater ei man-

davit; praedicatione, miraculis, conversatione sua Patrem hominibus clarum reddidit (cf. 3,16; 4,23; 5,17 seq. 8,38. 49; 9,3; 11,4). Opus redemptionis et satisfactionis pro peccatis ei demandatum erat; vide 10,17. 18; 14,31 et Matth. 20,28 et Marc. 10,45; dicit *consummavi,* quia consummatio iam proxima est et quod minime distat quasi praesens consideratur (*Tol.*) vel « quia iam radix bonorum posita erat ex qua necessario producendi fructus erant » (*Chr.*); alii verba ad solam praedicationem spectare volunt (*Ians.*); at de praedicatione Christus loquitur clare verbis propriis v. 6. 26; hoc autem loco in universum infert sermonem de toto opere sibi a Patre demandato; quare id ex antea dictis 3,16. 17 et 10,17. 18 et 14,31 determinandum est. Quia igitur ipse suas explevit partes, merito petere potest v. 5 *et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te; et nunc* i. e. sicut ego te clarificavi, iam tu vicissim me clarifica ; simul petit modum clarificationis : *apud temetipsum,* proin in coelis, in oppositione ad illud *super terram* v. 4, et quidem claritate illa quae propria est divinitatis. Verum quomodo hoc est intelligendum? nam secundum humanam naturam non potest accipere claritatem divinam quam habuit ante mundum apud Patrem; secundum naturam divinam autem semper est apud Patrem in ea claritate quam amittere aut deponere nunquam potuit. Bene *Cyr.* mentionem facit illius : semetipsum exinanivit formam servi accipiens (Phil. 2,6-8) et dicit Christum iam redire ad suae naturae dignitatem et gloriam; rogat enim ut ad illam redeat gloriam a qua se exinaniverat; loquitur Deus-homo. Postulat itaque ut suae personae quae iam simul erat homo et Deus, in humana etiam natura detur ea gloria quam eatenus tantum habuit in natura divina; hoc est, ut qui hactenus solum ut Verbum habuit gloriam divinitatis, iam eandem etiam habeat quatenus Verbum-caro, aut homo-Deus. Sic enim oportet intelligi illud : dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur; persona enim Christi in humana natura tunc accepit illam claritatem quam in divina habuit ab aeterno, quando immortalitate donata et in coelum sublata et per coniunctionem sui cum divina natura in unitatem personae eiusdem cum illa gloriae consors est effecta, ita ut et ab angelis et ab hominibus persona illa quae homo erat Deus agnosceretur, coleretur, adoraretur (*Ians. Corl.*)

Verba sane id enuntiant, ut is qui loquitur petat sibi gloriam divinam. Iam qui loquitur, constitutus est in conditione humili humanam prae se ferens infirmitatem. Is itaque elevandus est ita, ut coram angelis et hominibus agnoscatur et cernatur in gloria divinitatis. Iam Christus sedet ad dexteram Patris; natura humana collocata in throno Dei et adoratur ab

omnibus (Theoph.). Unde omnibus iste Christus, olim a multis ignominia affectus, iam innotescit in gloria divina constitutus; quare revera Christus homo clarificatus est ea gloria quam habuit eadem persona ante mundi constitutionem. Persona Christi debet considerari; utique natura humana Christi fruitur quantum capax est illa gloria divina, habet plenissimam eius, sed finitam participationem; at non de natura, sed de persona sermo instituitur, de persona Christi Dei-hominis. Quare de gloria huius personae qua talis, sicuti quasi ex natura duplici constituitur, verba sunt explicanda. Quare nullo modo opus est cum *Aug.* claritatem quam habuerit ante mundum accipere de claritate quam Christus ut homo habuerit ab aeterno, non actu, sed in decreto et in praedestinatione Dei, quae explicatio verbis nullatenus congruit. Neque opus est cum *Mald.* δόξαν exponere : fac, ut tam clarus apud homines sim, quam apud te sum; ac si de sola agnitione eius divinitatis ageretur. *Bar.* ita : « clarifica me meae divinitatis splendore et gloria; fac ut splendor divinitatis meae cui coniuncta est humanitas ipsam illustret ac clarificet et ad coelestem thronum evehat; da humanitati meae gloriam congruentem gloriae divinitatis »; similiter *Lap.*; gloria divinitatis iam extenditur in Verbum carne indutum (ita inter alia cum S. Hilario *Salmeron*).

Transiturus ad precationem pro discipulis fundendam exponit quid pro iis ad Patris gloriam fecerit et quid ipsi iam praestiterint (v. 6-8); ita scil. eos statim Patri duplici titulo commendat et eos esse dignos ostendit, pro quibus orans a Patre exaudiatur. Hac autem commendatione simul manifestat quantum sibi cordi sit salus discipulorum et quanto fervore eam a Patre efflagitare decreverit v. 6 *manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo;* partem operis sui declarat, qua Patrem clarificavit; nam cognitionem Patris discipulis tradidit, eos Patrem orare docuit. Pater autem clarificatur, nomen eius i. e. ipse, eius natura et attributa manifestantur, si bonitas eius et potentia et misericordia et alia quae ei competunt hominibus innotescant. Discipulos sibi a Patre datos dicit; nam nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum 6,44; cf. 6,37.66; ipse Iesus grato animo recolit hos primos a Patre sibi datos esse *de mundo* (cf. 15,19), quos tenera cura et sollicitudine foverit, quos itaque hoc iam titulo commendatos vult Patri. Sed insuper : *tui erant* cf. 3,21; 8,47; erant viri simplices, pii; vere Israelitae, cultores Dei, quales nobis 1,37-51 describuntur, *et mihi eos dedisti,* tua gratia effecisti, ut ad me accederent, meam amplecterentur invitationem; unde pro Christo ius et munus exsistit, ut pro iis curam gerens ad Patrem preces quoque dirigat. Qua cura et exauditione Patris digni sunt : *et sermonem tuum servaverunt;* quod ipse praedicavit, sermonem vocat Patris (cf. 5,30; 7,16; 8,38); quae designatio hoc loco vim petitionis auget, quia observantia

haec Patri exhibita a discipulis favorem Patris iis conciliabit; servaverunt, quia Christum fide susceperunt (cf. 1,12; 3,18; 8,51; 15,15. Luc. 22,28). Et quomodo profecerint in observatione sermonis, in fide et cognitione Patris, indicat v. 7 *nunc cognoverunt* et cognitione nunc tenent, *quia omnia quae dedisti mihi* verba scil. et opera, *abs te sunt;* proinde potentiam Patris cerni in Christo; iam igitur norunt quae Christus docuit 5,19. 36; 7,16. 29; 8,16. 28. 38. 42; 9,4; 10,32 etc. et crediderunt verba et opera Christi divina esse Patris opera : Pater in me manens ipse facit opera 14,10; cf. 10,25; 12,49. 50.

Et subdit causam, unde cognoverint v. 8 *quia verba quae dedisti mihi dedi eis;* loquitur Christus, ut 7,16; 8,26. 38. 40; 14,24; *et ipsi acceperunt;* cf. 6,69 : Domine verba vitae aeternae habes; *et cognoverunt vere quia a te exivi et crediderunt quia tu me misisti;* cf. 6,70; 16,27 credidistis quia a Deo exivi; 16,30; Matth. 16,16; saepe Christus audientibus discipulis se a Deo missum esse declaravit 4,34; 5,23. 24. 30. 36. 38; 6,29. 38. 39. 40. 44. 58; 7,16. 18 etc.; apparet ex 16,27 cognitionem illam esse fidem, sed enuntiatur magis firma persuasio certis et indubitatis argumentis exorta et clare in animo reposita; alias etiam fides ponitur ante cognitionem 6,70. Haec autem omnia effert Christus, ut se non immerito eos Patri commendare et pro eis rogare significet (*Cyr. Tol.*). Tali itaque prooemio ac discipulorum encomio praemisso Patrem pro eis rogat et petitionem suam, quam commendatione et laude illorum iam antea valide fulserat, novis rationibus roboratam Patri offert v. 9 *ego pro eis rogo,* non sine emphasi *ego* dicit : Filius tuus, qui te clarificavi, opus demandatum consummavi, *ego* quem semper audis 11,42; *non pro mundo rogo* nunc scil. pro mundo non orat, quia totus in eo est, ut eximia quaedam pro discipulis postulet; verum quae pro discipulis expetit, in mundi salutem ut cedant pariter a Patre efflagitat; vide v. 18. 21. Ceterum et iubet orari pro mundo i. e. pro iis qui sunt inimici Dei et ipse pro eis Patrem interpellavit (cf. Matth. 5,44. Luc. 23,34) et uti *Cyr.* advertit, ipse evangelista nos de vero sensu edocet scribens : ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi (1 Ioan. 2,2). Omissis itaque hominibus sceleratis et perditis qui credere nolunt, suae petitionis quasi aequitatem Patri proponit, *sed pro his quos dedisti mihi quia tui sunt;* haec itaque duplex ratio est peculiaris, cur speciali modo pro discipulis roget, quae ratio rogandi pro mundo non exsistit. Quare ex omissione precationis pro mundo, quae hoc loco habetur, non consequitur mundum iam ut condemnatum considerari (*Rup.*) vel homines mundanos exclusos esse ab oratione Christi. Praeter rationes peculiares orandi pro discipulis

etiam advertere oportet, peculiaria iis efflagitari bona (v. 11. 13. 17. 19).

Discipulos itaque Christi esse et Patris ait; unde ratio cur Christus petat et Pater exaudiat. Sunt autem vero ac pleno sensu utriusque; nam v. 10 *et mea omnia tua sunt et tua mea sunt;* tale quid Christus solum loqui potest quia est Filius Patri coaequalis; εἶδες ἰσοτιμίαν; (*Euth.*); talia enim nemo proferre potest nisi is qui Deus est (*Patr. Corl.*); et aliam adiungit rationem, cur petat et discipulos dignos esse ostendat exauditione *et clarificatus sum in eis,* quippequi in ipsum crediderunt; cf. v. 7. 8 (*Chr. Corl.*), qui in nomine Iesu praedicantes signa ediderunt (Matth. 10,8 seq.) ita ut fama Iesu late per regionem spargeretur (Matth. 14,1; Marc. 6,14 manifestum enim factum est nomen eius); discipuli fide sua iam futuram Christi apud homines cognitionem et gloriam praeparant (*Schz.*); nam proficiscentur in orbem terrarum hominesque ad Christi cultum adducent (*Patr. Fil.*). Si Filius clarificatur, Pater quoque clarificatur (cf. 11,4; 13,31); unde affertur valida ratio exauditionis, quae simul utilem discipulis audientibus praebet institutionem. Alteram addit Christus rationem, cur roget et Patri commendet suos v. 11 *et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt et ego ad te venio;* corporalem suam praesentiam, ex qua illi maximum solatium et praesens in omnibus auxilium percipere solebant, brevi illis subtrahet; ipsi vero remanebunt *in mundo,* inimico Dei, periculis et infestationibus expositi; proin singulari Dei protectione indigebunt et consolatione, qua Christi corporalis praesentia compensetur.

Quare mentione mundi facta, in quo relinquuntur, statim distinctam subdit petitionem, qua ab infestatione mundi in tuto collocari eos desiderat: *Pater sancte,* compellatio est ad rem maxime opportuna: *Patrem* appellat, instantius iam rogans; *sanctum* nominat, utpote a mundo profano alienissimum et summa sanctitatis luce splendidum, quem scil. rogat, ut pro sua sanctitate suos quoque a mundo separet eosque ab eius contaminatione sanctos et immaculatos servet, *serva eos in nomine tuo quos* (quod) *dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos,* ᾧ δέδωκας; nomen Dei i. e. id quod Deus de se manifestare vult, cognitionem Dei iam Christo docente perceperunt v. 6; ut in hac cognitione Dei serventur et custodiantur, rogat; innuitur periculum ex parte mundi, quo scil. haec cognitio oppugnetur, offuscetur, adulteretur. Ea autem cognitio intelligitur quam Pater per Christum promulgandam curavit; unde *nomen quod dedisti mihi* scil. manifestandum, praedicandum v. 6; proin cognitio per fidem Trinitatis etc. Et rogat, ut Pater eos conservet in illa cognitione non modo qualicumque, sed eum in finem, *ut sint unum sicut et nos,* summa ergo illa

unitas et concordia, quae cernitur inter Patrem et Filium, exemplar proponitur, ad quod discipulorum animi inter sese aspirent et conformentur. Inter Patrem et Filium omnimoda est unitas naturae et essentiae, voluntatis, sententiae. Hanc in se exprimant discipuli, quantum pro hominum conditione fieri potest. Efflagitat itaque pro eis unitatem perfectissimam eamque supernaturalem, quae scil. non humanis subsidiis efficiatur et conservetur, sed ope divina et gratia stabiliatur immota. Talis unitas est intellectus seu fidei, voluntatis seu caritatis. Quam unitatem Spiritus Dei efficit : multitudinis credentium erat cor unum et anima una (Act. 4,32) et quam apostoli commendant et adprecantur (1 Cor. 1,10. Eph. 4,4).

Haec animorum unio, concordia, coniunctio in periculum vocatur a mundo, quippe qui in maligno positus est. Homines enim mundani reguntur triplici illa concupiscentia carnis, oculorum, superbiae vitae; hisce autem unionem illam impugnari ac penitus pessumdari manifestum est. Unitas intellectus seu fidei potissimum superbia destruitur (cf. 5,44) eadem superbia impedimento est unionis caritatis et sententiae, quam unionem reliqua quoque vitia, quae in carne et avaritia luxuriantur, penitus exstinguunt. Quare imploratur Pater *sanctus,* ut eos servet a contagione mundi constitutos in mundo, ut servet et confirmet eos in unitate illa, a qua mundus adeo est alienus. Patris porro animum Filius ad precationem suam eo quoque inflectit, quod ei proponit, quanta cura ipse, quamdiu praesentia corporali in mundo erat, illos custodierit v. 12 *cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi custodivi;* graece etiam : in nomine tuo quod dedisti mihi (cf. v. 11) et custodivi (vide lect. var.); cf. 18,9; *et nemo ex eis periit nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur;* vide ad 13,18; 10,35; cur filius perditionis appelletur, habes in illo : vae, bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (Matth. 26,24). Ipse sibi interitum et perditionem adscivit (cf. 6,71), id quod praevidens Deus etiam in Scriptura consignatum voluit; cf. Ps. 40,10; 108,8 (*Ians. Tol. Mald. Corl. Fil.*); Act. 1,20. Additur hoc, ut significetur eum nullatenus perisse neque incuria Christi neque eo quod custodia Christi per doctrinam et praesentiam exercita non fuerit satis efficax; ostenditur in luctuoso illo exemplo, opus esse ad salutem sedula cum gratia cooperatione. Ceterum vide ad 13,18 et Comment. in Matth. II p. 398 seq.

Corporali praesentia eos relinquit iturus a Patrem v. 13 *nunc autem venio ad te;* cf. v. 11; *et haec loquor in mundo,* dum adhuc hisce in terris apud eos versor, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis;* explicat cur alta voce discipulis audientibus has preces fundat;

vult enim eos non solum consolari, sed quantum fieri potest gaudium suum suosque animi sensus in eorum animos abundantissime transfundere; cf. 15,11. Christi gaudium profecto illud est quod ex intima cum Patre unione haurit, quod humana eius natura ex dilectione, protectione, glorificatione Patris percipit, quo animus eius impletur quia opus a Patre demandatum ad Patris gloriam et salutem hominum est consummaturus. Huius itaque gaudii sui participes reddere vult discipulos, ut et ipsi gaudeant de sua cum Patre et Christo unione, ut gaudeant de dilectione et protectione quam Pater iis abunde largitur, ut maxima alacritate, securitate sese accingant ad opus sibi commissum pro gloria Dei et hominum salute, certi de summa Patris cura (cf. *Salm. Schz. Kep. Fil.*). Locutio : habeant impletum, prorsus est emphatica : habeant gaudium meum modo quodam plenissimo, impleatur gaudium meum in eis et ab iis plene possideatur.

. Varie tamen concipitur *gaudium meum.* Ut gaudium suum daret nobis, pro nobis doluit, explicat *Rup.;* hoc gaudium a Christo in eos collatum, *Aug.* expressum cernit in illo : ut sint unum sicut et nos; hoc igitur in eis implendum dicit et propterea dicit se loqui in mundo; similiter concipit *Tol.* : ut sint unanimes; sic enim implebunt gaudium meum in semetipsis, et provocat *Tol.* ad Phil. 2,2 : implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes; in quam explicationem *Cai.* quoque concedit afferens quoque illud : ut sint unum sicut et nos; « gaudium enim Iesu unitatem illam consequitur ». Non ipsius Iesu gaudium, sed gaudium de eo *Euth.* exponit; *Cyr.* censet indicari : fac ut plus gaudii ex mea divinitate percipiant, quam hauserint ex mea corporali praesentia; cui acceptioni fere adstipulatur *Mald.* : fac ut magis me absente gaudeant omni tuo auxilio muniti quam praesente gaudebant; eodemque modo *Calm.* exponit. Ut habeant quo in me gaudeant, vel gaudium quod eis est a me, quod consequentur per unitatem spiritus; ita *Thom.;* ut habeant in semetipsis de quo ego plene gaudeam; mutua scil. caritate animorumque coniunctione cumulum addi gaudio suo Iesum declarare *Patr.* interpretatur. Singularis est explicatio a *Corl.* proposita, qui ibi cernit « motivum impetrandi efficacissimum: nihil enim potest esse Patri optatius, quam si plenum possit dilecto Filio suo gaudium procurare »; quae tamen interpretatio exigeret textum : ut *habeam* gaudium meum impletum in eis.

Petitionem nova fulcit ratione, qua illam etiam magis commendat. Discipuli enim a mundo odio habentur idque propter observantiam sermonis Patris et propter Christum v. 14 *ego dedi eis sermonem tuum,* quem acceperunt et servarunt v. 6. 8; ideo *et mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo,* dum enim sermonem Patris, eius mandata

observantes pietatem colunt, longe absunt a mundi indole Deo inimica; alio plane spiritu reguntur ideoque tamquam amici cultoresque Dei sunt inimici mundi et odio habentur a mundo (cf. 15,19). Petitio est eo magis efficax, quia propter sermonem Patris inimicitias et persecutiones mundi incurrunt; proinde quam maxime spectat ad Patrem, ut eorum causam agat et tueatur. Istud hominum, adversariorum Dei, odium iam Christo praesente experti sunt; vide Luc. 22,28 : vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; magis illud brevi post experturi sunt (cf. Act. 4,2; 5,40 etc.); in quo odio mundi pietatis causa similitudinem cum Christo induunt : *sicut et ego non sum de mundo;* « par ergo est causa odii contra me et illos; ego tamquam magister, illi tamquam discipuli, propter eundem sermonem tuum odio habemur a múndo, quia non sumus de mundo, id est, non eadem sentimus et volumus cum ipso » (*Tol.*). Cum itaque propter Patrem exosi sint mundo et simul cum Christo, cuius causam et gloriam Pater tuetur (cf. 8,50. 54; 13,32; 17,1), digni sunt qui Patris protectionem sentiant et experiantur. Mentione autem facta odii mundi, simul ipsa petitio magis determinatur.

Verum, uti supra iam indicaverat 15,18. 19, non rogat, ut eximantur ab odio et persecutionibus mundi, sed ut in iis infestationibus serventur irreprehensibiles, ut omnes infestationes et pericula incolumes et innocentes percurrant; quae petitio discipulis est institutioni et haud parvae in tribulationibus consolationi; sciunt enim velle Christum, ut eiusmodi sustineant; sciunt opem divinam praesto semper fore; audiunt enim rogantem v. 15 *non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*, ut in malo mundo viventes et a malo mundo variis modis infestati et impugnati tamen vincant, omnia superent et immunes a malo serventur. Proinde praedicit, tentationes et persecutiones fore, sed in iis auxilium iri praebitum, ne damnum capiant a malo ἐκ τοῦ πονηροῦ. Estne ὁ πονηρός, an τὸ πονηρόν? Daemonem intelligi explicant *Non. Corl. Schz. Fil. Kep. Weiss* et ratio peti potest quia 1 Ioan. 2,13 et 5,18 ὁ πονηρός legitur (cf. 3,12? Matth. 13,19. Eph. 6,16); at plerique tamen notione generaliore exponunt vel de peccato quod unicum sit vere malum (*Rup. Alb. Bon. Cai. Ians. Schg.*), vel de mundo qui sit in maligno positus (*Thom. Patr.*), vel de periculis (*Theoph.*), vel exponunt et de peccato adversitatibusque et de diabolo (*Salm. Tol. Mald. Lap. Bar. Calm. Nat.*). Praeferendum censeo τὸ πονηρόν, quia sensus est amplior, neque censendum erit Christum solum rogasse, ut a satana servarentur vel ex eius potestate eriperentur. Insuper Christus diabolum aliter designare solet (cf. 8,44; 12,31; 14,30. Matth. 4,10; 12,16. Marc. 3,26; 4,15. Luc. 10,18; 11,18; 13,16; 22,31 etc.).

Neque rem evincit, quod ὁ πονηρός in epistola Ioan. legitur; in evangelio enim diabolum aliter nominare solet; vide 8,44; 12,31; 13,2. 27; 14,30.

Aliam iam proponit petitionem quae proxime ad munus apostolicum spectat. Et prius quidem eos aptos esse ad hoc munus declarat ac proinde adesse rationem cur novum pro illis imploret favorem (*Tol. Ians.*) v. 16 *de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo;* cf. v. 14; neque tamen est mera repetitio, sed novam inducit petitionem, ita ut cum *Mald.* (qui eodem modo rem intelligi ab *Aug. Bed.* censet) dici possit : *quia* de mundo non sunt, sanctifica eos etc.; quam rationem auget Christus addens illam eorum secum similitudinem; unde rogat v. 17 *sanctifica eos in veritate* i. e. consecra eos ad munus evangelicum, ad ministerium sacrum et apostolicum (*Chr. :* segrega eos verbo et praedicationi; *Mald. Tol. Lap. Corl. Schg. Schz. Fil. Weiss*), *in veritate,* declaratur, ubi, in qua re hanc consecrationem exercere debeant, et in qua re, in qua causa a Deo consecrentur, ut scil. in ea firmiter constituti eandem veritatem ministerio sacro annuntient; quare statim subditur, quomodo veritas sit intelligenda : *sermo tuus veritas est,* cf. v. 6. 8. Non est hic sermo de interna sanctitate; nam de illa iam antecedentibus dictum est v. 6. 7. 8. 11. 12. 15; quare hoc loco ea non efflagitatur; ἁγιάζειν autem sensu explicato esse accipiendum : segregare a profano et consecrare ad munus Deo sacrum, patet ex subsequentibus quoque; nam ratio, cur sanctificatio seu consecratio eorum, seu eorum ad tale munus institutio simul cum donis gratiisque necessariis et utilibus efflagitatur, est missio eorum, uti patet v. 18 *sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum;* cf. Matth. 10,16 seq.; *misi,* iam enim destinati sunt ad hoc, iisque ea missio iam erat annuntiata 15,16. 20; Christus dixit se a Patre sanctificatum missum esse in mundum 10,36; pari ratione nunc eos a Patre sanctificatos mittere desiderat in mundum; quare rogat v. 17; « attende efficaciam argumenti : *ego misi,* non ipsi se ingesserunt, nec propria auctoritate hoc munus usurparunt; *ego misi*, divina auctoritate ea qua in mundum a te missus sum; ergo sanctifica eos, Pater, tamquam a me et a te missos » (*Tol.*). Sicut itaque Christus omnibus ad missionem suam dotibus instructus mittebatur a Patre, ita apostolos suos desiderat mitti praeditos illis omnibus, quae apta sunt, ut *in veritate* i. e. in opere sermonis Patris annuntiandi, cum fructu laborent et versentur.

Auget argumentum et rationem impetrandi, in medium afferens quid ipse pro iis facturus sit, ut in ipsorum munere rite consecrati et instructi reperiantur v. 19 *et pro eis ego sanctifico me ipsum,* me con-

secro, victimam me efficio ad id exorandum quoque quod nunc rogo, me ipsum consecro hostiam sacrificio immolandam; « quid est : sanctifico me ipsum? προσφέρω σοι θυσίαν; sacrificia vero omnia sancta dicuntur et proprie sancta quae Deo consecrata sunt » (*Chr.*). Quod *Mald.* dicit : « omnes prorsus auctores quos ego legerim interpretantur : pro eis me in sacrificium offero, nec dubium est quin id verbum significet », omnino retinendum est (cf. *Cyr. Theoph. Euth. Bar.* etc. et ex recentioribus *Patr. Corl. Schg. Schz. Fil. Kep. Keil, Weiss*). Nam *sanctificare* vox est sollemnis de iis quae pro Deo seliguntur, ut ei consecrentur, in sacrificium offerantur; vide Ex. 13,2; 28,38. Deut. 15,19; 22,9 etc. Suum itaque sacrificium quod in cruce offert mortem obiens, hoc pretium summae aestimationis pro discipulis; in eorum utilitatem et commodum (cf. 6,52; 10,11. 15; 15,13. 1 Ioan. 3,16), Patri repraesentat et hanc sui immolationem et oblationem etiam in id accipi et valere vult, *ut sint et ipsi sanctificati in veritate,* non sine magna emphasi et instante precatione repetit quod iam in v. 17 rogaverat, sed repetit, postquam argumento efficacissimo, sua scil. immolatione et sacrificio, petitionem Patri commendavit. Desiderat, ut apostoli quoque plane Deo consecrati in opere evangelii, *in veritate,* Deo quasi sacrificium et oblationem offerant, et ipsi quasi eo in munere sacrificium evadant; vide Phil. 2,17 : sed et si immolor supra sacrificium et obsequium fidei vestrae, gaudeo; cf. Rom. 15,16. Illud *in veritate,* non opponitur typis et figuris veteris foederis, neque ponitur loco adverbii ἀληθῶς, neque dicit veritate, per veritatem eos sanctificari, sed accipi debet, ut in v. 17, de munere veritatis annuntiandae, in quo constituti Deo consecrati sunt.

Mentione facta muneris apostolici, quo tamquam λειτουργοὶ Christi sanctificabunt evangelium, ut fiat oblatio populorum accepta et sanctificata (Rom. 15,16), Christus pro suo in omnes amore precationem etiam in omnes extendit v. 20 *non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me;* sententia consolatione plena pro omnibus nobis; Christus pro nobis qui credimus orat nobisque efflagitat apud Patrem, ut fructus sui sacrificii nobis obveniat. Attendere oportet fidem in Christum propagari *per verbum* apostolorum; fides enim est ex auditu (Rom. 10,14); unde per magisterium vivum fides in Christum singulis innotescit; « ostendit enim Christus per eorum praedicationem (κήρυγμα) alios quoque fieri discipulos » (*Euth.*). Mira est sententia ab interprete acatholico (Hengstenberg) proposita, Christum iam de scriptis apostolorum haec pronuntiasse. Christus rogat pro omnibus; neque enim verba de iis solis intelliguntur qui ipsos apostolos audierunt et viderunt, sed de omnibus

fidelibus. Nam doctrina ab apostolis praedicata eadem perseverat et perseverabit, ita ut quotquot crediderunt et credent per verbum eorum credidisse et credituri dicantur (*Tol. Mald.*).

Iam declarat quid pro fidelibus omnibus petat a Patre v. 21 *ut omnes unum sint;* vide v. 11; « idem sentientes, idem sapientes, invicem diligentes, unanimes, concordes » (*Tol.*); quam serio id efflagitet et quam intimam ac sublimem unionem intelligat, divina illa comparatione qua maior unio nequit cogitari innuit : *sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint;* cf. 14,10; Pater et Filius unum sunt ita ut alter in altero sit propter unam numero indivisamque naturam; et quomodo unio illa fidelium efficienda sit quae quantum pro creaturarum ratione fieri possit ad illam Patris Filiique accedat eamque repraesentet, addit dicens *in nobis;* nam per fidem, gratiam, caritatem Deo unimur et hac unione in Deo constituta etiam animi fidelium inter se uniuntur. In Deo, in Patre et Filio, est igitur tota ratio huius unionis; habetur perfecte in se per caritatem; « divina enim caritas, illaque ipsa qua inter nos coniungimur atque alteri in alteris quodammodo sumus, ea est quae nos Deo copulat divinaeque efficit consortes naturae, ita ut homo iustus et Deus per hanc naturae κοινωνίαν, sicut Filius et Pater per naturae ἑνότητα, alter in altero sit » (*Patr.*). Eam itaque petit unitatem qua fideles in Deo consentiant (*Ians.*), ad quam unionem praeprimis necessaria est una in omnibus eademque fides. Proin pro Ecclesia sua Christus hanc in fide consensionem et unionem petit, ex qua unio quoque caritatis exsurgat. Hanc unionem etiam propterea expetit, *ut credat mundus quia tu me misisti;* tantum igitur emolumentum et tanta efficacia est in unione fidelium, ut ex ea divina legatio Christi et proin veritas religionis christianae cognoscatur et mundus ad fidem adducatur; « etenim a concordia discipulorum ego doctor comprobor quod a Deo exierim » (*Theoph.*).

Duo inde elucent. Quia Christus id a Patre petit, sane eius oratio est exaudita (cf. Hebr. 5,7) et Christus scit se semper audiri (11,42; Matth. 26,53). Unde patet in Ecclesia Christi adesse debere unionem hanc fidei summam. Quae nullibi cernitur nisi in una Ecclesia catholica. Cum Christus tam instanter hanc unionem suae Ecclesiae et fidelium omnium a Patre petat eamque ad divinum unionis exemplar accedere et quasi conformari desideret, neminem fugere potest, quantum sit scelus hanc unionem fidei interturbare et aliquos fideles haeresi vel schismate ab unione Ecclesiae separare. Et quantopere Christus hanc unionem exoptet, ostendit eo quoque quod petitionem eandem repetit eamque Patri commendat in medium proferens (uti in v. 14. 19) quid ipse iam fecerit ad illam efficiendam v. 22 *et ego claritatem*

quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus; haec claritas δόξα, quam Pater ei dedit, ut illam nobis daret, est gloria filiationis divinae. Christus homo qui a Patre accepit gloriam filiationis divinae naturalis, ut esset Filius Dei per naturam, dedit credentibus potestatem filios Dei fieri (1,12). Iam hac filiatione collata id efficere vult, ut filii hi inter se sint unum; eodem enim spiritu Dei aguntur, idem in eis spiritus Christi vivit (cf. Rom. 8,9. 10. 11. 14. 16; 2 Cor. 13,5. Gal. 2,20), sicut Pater et Filius unum sunt eadem scil. natura, intellectu, voluntate. Haec unio fidelium laudatur in primordiis rei christianae (Act. 2,46; 5,12), commendatur valide ab apostolis (Rom. 15,5. 6; 1 Cor. 1,10. Eph. 4,3 etc.), efflagitatur continuo in Ecclesia Christi. Vae illis, qui hoc opus Christi in aliquibus destruere attentant!

Varie *claritatem* δόξαν explicant. Filiationem divinam, adoptivam intelligunt *Rup. Ians. Lap. Nat. Schz.;* quae explicatio maxime est obvia et ad verbum gloriae accommodata et ad unionem illam efficiendam prorsus consentanea. Haec filiatio qua divinae consortes efficimur naturae est δόξα in se iam et inchoatio quaedam gloriae aeternae, cuius est radix et pignus. Sicut igitur iusti hisce in terris dicuntur habere vitam aeternam (3,15. 36; 5,24; 6,47. 55; 12,50; 17,3), ita merito haec filiatio appellatur claritas δόξα. A qua acceptione non multum abest *Salm.* explicans de universis donis quae meritis Christi nobis obveniunt, neque *Kep.* interpretans gratiam salutis messianam, neque *Schg.* exponens de unione cum Christo. Sed *Aug.* intelligi vult immortalitatem quam more suo propter immobilitatem praedestinationis verbis praeteriti temporis significet, *Thom.* similiter gloriam resurrectionis; at donum debet intelligi quod in hoc iam tempore revera confertur et quod aptum sit ad unionem illam efficiendam; nam Christus dicit se dedisse, *ut sint unum.* Alii explicant de signis et doctrina (*Chr. Theoph. Euth. Calm.*), similiter *Alb. Bon.* de claritate potentiae per miracula, sapientiae et bonitatis; aliter *Cai.:* gloria data a Patre Iesu est, quod Iesus venit in nomine Patris, quod venit quaerens Patris gloriam; hoc magnum donum dedit discipulis, ut solam Dei gloriam quaererent; *Bar.* inter alia intelligit gloriam missionis apostolicae. Alii claritatem accipiunt de « gloria divinitatis quam Christus paulo ante discipulis suis communicavit dando ss. eucharistiam; sic enim eandem carnem suam carni fidelium univit et per eandem eis divinitatem suam univit, unde omnes in Christo excellentissime inter se uniuntur; cf. 1 Cor. 10,16. 17; Ioan. 6,57 » (*Corl.;* quam sententiam etiam *Cyr. Tol. Bar. Lap. Beelen* et alii proponunt). Sed *Mald.* per claritatem accipit dilectionem, qua Pater Christum et Christus discipulos prosequitur, quae sententia facile ad primam reducitur, nam : videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus (1 Ioan. 3,1), quamvis *Mald.* primam illam explicationem solum probabilem dicat arbitrans in v. 26 claritatem ab ipso Christo explicari de dilectione.

Accuratius describitur quomodo haec unio efficiatur et explicatur illud : *sicut nos* et *in nobis* (v. 21) v. 23 *ego in eis;* cf. 15,4. 5. 7; *et tu in me;* cf. 14,10.11; Christus inhabitat in iustis (Eph. 3,17); in Christo identica divinitatis substantia est Pater; unde fideles qui spiritu Christi vivunt, aguntur, non possunt non esse concordes, *ut sint consummati in unum,* ut scil. ad perfectissimam unionem perveniant et firmiter in ea persistant. Unio itaque haec revera efficitur et consistit *in nobis* v. 21; Christus enim est in fidelibus et in Christo Pater; hac intima coniunctione fideles etiam in Christo sunt (14,4 seq.) et inter se uno illo spiritu Christi uniuntur. Quantum bonum autem Christus ex hac unione consequi velit, declarat : *et,* ἵνα ut, *cognoscat mundus quia tu me misisti;* cf. v. 21, iterum hanc effert utilitatem; proinde quantopere sibi mundus quoque eiusque salus cordi sit ostendit, quod ob v. 9 attendere oportet; et alterum quod mundus cognoscere potest et debet ex illa unione est: *et dilexisti eos, sicut et me dilexisti*, in hac unione et concordia cernitur magnum Dei beneficium, cernitur operatio Dei; « quod beneficium contulisti mihi homini, nempe divinitatem tuam, dedisti etiam eis, et eos tibi sicut et me unire voluisti; quod argumentum est dilexisse te eos simili dilectione qua me, quamvis non pari » (*Tol.*); nam iusti quoque consortes efficiuntur naturae divinae (2 Petr. 1,4) et semen Dei in eis est (1 Ioan. 3,9) et Deus in eis manet (1 Ioan. 4,12. 13). Denuo declarat istam unitatem rem esse adeo divinam, ut auctor eius nequeat non esse a Deo missus et ut per eam certiores fiamus nos a Deo simili amore diligi sicut ipse Filius diligatur (cf. *Patr.*).

Christus ita pro suis in terris degentibus rogat, ut serventur a malo, ut sint sanctificati in veritate, ut sint unum. Iam efflagitat iis aeternae suae gloriae et beatitatis consortium in altera vita v. 24 *Pater,* nova appellatione animi affectum pandit, *quos dedisti mihi;* cf. v. 6. 11. 12; proin pro apostolis iterum speciali modo postulat, *volo*, rem enim sibi debitam postulat (*Patr.*); idque merito postquam dixit : ego pro eis sanctifico (immolo) meipsum; plerique tamen explicant : valde cupio, desidero (cf. *Ians. Tol. Mald.*), *ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*, *quia dilexisti me ante constitutionem mundi,* i. e. ut videant non solum gloriam humanitatis meae, sed gloriam meam divinam Filii Dei; hanc enim simul cum divinitate seu natura divina ei communicans eum dilexit ab aeterno Pater. Unde illud *dedisti* explicari debet per generationem aeternam (cf. v. 5; 5,20; *Chr. Theoph. Euth. Ians. Lap. Bar. Corl.*); illud *quia* utique non significat causam, sed signum dilectionis manifestativum; neque enim Pater dedit Filio quatenus Deo gloriam quia

dilexit; dedit gignendo, non autem genuit quia dilexit, sed dilexit quia per omnia sibi genuit similem; quod autem ei gloriam dederit hinc intelligitur quod eum dilexit ab aeterno (*Ians. Lap.*). Videre gloriam est ea frui, proin habere visionem beatificam. — Explicant alii (*Aug. Salm. Cai. Mald. Nat. Schz. Fil.;* partim *Thom.* aliique) de gloria Christi hominis, quam Pater ei dedit propter obedientiam (Phil. 2,8), quia eum dilexit ab aeterno (quam sententiam modo ad Verbum solum referunt, modo ad hominem Christum ab aeterno praedestinatum). Quae explicatio ne manca sit, ita concipi debet, ut gloria Christi hominis intelligatur gloria Verbi incarnati et ut hanc gloriam videntes et divinitatem ipsam videant et gloriam humanitatis Christi. Verum si ita res concipitur, illud *dedisti* aequivoce adhibetur; nam plane alio modo dat Pater Verbo gloriam divinitatis et Christo gloriam humanitatis; et simili modo *quia dilexisti* aequivoce ad alterutrum refertur. Quod ut evitetur, explicandum erit *dedisti* de generatione aeterna (cf. 5,19). Christum vero suis efflagitare bonum summum, visionem beatificam, ut suam Filii Dei claritatem videant, non solam gloriam resurrectionis (*Thom.*), probatione non eget. Vult, ut sicut hisce in terris sibi coniuncti sint, ita quoque quam maxime in coelo, id quod sola visione beatifica fieri potest. Coelum eis adprecatur : ubi ego sum (cf. 3,13; 1,18); coelum autem ibi habetur, ubi visio habetur beatifica.

Etiam ex v. 25. 26 patet Christum loqui de apostolis; unde in v. 24 *quos dedisti mihi* non erit explicandum de omnibus fidelibus (quod sat multi explicant), sed eodem modo quo v. 6. 9. 11. 12, ubi haec locutio de solis apostolis adhibetur; de aliis fidelibus aliter loquitur in *hac* precatione v. 20, quamvis verum sit, omnes et singulos fideles ei dari a Patre (6,37). Reversus est in precatione ad apostolos; epilogo concludit precationem v. 25 *Pater iuste,* ad Patrem *iustum* alloquium dirigit, quia retributio praemii quod pro suis postulavit ad iustitiam spectat; quare iterum exponit quam recte et iuste id pro suis a Patre postulet et simul hac iustitiae Patris appellatione discipulis magnam gloriae illius assequendae fiduciam ingerit; *mundus* (καὶ *et mundus,* uti *Rup.* et codices multi vulg. habent) *te non cognovit*, « quid hoc sibi vult? quae consequentia; hic declarat neminem nosse Deum nisi eos qui Filium cognoscunt; hoc est: vellem omnes hoc in statu esse; sed te non noverunt, etsi nihil possint arguere (καίτοι οὐδὲν ἔχοντες ἐγκαλεῖν); illud enim significat : *Pater iuste;* hic videtur illa dicere aegre ferens quod tam bonum, tam iustum cognoscere noluerint » (*Chr.*); *ego autem te cognovi et hi cognoverunt quia tu me misisti;* Patri itaque iusto in fine orationis iterum proponit quod in precatione pro apostolis ab initio dixerat eos commendans quia non sint de mundo

et quia cognitionem Patris a se acceperint (v. 6 seq.). Quare hic oppositionem effert : et mundus te non cognovit, ego autem etc.; ita illud καὶ — δέ forte facillime explicatur.

Illud καὶ ὁ κόσμος varie explicare conati sunt. Unum modum iam ostendit explicatio a *Chr.* adoptata, quam supra adscripsi; similiter *Theoph.* qui sententia interposita καὶ sensu adversativo accipit : Pater iuste, equidem omnes homines haec bona assequi vellem, sed non cognoverunt te. Per interrogationem legit et explicat *Schg.* : Pater iuste! et mundus? te non cognovit! Alii coniungunt καὶ ὁ κόσμος — καὶ οὗτοι, ita ut ἐγὼ δὲ... quasi parenthesi inclusum consideretur. De usu καὶ adnotat Devarius : καὶ etiam idem per se valet quod καίπερ (cf. Devar. ed. Klotz I p. 106), id quod hoc loco applicari potest. Alii simpliciter adiungunt ad antecedentia; id autem facilius fit, si appellatio : *Pater iuste*, non separatur a v. 24. Verum, quia Ioannes non uti solet periodis, sed magis paratactice sententias ponit et coniungit, ex ipsa sententiarum intelligentia erui debet, quomodo logice inter se cohaereant. Atque nexum logicum bene indicat *Tol.* : « multum notanda est particula *et*, quae in graeco textu est : id est : mundo te non cognoscente, seu cum mundus te non noverit, ego te novi et hi noverunt; suos enim discipulos a mundo distinguit; inter tot incredulos credere laude dignum est et praemio; ut autem hanc cognitionem non eos a seipsis habuisse significaret, sed quia edocti ab eo sunt, propterea dicit : ego autem novi te ». Simili modo *Fil.* explicat : καὶ ὁ κόσμος mundus quidem te non cognovit. — Sed satis de καί!

Porro explicat Christus quomodo discipuli noverint Patrem; declarat igitur quid ipse pro eis fecerit, uti antea, et addit quid etiam in posterum facturus sit v. 26 *et notum feci eis nomen tuum;* cf. v. 6; *et notum faciam,* etiam maiorem Patris cognitionem illis praestabit; quod factum est partim post resurrectionem, quando eis inter alia revelationem Dei (nomen) in sacris litteris veteris foederis expressam declaravit (Luc. 24,45) et generatim multa de regno Dei iis tradidit (Act. 1,3), partim etiam Spiritu sancto misso, quem a se mittendum promisit et « qui de meo accipiet et annuntiabit vobis » (16,7. 14). Haec utraque ratio simul valet ad petitionem pro discipulis Patri enixe commendandam. Et quem in finem illam fecerit et facturus sit manifestationem addit : *ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit et ego in ipsis,* ut simili dilectione qua me dilexisti eos diligas; et significatione magna dicitur : ut dilectio Patris sit in ipsis; nam ita significatur, Deum Patrem non solum iis beneficia conferre, sed ipsum suum amorem iis donare, ut in ipsis vere sit : Patris autem dilectio ita eis exhibetur, ut singulari ratione in animis eorum inhabitet (cf. 14,23) uti Christus quoque in eis est; *et ego in ipsis;* hac enim ampliore manifestatione ipse Christus etiam modo quodam pleniore in iis inhabitat magisque se eis communicat. Ita haec pars apte ad priorem adnectitur, et simul etiam ratio redditur, cur dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, quia

scil. in ipsis est et inhabitat excellenti quodam modo Filius, unde in iis videt Pater et diligit imaginem Filii, diligit eos intime cum Filio unitos (*Tol.*). Ex hac sententia, qua maximam pro suis dilectionem Patris exoptat, patet etiam illud *notum faciam* non cum *Aug.* ad alteram vitam posse referri, verum cum explicatione communi de manifestatione in hac vita esse intelligendum. Summa et conclusio precationis est, ut exhibeat suos intime sibi iunctos et proin dignos quos Pater maxime diligat.

Postulat itaque Christus a Patre, ut Pater maximum suum amorem discipulis donet. Ita longe plerique; *Cyr.* nexum explicat qui sit inter nostram de Deo cognitionem et hanc Dei dilectionem : « nam qui per sinceram contemplationem Deum ac Patrem agnoscere potuerint et rationem mysterii christiani accurate didicerint, his utique a Patre perfecte diligi continget ad similitudinem Filii; perfectissime enim diligit suum Filium Pater, sed et ipse Christus inhabitat per sanctum Spiritum in spiritualem unionem coniungens per seipsum Deo ac Patri eum qui noverit ipsum ». Quomodo autem dilectio qua dilexit Pater Filium in nobis sit, *Aug.* eo explicat, « quia membra eius sumus et in illo diligimur, cum ipse diligatur totus, id est caput et corpus; ideo subiunxit : *et ego in ipsis,* tamquam diceret : quoniam ego sum et in ipsis »; item *Bed.;* atque hac Dei in nos dilectione nobis dari spiritum sanctum inhabitantem bene notat *Rup.* : « dilectio haec Spiritus sanctus est, qua Filius Patrem et Filium diligit Pater; ergo « ut dilectio qua dilexisti me sit in ipsis et ego in ipsis », idem est ac si dicat, ut Spiritus sanctus Paracletus ad ipsos veniat qui cum in ipsis fuerit, ego quoque habitem in cordibus eorum ». Etiam *Bon.* docet per donationem Spiritus esse Dei hanc dilectionem in nobis et affert Rom. 5,5 et 1 Ioan. 4,13 quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et *Thom.* dicit melius ita exponi, ut dilectio qua dilexisti me in eos derivetur, et diligas eos sicut me dilexisti; atque eodem modo de Dei in nos dilectione intelligunt verba *Salm. Cai. Ians. Tol. Mald. Lap. Bar. Calm.* (hos ama, Pater, ut me amasti), *Corl. Schg. Kep. Fil.;* exponunt autem de nostra in Deum dilectione *Chr. Theoph. Euth. Schz.* (qui tamen pro ea acceptione perperam allegat Aug. Cyr. Tol. Calm. Schg., ut ex antea dictis apparet). Haec explicatio, qua *Schz.* vult id postulari ut nos Christum amemus, sicut Pater amat Filium, nequit admitti; Christus enim in tota hac oratione petit pro discipulis, pro se petit gloriam; mirum esset si in fine pro se peteret amorem discipulorum, idque subito et eo contextu ut diceret : notum feci et faciam nomen tuum eo fine, ut me diligant, sicut tu me dilexisti. — Sed quamvis ea explicatio nequeat admitti tamquam directus ac unicus verborum sensus, tamen omnino consequens est, ut sicut ex Dei in nos dilectione sequitur collatio beneficiorum et gratiarum, ita etiam ex eadem dilectione noster quoque in Deum amor a Deo excitetur; ex Dei in nos dilectione donatur nobis Spiritus sanctus inhabitans, qui utique in animis nostris caritatem

in Deum efficit. Ita omnino verum est Christum si Dei in nos amorem efflagitat, necessaria consequentia eadem petitione etiam efflagitare Dei beneficia nobis, inter quae donum praestantissimum est caritas. Unde bene quoque *Chr.* dicit hanc Christi precationem concludens : « viden' quomodo in optimum finem desiit, in dilectionem nempe, omnium matrem bonorum ».

Quamquam postulatio Christi v. 24-26 primo et directe pro discipulis fit, potest tamen dici Christum eadem implicite pro fidelibus petere. Nam hi quoque ei a Patre dantur; iam hisce promisit antea se daturum vitam aeternam (cf. 3,16; 5,24; 6,37. 40); hi quoque Deum cognoscunt, hisce notum fecit et facit nomen Patris; quare singula quae pro commendatione discipulorum affert, etiam aliquo modo fidelibus conveniunt; ergo etiam postulatio.

2. *Iesus gloriam suam manifestat in passione* 18,1-19,42.

In enarranda passione Ioannes quattuor praeprimis ob oculis habuisse videtur : gloriam Iesu qui volens libensque morti cruentae se offert tamquam verus Agnus Dei, malitiam principum, praesertim pontificum, narrationem synopticorum, quam et explicatione data ab errore vindicare et rebus narratis supplere voluit. Christum quidem nobis exhibet qui insidias proditoris minime fugit (18,2), qui omnia scit super se ventura, qui uno verbo aggressores prosternit, qui calicem a Patre sibi datum bibere vult (18,4-11), qui mediis in opprobriis ac perpessionibus eximia quadam dignitate ac maiestate loquitur (18, 20 seq. 19,11), qui summa quiete curam matris in cruce gerit, oculis quasi singula lustrat vaticinia, ut omnia impleat et tum demum cum omnia complesset caput inclinat et spiritum tradit (19,26 seq.). Ipso mortis die ac tempore et vaticinio singulari Dei providentia in eo impleto exhibetur verum nostrum pascha, Agnus paschalis (18,28; 19, 14). Principum malitia et perversitas praesertim elucet eo quod Pilatum qui Iesum omni culpa vacare saepius publice professus erat omni vi et astutia cogunt ad mortis sententiam ferendam (18,30; 19,7 seq.), et demum aperte abiiciunt et negant omnem exspectationem Messiae (19,15). Quae a synopticis iam narrata sunt aut plane omittuntur aut brevissime tantum attinguntur, quantum opus est, ut ea possint inseri, quae ad illorum narrationem aut explicandam aut pluribus supplendam necessaria sunt.

Ita explicat quomodo Petrus in atrium pontificis penetrare potuerit (18,15), explicat sermone Iesu ad Pilatum habito, quomodo iudex auditis accusationibus multis quae apud synopticos proferuntur, dici potuerit se nullam in eo invenire culpam; pariter ex eius demum narratione intelligitur, cur milites ei offerant acetum (19,28). Plurimis

autem narratio aliorum suppletur : Iesum trans torrentem Cedron egressum esse; adfuisse romanos milites, tribunum, cum caperetur; eos laternis et facibus fuisse instructos; Petrum eduxisse gladium, servum nomen Malchi habuisse; cuncta quae leguntur 18,4-9; Christi verba de calice a Patre sibi dato, Iesum esse ligatum, adductum ad Annam, Ioannem quoque secutum esse Iesum, ab eo Petrum inductum in atrium et ab ostiaria exploratum; totam illam apud Annam socerum Caiphae inquisitionem 18,19-23; primam Petri negationem factam esse, dum Iesus esset coram Anna; id quod 18,26. 28-31. 34-38 narratur, Petrum a cognato Malchi esse convictum mendacii, cur Iudaei non introierint in praetorium; eorum cum Pilato expostulationes, colloquium Iesu cum Pilato. Evangelistae nostro pariter propria sunt quae 19,4-16 narrantur, Iesum etiam crucem baiulasse; narratione hac suus verus assignatur flagellationi locus, qua usus est Pilatus ut ad miserationem animos Iudaeorum inclinaret, dum apud synopticos videri posset eam esse inflictam sententia mortis in Iesum iam dicta. Pariter propria sunt quae referuntur de titulo crucis 19,19-22, de tunica inconsutili, quam scindere milites nolebant; quae de matre ad crucem stante, quae curae Ioannis commendatur habentur; verbum Christi : sitio, consummatum est et ea quoque quae 19,31-37 habentur; item Nicodemum circa Domini sepulturam fuisse adeo sollicitum etc. — Ex quibus satis apparet Ioannem spectatorem et testem passionis hanc quoque narrationem aliorum voluisse illustrare et supplere.

a) Iesus capitur 18,1-12.

18,1. Haec quum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli eius. 2. Sciebat autem et Iudas qui tradebat eum, locum : quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Iudas ergo quum accepisset cohortem, et a pontificibus et pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. 4. Iesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quaeritis? 5. Responderunt ei : Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus : Ego sum. Stabat autem et Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos :

18,1. Ταῦτα εἰπὼν Ἰησοῦς ἐξῆλθεν σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶν Κέδρων, ὅπου ἦν κῆπος, εἰς ὃν εἰσῆλθεν αὐτὸς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 2. ᾔδει δὲ καὶ Ἰούδας, ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν, τὸν τόπον· ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἐκεῖ. 3. ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν, καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας, ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὅπλων. 4. Ἰησοῦς οὖν εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν, ἐξῆλθεν καὶ λέγει αὐτοῖς, Τίνα ζητεῖτε; 5. ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον. λέγει αὐτοῖς, Ἐγώ εἰμι Ἰησοῦς, εἱστήκει δὲ καὶ Ἰούδας ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν μετ' αὐτῶν. 6. ὡς οὖν εἶπεν αὐτοῖς, ἐγώ εἰμι, ἀπῆλθαν εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσαν χαμαί. 7. πάλιν οὖν ἐπηρώτησεν αὐτούς· Τίνα ζητεῖτε; οἱ δὲ

quem quaeritis? Illi autem dixerunt : Iesum Nazarenum. 8. Respondit Iesus : Dixi vobis quia ego sum; si ergo me quaeritis, sinite hos abire; 9. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.

10. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum; et percussit pontificis servum, et abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Iesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?

12. Cohors ergo et tribunus et ministri Iudaeorum comprehenderunt Iesum, et ligaverunt eum.

εἶπον, Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον. 8. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Εἶπον ὑμῖν, ὅτι ἐγώ εἰμι. εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν· 9. ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, ὅτι οὓς δέδωκάς μοι, οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα.

10. Σίμων οὖν Πέτρος ἔχων μάχαιραν, εἵλκυσεν αὐτὴν, καὶ ἔπαισεν τὸν τοῦ ἀρχιερέως δοῦλον, καὶ ἀπέκοψεν αὐτοῦ τὸ ὠτάριον τὸ δεξιόν. ἦν δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος. 11. εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς τῷ Πέτρῳ· Βάλε τὴν μάχαιραν εἰς τὴν θήκην. τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέν μοι ὁ πατὴρ, οὐ μὴ πίω αὐτό;

12. Ἡ οὖν σπεῖρα καὶ ὁ χιλίαρχος καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων συνέλαβον τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἔδησαν αὐτόν.

In v. 1 codd pler των κεδρων, aliq του κεδρων; ℵ* D του κεδρου Ti; a b d r cedri; sin post cedron add ad montem. In v. 3 sin Iudas proditor duxit secum cohortem et ex princ. sac. et phar. et min. et turbam populi portantes laternas et lampades et venit illuc; v. 4 et cum Iesus videret omne quod veniebat super eum. In v. 5 B solum habet εγω ειμι Ιησους, sin om ο παραδιδους. In v. 10 sin Simon Cephas eduxit gladium etc. In v. 11 pler codd mitte gladium in vaginam, uti gr. In v. 12 sin om συνελαβον.

Narrationem synopticorum evangelista et supponit et supplet. Effert Christum libere se tradidisse et documentum edidisse suae potentiae; v. 1 *haec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron;* nunc tandem id fit ad quod 14,31 adhortatus est; reliquit coenaculum et urbem et se contulit in regionem trans torrentem Cedron קִדְרוֹן (2 Sam. 15,23); inter montem oliveti qui urbi ab oriente obiacet et urbem interiecta est vallis profunda, φάραγξ, quae Κεδρών appellatur (*Iosephus*, Bell. iud. 5,2. 3), in qua valle erat χείμαρρος, torrens, qui fluit tempore hiemis, cui nomen Κεδρών turbidus, niger; cf. *Iosephus*, Antiq. 8,1. 5; 9,7. 3 (φάραγξ τοῦ Κεδρῶνος); vallis et torrens eodem nomine appellantur (cf. Bell. iud. 5,6. 1). Monent aliqui David quoque quum fugeret ab Absalom transgressum esse torrentem Cedron, sane tristem (2 Sam. 15,23; *Tol. Lap. Corl. Schg.*). Solus Ioannes eius torrentis mentionem facit, *ubi erat hortus*, scil. Gethsemani (cf. Matth. 26,36 χωρίον et Marc. 14,32) ad radices montis oliveti, *in quem introivit ipse et discipuli eius;* monent aliqui in horto omnis tristitiae nostrae initium fuisse, in horto paradisi; in horto quoque Christi passionem inchoari, qua veteris illius emendatio nobis obtingat (*Cyr. Theoph. Rup. Tol.*). « Ne vero hortum audiens in latibulum venisse putares addit » (*Chr. Theoph.*) v. 2 *sciebat au-*

tem et Iudas qui tradebat eum locum, *quia frequenter Iesus convenerat illuc cum discipulis suis*, praesertim etiam ultimis diebus ante passionem, uti Luc. 21,37 narratur : erat autem diebus docens in templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur oliveti. Cui consuetudini etiam eo die insistens elegit ire ad locum proditori notum.

Quae in horto gesta sunt usque ad adventum proditoris, evangelista utpote ex synopticis nota omittit. Immerito aliqui obiecerunt ad imaginem illam quam evangelista de Christo nobis transmiserit non convenire tristitiam illam et agoniam quam synoptici nobis descripserint. Nam ipse quoque evangelista iam 11,33. 38 satis ostendit Christum etiam, si velit, variis affectibus commoveri, et insuper statim in v. 11 aperte alludit ad orationem in horto factam; praeterea Christum instante passione turbari angique, minime ille evangelista potuit velle negare, qui narrat passione nondum instante Christum dixisse : nunc anima mea turbata est; et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora (12,27). Nonne haec verba prae se ferunt eundem affectum quem synoptici describunt? Omittens itaque agoniam in horto eam negare nec voluit nec potuit; v. 3 *Iudas ergo cum accepisset cohortem et a pontificibus et pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis;* cohors, σπεῖρα et v. 12 tribunus χιλίαρχος; proin milites quoque romani aderant. Neque id mirum est; potius mirum esset, si non adfuissent. Post sollemnem illum Iesu in urbem ingressum pharisaei dicebant : ecce mundus totus post eum abiit (12,19), timebant ne si palam eum tenerent, tumultus fieret in populo (Marc. 14,2), sciebant multos in urbe adesse Galilaeos; quare omnino necessarium esse putabant, ut auctoritate publica romana et caperetur et milite romano praesente, si quis fieret conatus defensionis vel tumultus asseclarum eius, statim vi et armis reprimeretur, vel etiam, ut milite praesente iam nemo resistere vel repugnare auderet. Quare probabile est eos etiam praesidi nuntium misisse, capiendum esse virum valde infestum et insidiosum et ad id prospere peragendum opus esse milite. Et quae in v. 29-31 legimus, suadent Pilatum iam antea certiorem factum esse. In arce Antonia erat praesidium romanum (τάγμα Ῥωμαίων, *Iosephus*, Bell. iud. 5,5. 8), quod diebus festis etiam maiore numero praesto erat. Cohors, σπεῖρα, proprie est decima pars legionis romanae; apud Polybium dicitur saepius de tricesima parte, de manipulo (tertia parte cohortis) et adhibetur de qualibet caterva militum (uti Iudith 14,11; 2 Mach. 8,23); qua notione hoc loco habetur. Milites isti ad custodiam additi erant, ut Iesus tuto comprehenderetur et ad synedristas adduceretur. A principibus sacerdotum et

pharisaeis i. e. a synedristis (cf. Matth. 26,47; Marc. 14,43 utroque loco etiam seniores populi nominantur) missi sunt ministri synedrii, apparitores, quorum erat Iesum captum et a militibus, si opus esset, custoditum et defensum, ad synedristas adducere. Isti ministri fustibus partim armati erant (Matth. 26,55; Marc. 14,48; Luc. 22,52) partim gerebant laternas, λαμπάδας, vasa quae lucem velatam, transparentem continent, et faces, φανούς, taedas. Erat quidem plenilunium; at magna cautione et circumspectione rem aggrediuntur. Si forte nubes lunam occultarent vel in ipso horto Iesus et discipuli in latibulis sese absconderent, faces secum ferunt et ne forte vento lumina exstinguerentur, etiam laternas gerunt. Milites suis armis incedunt instructi. Mentionem militum synoptici quoque gladiis nominatis ingerunt; accurate id Ioannes narrat.

Iudae osculum, ex synopticis notum, hic omittitur. Hoc proditionis signo dato vult Iesus ut illi qui venerant, inter quos erant quoque principes sacerdotum et magistratus templi et seniores (Luc. 22,52), palam profiteantur quem quaerant et Christi experiantur potentiam, ex qua et ipsis et omnibus innotesceret Iesum se tradere voluntarie et sponte v. 4 *Iesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum* (cf. 2,25; 13,3), *processit*, ἐξῆλθεν, *Nonn.* κῆπον ἐάσας, ex horto egressus est (*Schz.*); neque tamen id necessarium est (cf. v. 26), sufficit, ut egressus e loco, ubi a Iuda est salutatus, iis obviam ierit, quos post se Iudas reliquit occurrens Domino, *et dixit eis : quem quaeritis?* interrogat eos qui agmen ducebant, scil. ministros synedristarum, quibuscum etiam synedristae aliqui admixti erant; milites solum ad custodiam cautionis causa additi agmen claudebant; v. 5 *responderunt ei* illi priores : *Iesum Nazarenum; dicit eis Iesus : ego sum;* ex qua quaestione et responsione veteres aliqui concluserunt eos divinitus fuisse excaecatos ita ut nemo, ne Iudas quidem, Christum agnoverit (cf. *Chr. Theoph. Cyr. Thom. Tol. Mald.*); at id neque indicatur in narratione neque ex narratis sequitur; ex apparitoribus sat multi fortasse Iesum non cognoverunt, sciebant solum eum debere comprehendi; ne igitur errarent, Iudas illud dederat signum; sed quia Iudas, ut proditionem suam quantum posset velaret, aliqua festinatione processerat salutaturus Iesum, facile fieri poterat, ut multi non clare viderint quem illorum qui in horto stabant osculatus sit. Iudas osculo dato cum reliquis discipulis Iesum satellitibus obviam euntem comitatus est; *stabat autem et Iudas qui tradebat eum cum ipsis*, ita iterum prope apparitores erat quos in hortum adduxerat (cf. Matth. 26,49. Marc. 14,45 : Luc. 22,47 : antecedebat eos et appropinquavit Iesu); v. 6 *ut ergo dixit eis : ego sum*, *abierunt retrorsum et*

ceciderunt in terram; ceciderunt ii quos interrogaverat et qui responderunt; ita ex v. 4-6; proin non omnes, sed qui priores accesserant; nam id ad omnes (etiam milites romanos qui agmen claudentes in recessu erant et nihil de eo colloquio audiebant) extendere, narratione non suadetur. Christus praeprimis synedristis, auctoribus sceleris, suam vult iterum ostendere et manifestam facere potentiam, quod non ex imbecillitate caperetur. Id iam saepius iis palpabile reddidit (cf. 7,30; 8,20. 59; 10,39; 11,53), et ea re gesta declarantur optime verba quae apud synopticos synedristis dicit: quotidie eram apud vos in templo docens et non me tenuistis — sed ut adimpleantur Scripturae; haec est hora vestra et potestas tenebrarum (Marc. 14,49; Luc. 22,53). Ita eis ostendit se non capi ipsorum insidiis, armis, sed altiore divino consilio. Iterum igitur illa prostratione eis gratiam offert.

At illi in sua obstinatione permanent; quod abeunt retrorsum et cadunt in terram, referri debet ad ostensionem potentiae Christi; id explicare ex quodam terrore naturali propter quaestionem ac responsionem inopinatam, vanum est et ridiculum. Venerunt enim ad eum capiendum, sciebant eum esse praesentem, Iudas signum proditionis dederat; quomodo itaque apparitores tam subito magnoque terrore voce illa *ego sum* corripi potuissent, nisi voluntas Iesu eos deiecisset? « ego sum, dicit, et impios deiicit; quid iudicaturus faciet qui iudicandus hoc fecit? quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit » (*Aug.*)? In ea prostratione cernunt adumbrari casum et ruinam universalem gentis iudaicae (cf. *Theoph. Cyr. Thom.*); v. 7 *iterum ergo interrogavit eos : quem quaeritis? illi autem dixerunt : Iesum Nazarenum*, v. 8 *respondit Iesus : dixi vobis quia ego sum; si ergo me quaeritis, sinite hos abire;* « usque ad ultimam horam suam erga suos benignitatem exhibet » (*Chr.*). Ex hisce verbis et ex v. 9 erui videtur. synedristis in animo fuisse etiam in discipulos animadvertere. Christus enim praecipit, ut non capiant discipulos, sed ut eos immunes abire sinant; discipulis autem indicatur, non beneficio satellitum, sed Iesu voluntate se posse libere abire (cf. *Cai.*) v. 9 *ut impleretur sermo quem dixit : quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam;* cf. 17,12; vide post tantillum scribendi intervallum evangelistam tamen non verbotenus sermonem Christi referre; nihil igitur admirationis relinquitur, si aliis quoque in locis verba veterum librorum sacrorum non eadem afferuntur. In cura et sollicitudine qua Iesus suos hic immunes reddit ab odio synedristarum eum cernit evangelista animi affectum expressum quem Christus 17,12 pandebat; et merito; nam revera eos *custodit* (17,12) a periculo et persecutione, damnum

ab eis avertit, cavet, ne sibi eripiantur. Nam si tum capti fuissent, fortasse timore victi Christum negassent et culpam contraxissent. Christum 17,12 locutum esse de perditione corporis et animae, censet *Chr.;* apostolos tunc nondum sic credidisse quomodo credant qui non pereunt; idcirco si tunc occisi essent futurum fuisse ut perirent *Aug.* opinatur; imbecilles quippe adhuc erant, ait *Rup.;* si negarent et negantes tamen interficerentur, in illo indiscreto tumultu procul dubio perderentur (cf. *Tol.*); *Rup.* aliter quoque concipi posse censet: sed esto, ut fortassis non negantes aliqui occiderentur; nonne quodammodo etiam sic perderentur, qui minime ad illud propter quod fuerant electi pervenire sinerentur?

Cum iam propius ad Iesum accederent et manus in eum iniicere velle viderentur, v. 10 *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum et percussit pontificis servum et abscidit auriculam eius dexteram; erat autem nomen servi Malchus;* utroque nomine prolato Petri et servi narrationem synopticorum supplet evangelista; « nec sine causa auriculam dexteram dicit, sed, ut puto, quo apostoli impetum declararet quod ipsum fere caput impeteret » (*Chr.*). Ictum in caput servi intendit Petrus, servus ictum obverso capite declinat ita, ut auricula dextera percutiatur. Servus ille prae aliis sese proripiens manus Iesu inferre tentavit. Nomen Malchus (מֶלֶךְ, *Schz. Corl.*, מלח *Schg.*) alias quoque reperitur (cf. *Iosephus*, Antiq. 1,15; plura vide apud *Schg. Wetstein*). Petrus pro indole sua praecipite agit et cum tanta prope esset turba, animum ostendit fortem confidens Domino quem, uti saepius iam insidias elusit, ita nunc quoque cum suis incolumem abiturum esse credebat. Eius itaque facinus ex fide et amore in Iesum declaratur. Nisi enim fide in Iesu potentiam plane imbutus fuisset, nunquam audere potuit in conspectu turbae unus omnes provocare et lacessere. Quare a limine quoque reiicitur sententia quorundam, qui Ioannem nomen Petri animo in eum haud benevolo adscripsisse velint. Petrus revera expertus est potentiam Iesu; nam nemo ei propter audax facinus quidquam negotii facessit; v. 11 *dixit ergo Iesus Petro: mitte gladium tuum in vaginam; calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* omittit verba quae Matthaeus retulerat (26,52-54), sed addit quae ille non adiunxerat; Iesus meminit orationis in horto: non quod ego volo, sed quod tu. Simul Petrum docet se comprehendi ex divina dispensatione; hanc esse Patris voluntatem, hanc sortem a Patre sibi attributam. De metaphora calicis vide ad Matth. 20,22 (Comment. II. p. 185). Libens et volens Iesus se tradit in manus inimicorum; accipit calicem; nam « sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio » (14,31) v. 12 *cohors ergo et tribunus et ministri Iudaeorum*

comprehenderunt Iesum et ligaverunt eum, Iesum iam in horto esse ligatum unus refert Ioannes; sequuntur ministri consilium Iudae : ducite caute (Marc. 14,45). Ostenduntur nobis gentiles et Iudaei solliciti, ut Iesus comprehenderetur.

b) **Negatio Petri 18,13-27.**

18,13. Et adduxerunt eum ad Annam primum : erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudaeis : Quia expedit unum hominem mori pro populo.

15. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Iesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non sum.

18. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se; erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis, et de doctrina eius. 20. Respondit ei Iesus : Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes Iudaei conveniunt; et in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quae dixerim ego. 22. Haec autem quum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens : Sic respondes pontifici? 23. Respondit ei Iesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis eius es? Negavit ille, et dixit : Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis,

18,13. Καὶ ἤγαγον πρὸς Ἄνναν πρῶτον. ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα, ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. 14. ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας τοῖς Ἰουδαίοις, ὅτι συμφέρει ἕνα ἄνθρωπον ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ λαοῦ.

15. Ἠκολούθει δὲ τῷ Ἰησοῦ Σίμων Πέτρος, καὶ ἄλλος μαθητής. ὁ δὲ μαθητὴς ἐκεῖνος γνωστὸς ἦν τῷ ἀρχιερεῖ, καὶ συνεισῆλθεν τῷ Ἰησοῦ εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως· 16 ὁ δὲ Πέτρος ἱστήκει πρὸς τῇ θύρᾳ ἔξω. ἐξῆλθεν οὖν ὁ μαθητὴς ὁ ἄλλος ὁ γνωστὸς τοῦ ἀρχιερέως, καὶ εἶπεν τῇ θυρωρῷ, καὶ εἰσήγαγεν τὸν Πέτρον. 17. λέγει οὖν τῷ Πέτρῳ ἡ παιδίσκη ἡ θυρωρός, Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν εἶ τοῦ ἀνθρώπου τούτου; λέγει ἐκεῖνος, Οὐκ εἰμί.

18. ἱστήκεισαν δὲ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ὑπηρέται ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, ὅτι ψῦχος ἦν, καὶ ἐθερμαίνοντο· ἦν δὲ καὶ ὁ Πέτρος μετ' αὐτῶν ἑστὼς καὶ θερμαινόμενος. 19. Ὁ οὖν ἀρχιερεὺς ἠρώτησεν τὸν Ἰησοῦν περὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ. 20. ἀπεκρίθη αὐτῷ Ἰησοῦς, Ἐγὼ παῤῥησίᾳ λελάληκα τῷ κόσμῳ· ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν συναγωγῇ καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, ὅπου πάντες οἱ Ἰουδαῖοι συνέρχονται, καὶ ἐν κρυπτῷ ἐλάλησα οὐδέν. 21. τί με ἐρωτᾷς; ἐρώτησον τοὺς ἀκηκοότας, τί ἐλάλησα αὐτοῖς· ἴδε, οὗτοι οἴδασιν ἃ εἶπον ἐγώ. 22. ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, εἷς παρεστηκὼς τῶν ὑπηρετῶν ἔδωκεν ῥάπισμα τῷ Ἰησοῦ, εἰπών, Οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ; 23. ἀπεκρίθη αὐτῷ Ἰησοῦς, Εἰ κακῶς ἐλάλησα, μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις;

24. ἀπέστειλεν οὖν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα. 25. Ἦν δὲ Σίμων Πέτρος ἑστὼς καὶ θερμαινόμενος· εἶπον οὖν αὐτῷ, Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶ; ἠρνήσατο ἐκεῖνος, καὶ εἶπεν, Οὐκ εἰμί. 26. λέγει εἷς ἐκ τῶν δούλων τοῦ

cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus; et statim gallus cantavit.

ἀρχιερέως, συγγενὴς ὢν οὗ ἀπέκοψεν Πέτρος τὸ ὠτίον, Οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ μετ' αὐτοῦ; 27. πάλιν οὖν ἠρνήσατο Πέτρος, καὶ εὐθέως ἀλέκτωρ ἐφώνησεν.

Post v. 13 sin habet v. 24. In v. 15 sin Simon autem Cephas et unus ex discipulis notus erat pontifici, ideo ingressus est cum Iesu in atrium, sin non habet v. 16.17.18 nisi post v. 23; in v. 19 de discipulis : qui essent et de doctrina qualis esset; et v. 23 sin : dixit ei Iesus : bene locutus sum; cur caedis me?

Iesum comprehensum et ligatum v. 13 *adduxerunt eum ad Annam primum;* milites romani recesserunt, quam primum Iesus adductus erat in domum Annae; de eo vide ad Luc. 3,2; cur ad Annam adducatur, ratio redditur : *erat enim socer Caiphae qui erat pontifex anni illius,* ut socer eius qui eo tempore pontifex erat — Caiphas pontificatum gessit an. 18-36 — auctoritate pollebat, qua Caiphas quoque in rerum administratione plurimum regebatur. Quanta fuerit auctoritate, sequitur ex Act. 4,6 quoque. Voluit itaque Caiphas ut socero honoris causa Christus primo sisteretur; hanc igitur urbanitatem gener utile censebat socero exhibere, qui videns Iesum captum maligno gaudio replendus erat et cuius sententia vel iudicium contra Iesum plurimum valebat apud omnes. Quo vero animo Caiphas esset et quomodo iam ante omnem disquisitionem iudicialem sententia mortis in Iesum esset lata, voluit evangelista in memoriam revocare v. 14 *erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudaeis : quia expedit, unum hominem mori pro populo;* vide 11,49; « cur iterum prophetiam nobis in memoriam reducit evangelista? ut pro salute hoc factum esse significet » (*Chr.*).

Iam quaestio est discutienda, utrum ea quae narrantur in v. 15-23 gesta sint apud Annam, an apud Caipham. Cum in v. 24 demum legatur : et misit eum Annas ligatum ad Caipham, res primo aspectu videtur satis clara, haec scil. apud Annam esse acta; quare veteres communiter, ut *Ians.* dicit, ea apud Annam facta esse existimarunt, quam sententiam *Bar.* quoque vulgarem appellat. Altera sententia, haec apud Caipham geri, iam cernitur apud *Cyr.* qui affert textum post v. 13 : miserunt autem eum ligatum ad Caipham etc.; eodem modo versio syriaca nuper inventa habet post v. 13 statim v. 24 (vide lect. var.); eandem sententiam sequuntur *Salm. Tol. Ians. Sa, Bar. Lap. Mariana, Tirinus, Nat. Corl. Fil.* Verum haec apud Annam evenisse docent *Chr. Theoph. Euth. Aug. Rup. Alb. Thom. Bon. Cai. Calm. Patr. Schg. Schz. Weiss, Keil,* quam sententiam tenendam esse equidem censeo. Nam quae v. 19-23 narrantur, plane non congruunt cum eis quae coram Caipha fiunt; ibi Iesus privatim interrogatur de doctrina et discipulis; hic instituitur disquisitio iudicialis i. e. reo adducto testes

surgunt et testimonia dicunt; ibi Iesus respondet, hic tacet et solum adiuratione per Deum facta edicit quis sit; ibi nulla fertur sententia, hic reus mortis declaratur. Unde, si nunc v. 24 legitur : et misit eum Annas etc., ex antecedentibus omnino suadetur, hunc versum rite poni suo loco et ordine, immo ipso suo loco rem clare definiri. Unum tamen videtur obstare, quae est ratio potissima, cur alii alteram sequantur sententiam; vocatur enim in v. 13 Caiphas pontifex, item in v. 24. 26; quare dicunt : solus Caiphas vocatur in hac narratione pontifex, ergo etiam in v. 15. 16. 19. 22 titulus pontificis ad unum Caipham referri debet. At debet attendi modo in v. 3 sermonem fuisse de pontificibus; pontifices legi quoque 7,45; 11,47. 56; 18,35; 19,6. 15. 21; unde alterum quoque praeter Caipham appellari pontificem i. e. Annam, profecto res est maxime obvia. Unde ex solo hoc titulo non potest concludi de Caipha esse sermonem. Insuper iam *Thom. Bon. Cai. Schz.* monent merito ita designari Annam ab evangelista propter Luc. 3,2; declarat evangelista, cur Lucas praeter Caipham Annam quoque pontificem scripserit. Hisce adde, quae modo dicta sunt de inquisitione plane diversa et adde v. 24; cum itaque argumentum illud ex titulo depromptum pro Caipha non subsistat, iam nulla est ratio, cur vetus illa et vulgaris opinio relinquatur.

Qui eam relinquunt, explicant in v. 24 ἀπέστειλεν per modum temporis plusquamperfecti : *miserat;* at id nequit admitti; nam aoristus ea notione solum adhibetur in sententiis secundariis, quae particula temporali vel relativa sententiae primariae subiunguntur [1] (cf. *Winer* 40,5; *Krüger* 53,6. 1). Neque obstat quod synoptici narrant Christum ad Caipham esse adductum et tres negationes Petri in atrio Caiphae domus contigisse. Matthaeus enim et Marcus ita narrant, ut appareat eos velle id unum statim efferre Iesum ad synedristas et ad disquisitionem iudicialem esse adductum : at illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham, ubi scribae et seniores convenerant (Matth. 26,57; sim. Marc. 14,53); Lucas 22,54 : duxerunt ad domum principis sacerdotum; id quod omnino verum est; nam ex narratione Ioannis merito colligitur, Annam et Caipham in eadem domo habitasse. Id consequitur ex v. 18 et v. 25 (cf. *Patr. Schg. Schz. Fil.;* vide ad v. 25). Uti synoptici alia quoque omiserunt, ita inquisitionem illam apud Annam, quae nullius fere momenti erat, facile praeterire poterant. Ioannes itaque refert id quod illi omiserunt; e contra omittit quod apud illos satis erat declaratum, scil. ea quae apud Caipham acta sunt. Deprehendimus itaque idem quod alias quoque Ioannes observare solet

1. Ioan. 4,45 et 18,12 res antea facta per modum narrationis commemoratur; unde iis locis norma illa non evertitur.

neque valet argumentatio quorundam (cf. *Fil.*) : sessionem illam principalem apud Caipham Ioannes omittere non potuit; ergo haec nobis narratur, seu indicatur in v. 19-23. Quae argumentatio prorsus similis est huic : precationem in Gethsemani omittere non potuit, ergo haec habetur in cap. 17; ita utique *Rup.* censuit; at nullum invenit laudatorem.

Discimus a Ioanne primam Petri negationem contigisse, dum Christus coram Anna adstitit; v. 15 *sequebatur autem Iesum Simon Petrus et alius discipulus*, scil. ipse Ioannes; « ipse qui haec scripsit; et cur se non nominat? nam cum supra pectus Iesu recubuit, iure nomen occultat; nunc autem cur id ipsum facit? eadem certe de causa; nam hic quoque rem praeclaram narrat, quod nempe omnibus aufugientibus ipse sequeretur » (*Chr.* sim. *Cyr.*); paucissimi sunt qui de alio cogitent, de aliquo plane incognito, de aliquo incola urbis, de Iacobo fratre Domini, de Iacobo filio Zebedaei, de Iuda (cf. apud *Schz. Weiss*). Etiam hic narratio synopticorum multum suppletur et declaratur, quomodo Petrus in atrium domus admissus sit. Petrus enim, uti Ioannes, amore Iesu impulsus sequitur, « ei adhaeret, ferventius eo properans et nullo periculi metu sequitur » (*Cyr.*). Isti « duo discipuli plus prae ceteris diligebant Christum; unde primi venerunt ad monumentum (20,3) et quia eos ad invicem maior vis dilectionis uniebat; unde saepe in evangelio iunguntur (Luc. 22,8; cf. 5,10; 8,51; 9,28) et in Act. 3,1; 8,14 » (*Thom.*); *discipulus autem ille erat notus pontifici* γνωστός, cognitus, notus, familiaris (non dicit cognationem vel propinquitatem); inde explicant, quod nomen quoque servi pontificis, Malchi, noverit. Quia notus erat in domo Annae, statim ingredi ei permissum est : *et introivit cum Iesu in atrium pontificis;* ita enim domus nobiliores solebant instrui, ut ingressos per ianuam seu portam exciperet αὐλή, quae ipsis palatii aedificiis erat cincta.

Petrus, utpote ignotus ianitrici, non intromittebatur v. 16 *Petrus autem stabat ad ostium foris;* Ioannes ingressus advertit Petrum non esse admissum; *exivit ergo discipulus alius qui erat notus pontifici et dixit ostiariae et introduxit Petrum;* scil. Ioannes; aliqui explicant : ostiaria introduxit (*Chr. Theoph. Schg.*). Ioannes itaque effecit, ut Petro permitteretur ingredi i. e. eum introduxit. Neque enim cogitandum est Ioannem se Petro quasi socium seu comitem adiunxisse, sed permissione pro Petro obtenta festinavit rediens ad Iesum qui iam in ipsas aedes pontificis ex atrio erat inductus; v. 17 *dicit ergo Petro ancilla ostiaria,* sane curiositate feminea et garrulitate : *numquid et tu,* sicut ille alter Ioannes, quem novit, *ex discipulis es hominis*

istius? miserantis vocem, non despicientis agnoscunt *Chr. Theoph.;* quando Petrum sit allocuta, non accurate designatur. Ab Ioanne discimus fuisse ostiariam, a qua Petrus ad primam negationem est inductus, dum alii de ancilla quadam, de una ex ancillis summi sacerdotis loquuntur; *dicit ille : non sum,* « ecce columna firmissima ad unius aurae impulsum tota contremuit; ubi est illa promittentis audacia et de se plurimum praefidentis? hoccine est sequi magistrum se negare discipulum » (*Aug.*)? Ne quid molestiae sibi ab ancilla garrula crearetur, Petrus praeceps sine ulteriore consideratione negat timens ne a servis et apparitoribus qui Iesum vinctum adduxerant et fortasse iam male tractaverant etiam ipse male adhibeatur.

Aliquod cernitur discrimen in utraque narratione Ioannis et synopticorum. Nam apud hos prius narratur Petrum sedisse cum ministris ad ignem et ita ad eum accessisse ancillam; Ioannes eam conditionem commemorat quaestione ancillae et responsione Petri narratis v. 18 *stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se; erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se;* sed contradictio non adest; nam Ioannes non dicit quando ancilla eum allocuta sit et hanc conditionem ita affert, ut facile concipi possit ea opportunitate ancillam usam esse ad quaestionem ponendam, prout apud synopticos legitur. Utique si quis *fingit,* ancillam ostiariam, antequam Petrum admitteret vel dum is ianuam ingrederetur, interrogasse, quia periculosum videretur asseclam Iesu admittere, is vix negare potest plane aliter rem exhiberi apud Ioannem. At si nihil *fingitur,* sed sola narratio simplex consideratur, nulla reperiri potest contradictio. Neque verba alia et alia tale constituunt discrimen. Nam, ut iam *Aug.* adnotavit, solent evangelistae non iisdem verbis rem eandem explicare, sed servato eodem sensu variis uti verbis (de cons. evang. 2,12. 27; *M.* 34,1090).

Non sine causa narrat Ioannes se introisse cum Iesu; erat itaque testis eorum quae apud Annam gesta sunt; unde narrare potest quod apud alios desideratur v. 19 *pontifex ergo interrogavit Iesum de discipulis suis et de doctrina eius;* quasi enim novatorem et seditiosum voluit eum arguere; unde quaerit cur collegerit discipulos; quaerit de doctrina, si forte inveniat occasionem eam ut Moysi adversariam traducendi (*Chr. Theoph.*). Cum iudicialis inquisitio apud synedristas fieret, Annas sibi odioque suo in Iesum satisfacere voluit malitiose delectatus quod Iesum vinctum coram se videbat. Sed quia personam iudicis assumens quaestionem instituit, recte monet Iesus non ex reo esse quaerendum, sed testes vocandos; v. 20 *respondit ei Iesus : ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in tem-*

plo, quo omnes Iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil; « et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur; quis namque in occulto loquitur qui coram tot hominibus loquitur, cum scriptum sit in ore duorum vel trium testium stabit omne verbum (Deut. 19,15); praesertim si hic loquitur paucis quod per eos vult innotescere multis : quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine » (Matth. 10,27; *Aug.*). Unde si causam accusandi obtinere vult, non licet ipsum reum interrogare v. 21 *quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis; ecce hi sciunt quae dixerim ego;* erat quaestio insuper etiam inepta; nam reus non potest censeri interrogatus de doctrina velle exponere ea praecise capita doctrinae quae offensioni sint materiamque accusationis praebeant. Unde Iesus innuit pontificem et illicite et insuper ad rem inepte quaerere. De discipulis Iesus nihil respondet; « satis enim constabat eos non esse nisi doctrinae auditores; unde de hac doctrina respondisse sufficeret » (*Corl.*); pendebat enim totum de doctrina et discipulos ab omni inquisitione liberare volebat; immo eos defendit dicens, non eos solos, sed omnes audisse doctrinam (*Tol.*).

Unus ex ministris adulari volens pontifici et zelum honoris eius prae se ferre, sciens quanto odio ab omnibus habeatur Christus ideoque sibi omnia impune licere iudicans, non erubuit flagitium patrare (*Tol.*) v. 22 *haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu,* ῥάπισμα alapam communiter explicant, quamquam etiam verber vel ictus virgae aut baculi flagellive ea voce designatur, *dicens : sic respondes pontifici?* « quid hoc petulantius fuerit? exhorresce coelum, contremisce terra de Domini patientia et de servorum scelere » (*Chr.*) et de pontificis iniustitia (*Tol.*) qui in Iesum animadvertere permittit contra ius et fas, ac si esset proscriptus et omnium ludibriis traditus. Mirum est quod *Chr. Euth.* putant a Malcho fuisse Christum percussum; sed, ut alia omittantur, Malchus erat servus pontificis δοῦλος, non unus ex apparitoribus (τῶν ὑπηρετῶν). Bene dicit *Rup.* de hoc satellite : fortis percussor et mollis adulator; Christus autem accepit iniuriam, servavit patientiam, reddidit doctrinam (*Rup.*) v. 23 *respondit ei Iesus : si male locutus sum, testimonium perhibe de malo*, me accusa et testare et proba; *si autem bene, quid me caedis?* « suaviter quidem et mansuete dictum, sed iustissime inventum et gravissime est prolatum; etsi male locutus fuissem, inquit, nullam nisi iussus caedendi haberes potestatem, imo nec praeceptum sive potestatem accipere aequum esset, nisi dicta prius causa et a censoribus libera sententia; tuum quippe erat accusare causamque dicere

qua probares malam esse locutionem » (*Rup.*); non iudicium hoc erat, sed tumultus et violentia (*Chr.*).

Annas non potuit non sentire, quam iusta esset utraque Christi responsio; et si adhuc homo frontis inverecundae potuit erubescere, debuit confundi coram suis, quia eius interrogandi modus tam praeclare repudiatus erat; unum ei relinquebatur, ut quam citissime se ex angustiis expediret; unde v. 24 *et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem;* quam apte hoc post antecedentia sequatur neminem fugere poterit. Apud Caipham interea, dum Iesus erat coram Anna, convenerunt synedristae; ibi nunc fit iudicialis inquisitio; non ipse Iesus primum interrogatur, sed exquiruntur indicia testium, testimonia (Matth. 26,59; Marc. 14,55). En, alius plane procedendi modus.

Ioannes etiam nunc, dum Iesus est apud Caipham, Petrum exhibet iisdem verbis eodemque in loco stantem, uti in v. 18, cum tamen alias mutationem loci accurate efferre soleat (cf. v. 1. 13. 24. 28. 29. 33. 38); v. 25 *erat autem Simon Petrus stans et calefaciens se;* repetit verba ex v. 18, ut indicetur Petrum in eodem loco consistere et alteram ac tertiam negationem contigisse, dum Christus coram Caipha accusaretur. Ex qua repetitione simul consequitur esse atrium idem et Annae et Caiphae, proinde etiam idem esse palatium, in quo uterque habitabat; unde patet synopticos etiam ea in re accurate narrare, dum scribunt Iesum adductum esse ad domum principis sacerdotum (Luc. 22,51), ad summum sacerdotem (Marc. 14,53), ad Caipham (Matth. 26,57). Alteram et tertiam negationem breviter narrat Ioannes; pluribus referunt synoptici; *dixerunt ergo ei : numquid et tu ex discipulis eius es?* illud καὶ σύ *et* tu explicatur eo quod alia quaedam dixerat circumstantibus : et hic erat cum Iesu Nazareno (Matth. 26, 71. Marc. 14,69); unde hi nunc ex eo quaerunt : numquid *et* tu (uti Luc. 22,58 : *et* tu de illis es); *negavit ille et dixit : non sum;* negavit cum iuramento (Matth. 26,72). Inter alteram et tertiam negationem intercessit aliquod temporis intervallum, prout Lucas 22,59 et Marcus 14,70 et Matthaeus 26,73 nos docent; pariter intervallum erat inter primam et alteram; nam post primam exiit Petrus foras ante atrium (Marc. 14,68; ἐξελθόντα εἰς τὸν πυλῶνα Matth. 26,71), mox tamen rediit in atrium. Ad tertiam negationem Ioannes iterum aliorum narrationem supplet ostendens praeter loquelam qua se Galilaeum pandebat Petrus, etiam aliud gravissimum testimonium ei esse obiectum : v. 26 *dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam : nonne ego te vidi in horto cum illo?* v. 27 *iterum ergo negavit Petrus et statim gallus cantavit;* fuerunt qui putarent Ioannem infesto

contra Petrum animo scripsisse; illi praeter alia advertere debuerunt hanc narrationem; nonne potius parcere videtur Petro? dum alii scribunt : coepit detestari et iurare, anathematizare et iurare (Matth. Marc.), Ioannes solum dicit : iterum negavit. Idem advertere potes in altera negatione. Ceterum Petrus contra confessionem fidei deliquit, non ipsam negavit fidem; vide quae pluribus exposui in Comment. Matth. II p. 481 seq. Marc. p. 403; Luc. p. 597 seq.

c) Pilatus quaerit dimittere Iesum 18, 28-40.

18,28. Adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane; et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei : Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

33. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Iesum, et dixit ei : Tu es rex Iudaeorum? 34. Respondit Iesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus : Numquid ego Iudaeus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? 36. Respondit Iesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudaeis; nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Iesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? et quum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis ut unum di-

18,28. Ἄγουσιν οὖν τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον. ἦν δὲ πρωΐ· καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλὰ φάγωσιν τὸ πάσχα. 29. ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πειλᾶτος ἔξω πρὸς αὐτοὺς, καί φησιν, Τίνα κατηγορίαν φέρετε τοῦ ἀνθρώπου τούτου; 30. ἀπεκρίθησαν καὶ εἶπαν αὐτῷ, Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακὸν ποιῶν, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν. 31. εἶπεν οὖν αὐτοῖς Πειλᾶτος, Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν. εἶπον αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα· 32. ἵνα ὁ λόγος τοῦ Ἰησοῦ πληρωθῇ, ὃν εἶπεν σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν.

33. Εἰσῆλθεν οὖν πάλιν εἰς τὸ πραιτώριον ὁ Πειλᾶτος, καὶ ἐφώνησεν τὸν Ἰησοῦν, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; 34. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ἀπὸ σεαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι εἶπόν σοι περὶ ἐμοῦ; 35. ἀπεκρίθη ὁ Πειλᾶτος, Μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός εἰμι; τὸ ἔθνος τὸ σὸν καὶ οἱ ἀρχιερεῖς παρέδωκάν σε ἐμοί· τί ἐποίησας; 36. ἀπεκρίθη Ἰησοῦς, Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου· εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ, οἱ ὑπηρέται οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο ἂν μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις· νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν. 37. εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Πειλᾶτος, Οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, Σὺ λέγεις, ὅτι βασιλεύς εἰμι. ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας ἀκούει μου τῆς φωνῆς. 38. λέγει αὐτῷ ὁ Πειλᾶτος, Τί ἐστιν ἀλήθεια; Καὶ τοῦτο εἰπὼν, πάλιν ἐξῆλθεν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, καὶ λέγει αὐτοῖς,

mittam vobis in pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

Ἐγὼ οὐδεμίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν. 39. ἔστιν δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ἀπολύσω ὑμῖν τῷ πάσχα· βούλεσθε οὖν ἀπολύσω ὑμῖν τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; 40. ἐκραύγασαν οὖν πάλιν λέγοντες, Μὴ τοῦτον, ἀλλὰ τὸν Βαραββᾶν. ἦν δὲ ὁ Βαραββᾶς λῃστής.

In v. 28 sin : et quando illucescebat duxerunt Iesum a Caipha et adduxerunt eum in praetorium et tradiderunt eum praesidi; ipsi autem. In v. 29 om εξω in A Γ Λ Δ unc 7 al longe plu q sah cop. In sin deperdita sunt 18,32-19,39. In v. 36 om *utique* a b e am ben cav dun cpt fuld ger for med rush st corp lind. In v. 39 e unum reum; unum vinctum dub rush; ut unum dimittam vobis vinctum eg; om vobis dub ger car mt val. In v. 40 add *ergo* b c ff² q hent.

Quae apud Caipham acta sunt, omittuntur utpote ab aliis sufficienter narrata (cf. Matth. 26,57-68; Marc. 14,55-65; Luc. 22,66-71); statim transit ad ea quae mane gesta sunt v. 28 *adducunt ergo Iesum a Caipha in praetorium;* etiam hic narratio synopticorum supponitur (Matth. 27,2 etc.); praetorium dicebatur etiam palatium in quo praeses aut procurator habitabat. Pontius Pilatus procurator sedem suam habebat Caesareae; at cum diebus festis in tanta hominum multitudine periculum esset tumultus, in urbem Ierusalem praesides se conferre saepius solebant (cf. Bell. iud. 2,14,3). Praetorium, in quo Pilatus in urbe residebat alii dicunt fuisse palatium magnificum quod Herodes Magnus exstruxerat — ita Florus quoque ἐν τοῖς βασιλείοις diversabatur (Bell. iud. 2,14,8) — alii arcem Antoniam (cf. *Schg. Fil.*); *erat autem mane;* sed ne tempus primum matutinum intelligas, narrat Lucas : ut factus est dies, convenerunt synedristae et inquisitione denuo facta sententiam nocte antecedente latam confirmarunt et tum demum Iesum ad praesidem adduxerunt (22,66 seq.); *et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur;* domus gentilium reputatas esse immundas, patet etiam Act. 10,28, ubi Petrus ait : vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam, et Act. 11,3; etiam in tractatu mischnico de tentoriis dicitur : habitationes gentium sunt immundae (טמאים, 18,7; *Surenhusius* VI, p. 210. 211); quae immunditia durabat per diem; *sed ut manducarent pascha* i. e. agnum paschalem comederent; nam ut rite coenae paschali accumberent requirebatur, ut tempore mactationis agni paschalis essent mundi (vide quae dixi in Comment. Matth. II p. 409). Sunt qui *manducare pascha* explicent de sacrificalibus epulis diebus azymorum celebrandis (cf. *Patr. Corl. Schg. Fil.*). At haec explicatio prorsus est falsa, et falso contendunt voce פסח pascha etiam alia sacrificia designari et falso provocant ad Deut. 16,2 et 2 Par. 35,7, uti pluribus demonstravi in Comment. Matth. II p. 407 seq.

Merito carpunt synedristas, principes sacerdotum, scribas, seniores populi, qui Iesum adduxerunt (Matth. 27,1; Marc. 15,1; Luc. 22,66; 23,1); nam revera sese praebent excolantes culicem, camelum autem glutientes (Matth. 23,24); « o impia caecitas, alienigenae iudicis praetorio contaminari timent et fratris innocentis sanguine non timebant » (*Aug.*); « qui decimabant mentham et anethum, iniuste occidentes se contaminari non putabant, contra vero in praetorium intrantes » (*Chr. Cyr.*). Iudaeis permissum erat secundum patrias leges vivere et Romani rationem habere solebant legum ac consuetudinum eorum prudenti quadam accommodatione (cf. *Iosephus*, Antiq. 16,2,3. 4; Bell. iud. 6,6,2). Cum itaque synedristae sibi religioni ducerent in praetorium intrare, praeses ad eorum se arbitrium conformavit eo magis quia generatim causae forenses publice agi solebant v. 29 *exivit ergo Pilatus* — mentionem praetorii, Pilati ita facit, ut praesidem aliunde notum esse supponat — *ad eos foras et dixit : quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* videtur Pilatus a synedristis praemonitus esse, ut eos ante consuetam horam (tertiam post solis ortum) exciperet; certe iam edoctus erat agi de aliquo insigni malefactore, uti patet tum ex eo quod milites romani ad eum capiendum requirebantur, tum ex eo quod eum Pilato sistunt sine certa quadam accusatione, tum ex eorum quoque responsione v. 30 (cf. *Corl. Schg. Fil.*). Pilatus autem sine certa cognitione causae voluntati eorum non vult obsequi. Quare quaerit, quia illi nullam accusationem de certo crimine proferunt; volebant igitur Pilatum quasi occupare, ut statim sententiam ad suam ipsorum ferret arbitrium ulteriore inquisitione omissa. De hoc eorum consilio astuto solus Ioannes nos docet. Atque id assumpto supercilio assequi conantur v. 30 *responderunt et dixerunt ei : si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum;* vafre subterfugere student, ne certam afferant causam; nihil enim habent quo iudex romanus ad supplicium decernendum inducatur; proin suam propriam auctoritatem ut sufficientem ad damnandum Iesum ingerunt : nos pontifices, seniores, pharisaei, universum concilium (*Cai.*); expetierunt enim exsecutorem magis saevitiae, quam arbitrum causae (*Leo, M.* 54,338).

Verum uti alias (cf. Act. 17,6; 18,15; 25,4; 26,31), ita hic quoque iudex romanus ius servat; nam nocens nisi accusatus fuerit condemnari non potest (Cicero pro Roscio Am. 20,56) v. 31 *dixit ergo eis Pilatus : accipite eum vos et secundum legem vestram iudicate eum;* « infert Pilatus responsionem congruam supercilio productae auctoritatis Iudaeorum : ex quo recusatis accusationem proponere coram me, nolo ego accipere eum damnandum » (*Cai.*); absurdum enim esse

censet quod illi supplicium a se causa minime dicta sumendum postulent (*Chr.*); « si me vultis virum iudicare, etiam causam proferatis necesse est » (*Theod. M.*). Quare cum ironia irridens dicit : quia igitur causam dicere non vultis, ego iudex esse nolo; sitis ipsi iudices secundum legem vestram! scit Pilatus eos iam iudicasse, et velle sententiam mortis proferri. Unde in responsione, ut Iesum *iudicent* ipsi, magnum est ludibrium Iudaeorum (cf. *Schz. Fil.*). Perperam explicant aliqui Pilatum iure suo cessisse et permisisse Iudaeis ut ipsi causam terminarent; at Iudaeos noluisse uti data facultate volentes invidiam mortis Iesu a se avertere et in Romanos reiicere (*Corl. Schg.*). At Pilatus solum dicit : *iudicate eum*, id quod ipsi iam fecerunt, et ut iudicent, quantum iis licet, ut tales ei irrogent poenas quales infligere permissum sit illis. Ergo cum ludificatione eos monet minime assequi posse quod eos desiderare scit, nisi responderint ad quaestionem a se positam. Et hoc quidem Iudaei etiam bene intellexerunt. Nam statim edicunt non qualemcumque poenam, sed sententiam mortis se expetere et incipiunt varias accusationes contra Iesum proferre, ut Luc. 23,2 refertur et etiam ex v. 33 patet. Prius illud evangelista explicite commemorat : *dixerunt ergo ei Iudaei : nobis non licet interficere quemquam;* proin tuum illud : iudicate eum, nihil prodest nobis, est ludificatio et irrisio : iam iudicavimus, reum mortis iudicavimus! Ius gladii iis erat ademptum ; id ipsi cum emphasi fatentur; *nobis* primo loco οὐδένα, quicumque demum est, ultimo loco cum ictu collocatur.

Falso censent aliqui ob diem festum iis non licere (*Theod. M. Cyr. Aug. Chr. Tol.*) ; ipsis testimoniis talmudicis eruitur Iudaeis anno quadragesimo ante destructionem templi ius gladii esse ademptum (vide ad Matth. 27,1, Comment. II p. 485 et cf. *Lightfoot,* Hor. hebr. ad h. l. *Schg.*, *Wünsche* p. 558); idque verbis ipsis clare enuntiatur, neque enim id solum dicunt (quod *Chr. Euth. Salm.* volunt) sibi non licere aliquem crucifigere. Illis solum permissum erat, si quis in templo alienigena, etiam Romanus, ultra columnas, graecis litteris ac latinis inscriptas progrederetur, eum occidere (Bell. iud. 6,2,4); quae referuntur de caede Stephani (Act. 7,58), Iacobi fratris Domini (*Iosephus,* Antiq. 20,9,1; *Hegesippus* apud Euseb. h. e. 2,23; *M.* 20, 200. 204), ea tumultuarie gesta sunt in furore et rabie populari et quae Ananus pontifex absente praeside romano ausus est facere, male ei cessit; accusatus et pontificatu privatus est (*Iosephus* l. c.). Haec autem eo modo evenerunt, v. 32 *ut sermo Iesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus;* praedixit enim fore, ut a principibus sacerdotum et scribis traderetur gentibus ad crucifigendum; cf. Matth. 20,19; Marc. 10,33; Luc. 18,32; Ioan. 3,14; 8,32; 12,32;

crucifixionem saepius praedixit, qua iam indicabatur fore, ut a Romanis morti addiceretur, quia hoc supplicium Iudaeis erat inusitatum; ex lege mosaica blasphemus lapidabatur (Lev. 24,14).

Coacti itaque erant synedristae eas proferre accusationes quibus Pilatus ad sententiam mortis ferendam induceretur. Eas nobis refert Lucas 23,2, Iesum subvertisse gentem, prohibuisse tributa dare Caesari, se regem esse dixisse. Duo priora negligit Pilatus, qui sane perspexit ea falso proferri; nam quae erat magistratuum romanorum in populo adeo iugi romani impatiente vigilantia, si rebellionem revera movisset aut solutionem tributorum prohibuisset, minime eousque id latuisset; insuper satis novit quomodo principes Iudaeorum potestatem romanam ferrent, ut potius miraretur quod eum, si revera ea fecisset, ad iudicem romanum deferrent. Inde iam sufficienter intellexit eum per invidiam traditum esse (Matth. 27,18; Marc. 15,10) minime vero studio protegendi potestatem romanam. Quare satis esse iudicavit de tertia accusatione inquirere, quae magis est generalis et suspicioni exposita; v. 33 *introivit ergo iterum in praetorium Pilatus et vocavit Iesum et dixit ei: tu es rex Iudaeorum? tu,* σύ, declarat admirationem, quod homo adeo ut videtur vilis, ab ipsis suis popularibus traditus et proscriptus, talem sibi adscribat dignitatem. Pilatus iam eum potius tamquam hominem somniantem, fanaticum, insanum considerare velle videtur. Iesus autem, ut mentem Pilati ad iniquitatem accusationis attentam faciat, v. 34 *respondit Iesus: a temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* vult enim, ut Pilatus sibi conscius fiat nunquam de se a magistratu romano suspicionem rebellionis esse habitam (*Corl.*) ac proinde accusationem synedristarum falsam ex invidia et odio ducere originem. Item aliter erat ad quaestionem respondendum, si Pilatus eum putat regiam dignitatem sibi adscripsisse, aliter, si id solum ex accusatione accepisset. Iesus utique haec novit; at quaerit, ut Pilatus habeat opportunitatem de vera rei conditione sibi reddendi rationem.

Animo irritato v. 35 *respondit Pilatus: numquid ego Iudaeus sum?* qui scil. quidquam sciam de rege Iudaeorum, de Christo (Luc. 23,2), qui populari opinione venturus exspectatur; haec accusatio contra te facta est a primoribus tuae gentis : *gens tua et pontifices tradiderunt te mihi, quid fecisti?* unde haec accusatio orta est? quid fecisti, ut illi habeant rationem te accusandi? Iesus solvit suspicionem regii tituli affectati (cf. *Chr. Theoph.*) ita respondens, ut Pilatus statim intelligat a tali rege prorsus nihil esse timendum, eum imperii Caesaris hostem minime esse (*Cyr.*) v. 36 *regnum meum non est de hoc mundo;* affirmat ergo se regem esse; at simul asserit regnum suum non esse

mundanum; unde iam indicat Pilato illos esse mentitos regnum suum esse contradictionem regni Caesaris (*Rup.*); regnum meum non est tale, quale est regnum regis terreni; idque probat (*Aug.*) argumento ad persuadendum plane apto: *si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei*, apparitores, satellites, *utique decertarent, ut non traderer Iudaeis;* haberem more ceterorum regum armatum satellitium, haberem stipatores; hi sane decertassent armis pro me, meque contra Iudaeos defendissent (*Ians.*); sed nihil eiusmodi cernis, nihil eiusmodi factum est; *nunc autem*, cum nemo pro me decertet, sicut patet, *regnum meum non est hinc,* ex hoc mundo, proin regnum est originem habens e coelo, regnum spirituale; « audite ergo, Iudaei et gentes, audi circumcisio, audi praeputium, audite omnia regna terrena : non impedio dominationem vestram in hoc mundo; nolite metuere metu vanissimo quo Herodes ille maior expavit » (*Aug.*).

Regnum, βασιλείαν, itaque Iesus sibi attribuit; unde merito v. 37 *dixit itaque ei Pilatus : ergo rex es tu? respondit Iesus : tu dicis quia rex sum ego;* utique, omnino, quoniam rex sum ego; sed qualis rex? *ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati;* nativitas intelligitur non illa aeterna (*Chr.*), sed temporalis, nativitas illa qua incarnatus venit in mundum (*Aug. Thom. Tol. Cai. Corl.*); alii *venire in mundum* accipiunt de aditu quasi in scenam publicam, de publico ministerio (*Schz. Fil.*); *omnis qui est ex veritate,* qui est quasi filius, amicus veritatis, eam quaerit, desiderat, sectatur; cf. 8,47 et 3,21 qui facit veritatem, venit ad lucem, *audit vocem meam,* audit et credit meam doctrinam. Nunc Pilato persuasum est coram se adstare hominem innoxium, fanaticum, somniantem, qui subtilitates quasdam contemplationemque philosophicam sectetur seque eo in studio virum esse eximium aliorumque regem et dominatorem iactet: quare contemptim ac frivole v. 38 *dicit ei Pilatus : quid est veritas?* homo auditur scepticus, qui de inani philosophorum inquisitione ridet et sciri nunquam posse in quo consistat veritas apud se constitutum habet[1]. Nimis benigne de Pilato sentiunt *Chr. Theoph. Euth.* illum studio discendi dixisse, sed interim rei urgenti institisse, quia vidisset talem interrogationem egere tempore; verum irridentis et impatientis hominis vox est haec, qui aegre fert talem regem suo sisti tribunali; *et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Iudaeos et dicit eis : ego nullam invenio in eo causam;* optime v. 33-38 supplevit Ioannes narrationem synopticorum explicans illud quod v. g. legitur Luc. 23,3. 4 et quod nonnemini mirum

1. A qua sententia non abludit *Plinius* : quae singula improvidam mortalitatem involvunt, solum ut inter ista vel certum sit nihil esse certi (H. n. 2, 5).

videri possit, Iesum fateri se esse regem Iudaeorum et statim Pilatum dicere ad principes sacerdotum : nihil invenio causae in hoc homine.

Sed, uti modo supplevit narrationem, ita multa alia nunc omittit et ea nota esse supponit; sequuntur enim ordine rerum gestarum ea quae Luc. 23,5-16 narrantur, Matth. 27,12-15; Marc. 15,3-6; alias in Iesum congerunt accusationes; Pilatus audiens Iesum esse Galilaeum eum mittit ad Herodem, sperans ita se causa hac molesta iri liberatum, sed Herodes Iesum ad eum remittit. Bene novit Pilatus Iesum esse innoxium neque quidquam eorum commisisse de quibus accusatur; verum cum primores Iudaeorum tanto impetu eum damnari cupiant, non audet eum absolvere et dimittere; timet iram et vindictam eorum; multa enim iam commiserat, quorum ne delationem facerent apud Imperatorem merito timebat (vide Comment. in Matth. II p. 486. 497). Expertus igitur quod nec iudicio suo nec remissione ad Herodem satisfacere poterat primatibus Iudaeorum, tentat tertiam viam, si forte etiam invitis primatibus, quos sciebat invidia moveri, liberaretur Iesus favore populi et propterea commemorat consuetudinem (*Cai.*) v. 39 *est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Iudaeorum?* i. e. eum qui hoc nomine accusatus ad supplicium postulatur. Valde Pilati interest, ut Iesum invitis primoribus dimittere possit ita ut ipse eorum offensionem non incurrat; ideo ad turbam quam Iesu potius favere existimat se convertit. Quare plane improbabile est eum dixisse regem Iudaeorum ad ludibrium populo inferendum, id quod tamen a Pilato factum esse aliqui opinantur (cf. *Rup. Schz. Fil.*); eo nomine voluisse Pilatum lepide et facete rabiem furiosorum mitigare simulque clare ostendere temere ipsum hoc crimine accusari *Cyr.* arbitratur; aliis placet non latuisse Pilatum pluries voluisse populum regem Iesum proclamare et ideo usum esse eo nomine (cf. *Corl.*).

Brevissime hunc quoque eventum summatimque refert quasi volens narrationem accuratiorem aliunde notam in memoriam revocare v. 40 *clamaverunt ergo rursum*, istud *rursum* explicatur non ex ipsa hac evangelistae narratione, verum ex Marc. 15,8 et Luc. 23,4-5, *omnes dicentes : non hunc, sed Barabbam; erat autem Barabbas latro;* cf. Matth. 27,17 seq. Marc. 15,7; Act. 3,14 vos autem sanctum et iustum negastis et petistis virum homicidam donari vobis; « o exsecrandam mentem; moribus sibi similes et noxios dimittunt; innoxium vero plecti iubent; hic enim iam olim mos illorum erat » (*Chr.*). Pilatus cupit Iesum dimittere; quod propter primores non audet, id per populum consequi vult; verum hoc populi clamore quam maxime ostenditur malitia Iudaeorum (*Thom.*) et hanc summam perversitatem

et malitiam Ioannes quoque rem breviter tangens commemorare voluit.

d) Pilatus inducitur ad sententiam crucifixionis 19,1-16.

19,1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, et flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Iudaeorum; et dabant ei alapas.

4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Iesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dicit eis : Ecce homo. 6. Quum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudaei : Nos legem habemus; et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.

8. Quum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est praetorium iterum; et dixit ad Iesum : Unde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Iesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

12. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant, dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari. 13. Pilatus autem quum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum; et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem parasceve paschae, hora quasi sexta, et dicit Iudaeis : Ecce rex vester. 15. Illi autem clama-

19,1. Τότε οὖν ἔλαβεν ὁ Πειλᾶτος τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐμαστίγωσεν, 2. καὶ οἱ στρατιῶται πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, ἐπέθηκαν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ, καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτὸν, 3. καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν καὶ ἔλεγον, Χαῖρε, ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· καὶ ἐδίδοσαν αὐτῷ ῥαπίσματα,

4. καὶ ἐξῆλθεν πάλιν ἔξω ὁ Πειλᾶτος, καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἴδε, ἄγω ὑμῖν αὐτὸν ἔξω, ἵνα γνῶτε ὅτι οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ. 5. ἐξῆλθεν οὖν Ἰησοῦς ἔξω, φορῶν τὸν ἀκάνθινον στέφανον, καὶ τὸ πορφυροῦν ἱμάτιον. καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἰδοὺ ὁ ἄνθρωπος. 6. ὅτε οὖν εἶδον αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ὑπηρέται, ἐκραύγασαν λέγοντες, Σταύρωσον, σταύρωσον. λέγει αὐτοῖς ὁ Πειλᾶτος, Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε· ἐγὼ γὰρ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν. 7. ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ Ἰουδαῖοι, Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὀφείλει ἀποθανεῖν, ὅτι υἱὸν Θεοῦ ἑαυτὸν ἐποίησεν.

8. Ὅτε οὖν ἤκουσεν ὁ Πειλᾶτος τοῦτον τὸν λόγον, μᾶλλον ἐφοβήθη, 9. καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, καὶ λέγει τῷ Ἰησοῦ, Πόθεν εἶ σύ; ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ. 10. λέγει οὖν αὐτῷ ὁ Πειλᾶτος, Ἐμοὶ οὐ λαλεῖς; οὐκ οἶδας ὅτι ἐξουσίαν ἔχω ἀπολῦσαί σε, καὶ ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε; 11. ἀπεκρίθη αὐτῷ Ἰησοῦς, Οὐκ εἶχες ἐξουσίαν κατ' ἐμοῦ οὐδεμίαν, εἰ μὴ ἦν δεδομένον σοι ἄνωθεν· διὰ τοῦτο ὁ παραδούς μέ σοι μείζονα ἁμαρτίαν ἔχει.

12. ἐκ τούτου ὁ Πειλᾶτος ἐζήτει ἀπολῦσαι αὐτόν· οἱ δὲ Ἰουδαῖοι ἐκραύγασαν λέγοντες, Ἐὰν τοῦτον ἀπολύσῃς, οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος. πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι. 13. ὁ οὖν Πειλᾶτος ἀκούσας τῶν λόγων τούτων, ἤγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος, εἰς τόπον λεγόμενον Λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ· 14. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ὥρα ἦν ὡς ἕκτη· καὶ λέγει τοῖς Ἰουδαίοις, Ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. 15. ἐκραύγασαν οὖν ἐκεῖνοι, Ἆρον, ἆρον, σταύρωσον

bant : Tolle, tolle; crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Caesarem.

16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.

αὐτόν. λέγει αὐτοῖς ὁ Πειλᾶτος, Τὸν βασιλέα ὑμῶν σταυρώσω; ἀπεκρίθησαν οἱ ἀρχιερεῖς, Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα.

16. τότε οὖν παρέδωκεν αὐτὸν αὐτοῖς, ἵνα σταυρωθῇ.

In v. 3 εδιδοσαν ℵ B L X Cyr; al εδιδουν. In v. 4 και εξηλθεν A B K L X Π al 9 Cyr; codd vulg exiit iterum. In v. 6 pler codd vulg crucifige, crucifige. In v. 10 απολυσαι σε, σταυρωσαι hoc ordine ℵ A B e syr (sch). In v. 11 sat mu εχεις. In v. 12 εκραυγασαν B aliq minusc; al εκραυγαζον. In v. 13 in locum am ben dun fuld ger ing st corp lind a b f q; q lapide stratus. In v. 14 longe pler εκτη.

Bene notat *Euth.* : « ista Ioannes breviter narrat tamquam ab aliis iam scripta, studens et hic recitare quae praeterita erant; et cur omnino meminit quae ab aliis memorata sunt? quia aliter nequaquam apte scribere poterat quae scripta non erant ». Turbae postularunt Barabbam, Iesum vero cruci suffigendum esse clamarunt (Matth. 27, 23; Marc. 15,13; Luc. 23,21); quibus ita cessit Pilatus, ut diceret se nullam quidem causam mortis in eo invenire, attamen : corripiam illum et dimittam (Luc. 23,22). Ipse quidem Lucas nullam subiicit correptionem a Pilato adhibitam quae ad dimissionem Iesu pertineret, sed hoc supplet Ioannes narrans qualis fuerit haec correptio et quomodo Pilatus conatus sit Iesum liberare (cf. *Ians. Tol.*). Meminerunt flagellationis et illusionis etiam Matthaeus et Marcus, sed non sic ut ex eorum narratione videri possit Pilatum adhibuisse flagellationem tamquam medium per quod sperabat satiandos esse et placandos Iudaeorum animos atque sic Iesum posse dimitti, verum ut videri possit eam esse decretam tamquam praeambulum ad sententiam crucifixionis exsequendam (*Ians.*). Narratio igitur aliorum suppletur; v. 1 *tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum et flagellavit;* est alius conatus Pilati, quo commiserationem turbarum excitare studet et ita Iesum dimittere; flagellavit, ut sedato Iudaeorum furore eum erueret (*Chr. Cyr.*); « ut eius iniuriis Iudaei satiati sufficere sibi existimarent et usque ad eius mortem saevire desisterent » (*Aug.*). Naturale est enim ut ira quiescat, si videt eum contra quem irascitur humiliatum et punitum; sed bene adnotat *Thom.* : « quod quidem verum est in ira quae quaerit nocumentum proximi cum mensura; sed non in odio quod totaliter quaerit exitium eius qui habetur odio; isti autem ex odio movebantur in Christum et ideo flagellatio non sufficiebat ».

De flagellatione vide ad Matth. 27,26; efformabantur flagella ex loris coniunctis quattuor quae vel animalium talis seu ossiculis vel duri ligni frustulis exasperabant; unde eis nomen horribilia flagella

(*Corl.*). Plura de crudeli hoc supplicio dixi in Comment. Matth. II p. 504-506. Et quam crudeliter Christus sit flagellis caesus, iam colligitur eo quod Pilatus sperabat posse furiosos Iudaeorum animos ad commiserationem moveri; Christum in loco publico esse flagellatum patet ex eo quia Matthaeus et Marcus narrant, milites eum duxisse in praetorium, intus in atrium praetorii ibique ei spineam imposuisse coronam et illusisse; v. 2 *et milites plectentes coronam de spinis* (de rhamno nabeca, *Schg.*, de Lycio spinoso, *Hug.;* de acantho, alii) *imposuerunt capiti eius et veste purpurea circumdederunt eum,* chlamydem coccineam dicit Matthaeus (27,28); vide ibi; eiusmodi pallium duces et imperatores gestare solebant; proin milites detritum aliquod paludamentum vel sagum opprobrii causa ei circumdant et pro sceptro dederunt arundinem in dexteram eius. Audierant accusationem de rege; ludificationis causa ludicrum eum regem constituunt; unde sollemnitate quadam ludicra v. 3 *veniebant ad eum et dicebant: ave, rex Iudaeorum, et dabant ei alapas,* ῥαπίσματα, cuius vocis maxime propria notio est ictus virga inflicti (*Patr.*); arundine percutiebant caput eius et conspuebant eum (Matth. Marc.), ita salutationem et adorationem regibus exhiberi solitam crudeli modo et irrisorie imitantes. Narratione clare ostenditur hanc irrisionem non esse a Pilato praeceptam (v. 1 Pilatus flagellavit, v. 2 milites imposuerunt); at dici potest cum *Chr.* cetera permisisse, quia consilio ipsius proderant, quo facilius Iudaeorum iram frangeret et ad commiserationem eos flecteret (cf. *Aug.*).

Iesum enim immanissime fuisse flagellis caesum et laceratum et insuper post crudelem militum ludificationem miserrimum praebuisse aspectum, ex eo quoque elucet, quia Pilatus qui spectaculis gladiatorum assuetus vibices, vulnera, caedes saepe spectarat, conspecto Iesu et ipse commovetur et furiosos quoque Iudaeos ad misericordiam revocari posse exspectabat; v. 4 *exivit ergo iterum Pilatus foras et dicit eis : ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam;* pone ipsum a militibus educitur Iesus; v. 5 *exivit ergo Iesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum*, « eduxit eum ludibrii stola vestitum, ut hunc videntes in tanto opprobrio satiarentur et placarentur » (*Euth.*) *et dicit* Pilatus *eis : ecce homo;* quaerit Pilatus, cui persuasum est Iesum esse innoxium et qui id iterum palam profitetur, nondumne tanta in Iesum crudelitatis poena iis sit satisfactum, habeantne satis vindictae, cum eum videant plagis, sanguine, opprobriis opertum : ecce, qualis homo! « si regi invidetis, iam parcite, quia deiectum videtis; flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis

caesus est; fervet ignominia, frigescat invidia; sed non frigescit, inardescit potius et increscit » (*Aug. Thom.*). Nunc est impletum illud Isaiae : non est species ei neque decor et vidimus eum despectum et novissimum virorum, virum dolorum (53,2. 3; *Rup.*). Iesum itaque adeo crudeliter habitum ut considerent monet : videte hominem hunc, videte eius castigationem, videte deiectionem, videte eum adeo miserum (*Ians.*). Hoc indignissimo spectaculo sperabat satiatum iri Iudaeorum furorem (*Cyr.*).

« At obstitit inexplebile odium pontificum et ministrorum qui suis magistris subscribebant. Hi enim, ut viderunt eum, tantum abfuit, ut placarentur et ad miserationem commoverentur, ut etiam magis irritarentur et instar canum ac ferarum quae gustata carne magis ad eam devorandam anhelant, ex conspecto eius sanguine amplius etiam sitirent sanguinis eius effusionem » (*Ians.* sim. *Cyr. Tol.*); v. 6 *cum ergo vidissent eum pontifices et ministri clamabant dicentes : crucifige, crucifige eum,* « tamquam feri canes eo solum viso furibunde oblatrabant, quasi ferae bestiae quae praedam sentientes statim incurrunt; nam invidia ebrii in caedem adversus eum debacchantur » (*Euth.*); Pilatus etiam hunc suum conatum esse frustratum intelligens, cum ira et indignatione et acerbo sarcasmo respondet : *accipite eum vos et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam;* ego non possum eum crucifigere; crucifigite vos, si potestis, sed vobis qui vultis non licet; ego qui possem nolo! bene *Theoph.* : « ego quidem qui habeo potestatem crucifigendi, nullam invenio causam, vos autem non habentes potestatem dicitis eum reum; accipite igitur eum et crucifigite; sed non habetis potestatem; ergo dimittatur homo ille » et *Chr.* : « adverte quot modis illum purget et quam frequenter crimina propulset; sed canes illos nihil avertere potuit; nam illud *accipite et crucifigite* fastidientis est et impellentis ad rem illis non concessam ». Miratur enim, ut *Cyr.* ait, illorum audaciam, qua tam horrendam mortem velint inferre sine ullo crimine; idcirco cum indignatione ait : mene iniustae caedis huius auctorem fecistis? ego contra leges Romanorum etiam innocentes occidam? vos crucem ei figite, si potestatem habetis!

Quid igitur synedristae? Frustra urgebant crimina et accusationes contra rem civilem. Pilatus perspicit inania ea esse et futilia. Coguntur itaque ad rem causamque religiosam recurrere et student Pilatum cogere, obtendentes suam legem, secundum quam iis a Romanis permittitur vivere. Opponunt ergo illi : *ego* non invenio causam, *nos* habemus legem v. 7 *responderunt ei Iudaei* i. e. nobiles, synedristae : *nos legem habemus et secundum legem debet mori, quia Filium*

Dei se fecit; cf. Matth. 26,63 seq. Marc. 14,61; Luc. 22,70; hic intelligi Filium Dei proprio sensu et vero, proin Iudaeos intellexisse Iesum eo sensu se vocare Filium Dei, certum est; se enim sensu vulgari appellare filium Dei pium erat; et cum hanc causam proferant, postquam ab initio eum accusarunt quod se Christum regem diceret, etiam dici nequit per Filium Dei intelligi Christum, ita ut de divina et propria filiatione tamen non feratur sententia. Ceterum eos revera intellexisse quo sensu Iesus Deum diceret Patrem suum, vide 5,18; 8,58; 10,33; quare hoc loco eodem sensu verba intelligenda sunt (*Patr. Corl. Schz. Fil.*). Ex toto modo quo Iesus sese habebat, Pilatus iam intellexit eum esse hominem non vulgarem; accessit insuper somnium illud ac monitum uxoris (Matth. 27,19; *Rup. Patr. Schg. Fil.*); quare non potuit non vehementer percelli hac Iudaeorum de Iesu affirmatione v. 8 *cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit,* « ne reapse Iesus esset filius alicuius dei, cuius si condemnaret filium iram in caput suum concitaret » (*Corl.*); verebatur antea innocentem damnare; nunc etiam maiore timore constringitur aliquid supra humanam naturam in Iesu suspicans et vim in eo pertimescens magicam. Cum homines a cultu Dei et vera religione alieni soleant valde superstitionibus esse obnoxii, Pilatus qui semideos ac deorum filios praedicari novit (*Cyr.*), revera metuit ne vere in illum competeret quod illi criminis loco obiiciebant (*Ians.*).

Quare originem Iesu explorare tentat v. 9 *et ingressus est praetorium iterum,* neque enim publice ea de re Iesum vult interrogare, *et dixit ad Iesum : unde es tu?* quae est origo tua, unde es natus, quo parente progenitus (*Tol.*); *Iesus autem responsum non dedit ei;* nam quod Pilatus iudex scire debuit, ut munere iudicis rite fungi posset, iam a Iesu audiverat et bene perspexerat ex invidia Iesum esse traditum. Ulterius responsum non meruit; « qui enim audierat : in hoc natus sum etc. et regnum meum non est hinc etc., cum debuisset obsistere ipsumque eruere, id non fecerat sed iudaicum impetum secutus fuerat » (*Chr. Theoph. Euth.*) neque verum responsum potuisset intelligere homo vel idololatra vel nulla religionis notione imbutus, utpote qui spem veritatis cognoscendae iam dudum abiecisset (cf. 18, 38). Iesum non respondisse, ut vaticinium Is. 53,7 impleret, vel ne patefacta origine divina liberaretur a morte, vel ne videretur conatus, ut elaberetur (cf. *Aug. Thom. Ians. Tol.*) vel quia Pilatus non ut humilis discipulus sed ut superbus iudex inquisierit, haec et similia vel dici nequeunt vel certe non sufficiunt.

Pilatus « terretur et terret; irritatus enim quod sibi ipsum foventi ne respondeat quidem, deinceps vibrat potestatem » (*Euth.*) v. 10

dicit ergo ei Pilatus : mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te et potestatem habeo dimittere te? vide lect. var. ; si magis terrere vult et minari, lectio erit praeferenda, qua priore loco legitur crucifigere; si autem magis vult allicere et invitare ad respondendum, prius spes liberationis exhibebitur. Prima tamen verba magis ostendunt iudicem superbum et iratum, qui potestatem suam iactans et sua elatus dignitate nequeat concipere quomodo quis audeat responsum negare. Notat *Chr.* : « vide quomodo seipsum damnare praeoccupet? nam si in te totum situm est, cur eum non dimittis, cum in eo nullam causam invenias »? « ex ore tuo iudicaris, nec solum apud Deum, sed etiam apud homines reus teneris, quia innocentem et iustum, cum dimittere posses, crucifigere maluisti » (*Rup.*). Metu Iudaeorum impeditus ne faciat quod vult et fieri debere perspicit, de sua gloriatur potestate! « tua voce constringeris, tua damnaris sententia; pro potestate igitur, non aequitate crucifigendum Dominum tradidisti; — mala potestas licere quod noceat, potestas illa tenebrarum est; bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit » (*Ambrosius*, serm. 20 in Ps. 118 n. 38; *M.* 15,1495; *Tol.*).

Superbiam Pilati reprimit Christus v. 11 *respondit Iesus : non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper* i. e. coelitus tibi concessum et datum est habere in me potestatem; « nutu itaque suo Deique ac Patris beneplacito datam esse ait Pilato potestatem faciendi aliquid eorum quae iam ausus est » (*Cyr.*). Non intelligitur potestas ab Imperatore ei data, nec simpliciter (secundum Rom. 13,1) quia non est potestas nisi a Deo; nam potestatem adversus Iesum neque Imperator tribuere poterat neque haec includitur in potestate illa quae utique a Deo magistratibus et regibus conceditur. Sed simul cum hac potestate nunc ei tamquam iudici etiam divinitus datum est et permissum, ut habeat potestatem adversus Iesum, eamque iam exercuit mittens Iesum ad Herodem, iubens eum flagellari. « Quantuscumque sis praeses et aliis omnibus praesideas et in eos auctoritatem habeas, nihil tibi esset potestatis in me, nisi singulari quadam divina ordinatione id tibi datum esset; — potestas et auctoritas Pilati a Deo erat data; voluntarie enim Christus se ei subdidit; tamen usus fuit iniquus; non igitur illud *datum est* permissionis est, sed concessionis respectu potestatis, permissionis autem respectu usus potestatis » (*Tol.*).

Pilatus itaque potestate sibi concessa male usus est. Caiphas vero et synedristae cum summa iniustitia sibi potestatem in Iesum usurparunt et arrogarunt. Ex lege sub poena divina obligati erant Iesu obedire; nam satis superque se probavit legatum divinum (Deut. 18,

19); verum tantum abfuit ut ei crederent, ut odio implacabili eum insectarentur; insuper in eum, cui subiecti esse debebant, sibi sumunt auctoritatem, eum capiunt, iudicant, Pilato sistunt tamquam hominem sua lege iuste condemnatum. Inde Christus infert: *propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet* i. e. synedristae, quorum dux et sceleris auctor est Caiphas. Peccatum Iudaeorum maius esse dicens simul Pilatum peccati incusat; iterum ergo eum monet seseque innocentem declarat. Ex variis causis quidem peccatum Iudaeorum gravius fuisse dici potest: noverant opera Christi, eius de se testimonia, miracula tot ac tanta, sanctitatem vitae eius; noverant quam falso eum accusarent, dum Pilatus quasi invitus et timore tandem ne sibi damnum crearet in sententiam iniustam impulsus est. Christus autem unam effert causam maioris peccati quod illi potestate sibi arrogata libere in se furorem et invidiam exercuerint. Hic videtur esse sensus illius *propterea;* minus enim peccavit Pilatus potestate sibi concessa male utens quam illi sine ulla potestate contra ius et fas summa iniuria in Iesum furentes.

Illud διὰ τοῦτο, *propterea,* ingenia interpretum varie exercuit. Videbatur enim nexus deesse. Unde aliqui ullum adstruendum esse nexum negantes particulam merae transitionis esse volebant. Alii aliquid supplendum esse arbitrabantur, ut sua particulae servaretur notio: quia tu solum agis in ea re ut instrumentum invidiae aliorum, propterea...; vel quia meam originem ac dignitatem capere non potes; quia permissa tibi illa facultate nonnisi invitus contra me uti paratus es, propterea etc. (cf. *Corl.*). Sed haec quae supplentur, in antecedenti sententia non continentur, id quod tamen requiritur, ut illud *propterea* rite subiungi possit. Neque sufficit dicere Pilatum egisse timore impulsum, alios livore et malitia (*Chr. Cyr. Thom.*), quae ratio potius ita debuit afferri: minus peccatum est potestate tradita ex timore abuti, quam sine ulla potestate ex malitia sibi arrogare potestatem in perniciem alterius; id quod innuit *Aug.*: « plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa si cum timore alterius maioris potestatis occidit; ille quippe me tuae potestati tradidit invidendo, tu vero eandem potestatem in me exserturus es metuendo ». Existimat *Tol.* peccatum esse maius, quia potestati iustae Iesum ut sceleratum obtulerint, quia iudici ad nocendum potentiori Iesum tradiderint. Tamquam germanam verborum intelligentiam *Ians.* tradit hanc: « *propterea,* hoc est, quia ex tuo officio et auctoritate qua fungeris nullam habes in me potestatem, sed tantum ex divina permissione, ideo etsi tu pecces qui tamquam ex auctoritate adversum me potestatem exerces, tamen qui me tradidit tibi populus maius peccatum habet quam tu, quia ex odio me immerentem et tuae potestati nequaquam subditum tibi tradidit auctor exsistens omnis quod in me committitur sceleris, teque vel invitum

cogens ut quasi ex auctoritate in me saevias ». Multa explicavit *Ians.*; unum non explicavit, scil. illud *propterea;* nam ex eius explicatione Christus potius ita locutus esse videtur : *etsi* tu non haberes potestatem adversus me ullam nisi tibi datum esset desuper, tamen qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Neque *Patr.* satis rem explanat : « itaque Christus dicere voluit minus quam Iudaeos Pilatum peccaturum, non quidem quia illam potestatem haberet, sed quia ita, ut dicebat, se habere putaret; ignorantia enim etsi culpabilis, peccatum minuit ». Sed Christus dicit ei revera datum esse habere potestatem; dein ne Pilatus quidem putavit sibi integrum esse etiam innocentem crucifigere. Etiam *Schg.* censet nullam potestatem Pilato a Christo in se concedi; quare synedrium, quod pariter nullam in eum habet, maius committere peccatum, quia primus auctor sceleris sit. At Christus clare dicit datum esse Pilato desuper habere potestatem! Neque placet quod *Fil.* habet, propterea, quia tu es ea in re instrumentum in manu divina, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Desidero nexum; dein si instrumentum intelligitur, uti debet concipi, etiam synedristae ea in re erant instrumenta ad divinum redemptionis consilium exsequendum.

Iudaei superba illa responsione : nos legem habemus, qua eludere volebant illud Pilati : ego non invenio causam, minime obtinebant quod volebant; e contra factum est illa responsione, ut Pilatus vellet Iesum dimittere v. 12 *et exinde* ἐκ τούτου, propter hoc (*Aug. Thom. Patr. Schz. Weiss.*) « verbis illum perterruit, quapropter ille ipsum absolvere tentabat » (*Chr.*); alii temporis notionem praeferunt (*Ians. Corl. Fil.*); sed cum conatus ille statim fuit clamoribus Iudaeorum irritus factus, notio *ex eo tempore* non congruit, optime autem altera : propter timorem illum v. 8 et propter verba Christi, quibus magnam culpam contrahi a Pilato clare enuntiatur et proin iure eum timere vindictam divinam debere, *quaerebat Pilatus dimittere eum;* prodiit Pilatus iterum ex praetorio foras ad Iudaeos iisque significavit se iam absolvere reum et eum liberum dimittere; sed quam primum illi hanc eius voluntatem percipiunt, statim clamoribus obsistunt et eas tandem minas proferunt, quibus Pilatus victas dat manus; frustra tentavit; quare : *quaerebat* dimittere; *Iudaei autem clamabant dicentes : si hunc dimittis, non es amicus Caesaris; omnis enim qui se regem facit contradicit Caesari;* bene hoc loco recolit *Cyr.* quot variis modis Iesum perdere tentarint : « animadverte calumniatorum furorem indomitum; primum enim adversus Caesaris imperium facinus tentatum esse miseri conclamabant. Sed cum non multum proficerent adversus Christum qui regnum suum non esse terrenum aiebat, coram Pilato violatum esse Deum contendebant dicentes : Filium Dei se fecit. Verum cum frustra consilia ista cederent, ad primam

revertuntur audaciam, ad primum mendacium, in Caesaris imperium peccatum esse dicentes et eius maiestati infensum esse iudicem impudenter clamantes, nisi ulcisci velit et meritis poenis eum subiicere qui contradicat Caesari eo quod regis nomen sibi attribuat ».

Amicus Caesaris non est titulus honoris causa qui Pilato, ut saepe legatis, praesidibus, praefectis, proprius fuisset, neque dicere volunt hunc ei titulum esse demendum, sed : non es εὔνους, benevolus (*Euth.*), fidus et fidelis in Caesarem, eius causam diligenter tuens ac defendens. Proinde minantur se delaturos eum apud Tiberium, si hominem qui se regem fecerit dimiserit. Hisce tandem rem evincunt. Pilatus territus cedit. Sciebat enim nullam apud Caesarem accusationem ea esse graviorem. Erat Tiberius quam maxime suspiciosus; iudicia maiestatis cogi iussit, exercendas esse leges dicere solebat et eas atrocissime exercuit, ut *Suetonius* dicit (Tib. 58); idem scribit : decreta accusatoribus praecipua praemia; nemini delatorum fides abrogata; omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum (l. c. 61); et de eodem Tacitus quoque refert maiestatis crimen tum omnium accusationum complementum fuisse (Annal. 3,38; cf. 4,30). Pilatus veretur synedristas contra se irritare, timet accusationem, et quia statim ab initio inquisitionis causae a recto iustitiae tramite declinavit et per ambages id consequi voluit quod sua praesidis auctoritate statuere debuit, tandem ignavia, inconstantia, timiditate sua ad summam iniustitiam committendam propulsus est.

Iam nulla interposita mora se accingit ad sententiam cum consueta sollemnitate ferendam v. 13 *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum* publice enim iudicia peragebantur (cf. *Iosephus*, Antiq. 17,6,3; 18,4,6; Bell. iud. 2,14,8; Act. 12,4; 16, 19; 18,12), *et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha*, ut omnem removeat suspicionem Pilatus statim suggestum, sedem iudicialem ascendit; λιθόστρωτος lapidibus stratus; ille sententiae ferendae locus lapillis stratus, opere videlicet tessellato, erat vel solum tabulis lapideis, marmoreis stratum. Cum illi loco hoc esset nomen, non erit cum aliquibus cogitandum de tali lithostroto, quale Caesar dicitur secum in expeditionibus circumtulisse : in expeditionibus tessellata et sectilia pavimenta secum tulisse multi prodiderunt (*Sueton.* Caes. 46). Aramaice illi loco nomen erat Gabbatha, quo locus editus, eminens significatur.

Locus itaque alio nomine a Graecis, alio ab Hebraeis nominabatur. Nam quod tentavit Ewald Gabbatha ad eandem notionem cum lithostroto et opere musivo reducere explosum est; statuit enim גבע eadem significatione qua קבע (aramaice);

quod iam satis audax est et si etiam admitteretur, nondum explicaretur modus scribendi Gabbatha i. e. bb. Quare etiam vox nequit derivari a גִּבְעָה (collis); plerumque derivant a גבב, גַּב tergum, גַּבָּא (aram.) collis, emphatice גַּבְּתָא (cf. *Schz. Weiss*).

In evangelio apocrypho Petri legitur v. 7 καὶ πορφύραν αὐτὸν περιέβαλλον καὶ ἐκάθισαν αὐτὸν ἐπὶ καθέδραν κρίσεως λόγοντες· δικαίως κρῖνε, βασιλεῦ τοῦ Ἰσραήλ; dein narratur eum esse spinis coronatum, percussum, consputum, etc. Et Iustinus quoque refert : καὶ γάρ, ὡς εἶπεν ὁ προφήτης, διασύροντες αὐτὸν ἐκάθισαν ἐπὶ βήματος καὶ εἶπον· κρῖνον ἡμῖν (Apol. 1,35; *M.* 6,384). Unde in utroque loco refertur inter varia opprobria quae a servis et militibus Iesu inferebantur etiam illud fuisse, ut eum in sede quadam collocatum tamquam iudicem iocose compellarent. Exinde viri docti (Westcott, Holtzmann, Harnack) non dubitant asserere nostrum locum illustrari et illud ἐκάθισεν ἐπὶ βήματος non esse explicandum : Pilatus consedit in tribunali, sed verbum esse active sumendum : Pilatus eduxit Iesum et sedere fecit, collocavit in tribunali; et putant illud : ecce rex vester, tum demum, si Iesus sedit pro tribunali, suum plene consequi acumen. Quae tamen explicatio minime congruit. A militibus Iesum eo genere opprobrii esse derisum, facile concipitur; verum satis ineptum videtur, ut Pilatus ita eum derideat et quem adeo male tractatum cernat in tribunali collocet et ut ipse Pilatus iudex iudicis sedem, tribunal, hac irrisione quasi quadam ignominia afficiat. Neque Iesus ut iudex proponitur; cur itaque *regem* in sede iudicis collocatum vellet? Praeterea adverte 12,14 ἐκάθισε esse usurpatum : et sedit (Iesus super asellum). Secundum grammaticam utique verti potest : et collocavit; neque per se obstat quod non additur αὐτόν; nam evangelista quoque saepe observat normam illam, ut si duo verba habent idem obiectum, id semel tantum ponatur (cf. 5,21; 6,11; 8,56; 10,12; 13,5. 26; 15,6; 17,12; 19,1. 6. 19; 20,27; 21,13. 18). Sed simul nota, saepe tamen apud evangelistam eo in casu obiectum repeti i. e. exprimi pronomine adiecto; vide 2,19; 8,3, 10,3; 11,44; 12,3. 17 (25); 13, (1; 24. 26; 14,21. 26; 15,16; 17,15; 18; 10. 12; 19,40; immo, ut videtur, saepius id facere solet, idque hoc nostro loco ea magis erat exspectandum ob 12,14 et quia profecto res erat plane extraordinaria reum collocari a iudice in sede iudicis. Hoc si indicare voluisset, debuit omnino scribere καὶ ἐκάθισεν αὐτόν, uti toties aliis locis eo pronomine repetit obiectum, quod in eodem casu iam semel expressum est. Vide locos quos modo citavi 2,19 etc. Accedit quod in locis novi testamenti longe plurimis καθίζειν notione intransitiva adhibetur et ea notione verbum hoc nostro loco a versionibus et interpretibus communiter accipitur. Dein bene advertendum est illud quod in evangelio Petri et apud Iustinum l. c. narratur, nullo modo ex hoc evangelii loco posse esse derivatum, cum plane diversa sit utrimque conditio personarum, temporis, totius eventus et consilii ad quod actio illa dirigitur.

Accurate designat evangelista, uti tantam rem decet, locum, diem,

tempus quo sententia mortis in Iesum est lata, qui sua morte mortem nostram destruxit v. 14 *erat autem parasceve paschae, hora quasi sexta* παρασκευὴ τοῦ πάσχα; quo sensu παρασκευή dicatur, in controversia est, dum alii contendant eo tempore notionem voci inhaesisse diei praeparatorii, alii autem iam notionem feriae sextae fuisse fixam certamque. Certum quidem est tempore posteriore hanc significationem voci inesse (cf. *Clemens alex.*, Strom. 7,12; *Orig*. c. Cels. 8,22; *Constit. apost.* 5,18; *M*. 9,504; 11,1552; 1,889); de tempore autem apostolico dubitari potest; nam Marc. 15,42 additur explanatio ὅ ἐστιν προσάββατον (cf. Iudith 8,6) et *Iosephus* designat ante diem sabbati (τῇ πρὸ αὐτῆς παρασκευῇ, Antiq. 16,6,2). Sed pro nostro loco parum refert, utra notione accipiatur. Priorem si praetuleris, habes diem praeparatorium [1] τοῦ πάσχα, agni paschalis; si alteram malueris, habes feriam sextam agni paschalis, feria sexta scil. in cuius vespera coena paschalis celebrabatur. Est locutio eadem qua nos dicimus v. g. dominicam palmarum. Certum quoque est τὸ πάσχα significare agnum paschalem vel etiam coenam paschalem (cf. Matth. 26, 2. 19; Marc. 14,1. 12. 16. Luc. 22, 1. 11. 15 et vide quae dixi ad 12,1 et 13,1). De die festo non est sermo; nam diem festum pascha evangelista τὴν ἑορτήν [2] nominat (cf. 2,23; 6,4; 13,1). Clare itaque significatur dies in cuius vespera Iudaei coenam paschalem erant celebraturi, uti iam ex 18,28 necessario colligitur [3].

Illa quoque hora memorabilis commemoratur ὡς ἕκτη. Haec quidem lectio ab aliquibus impugnatur, qui legere malunt : hora quasi tertia (*Patr. Corl.*), ita ut plane idem enuntietur quod Marc. 15,25 legitur. Adstipulantur quoque veterum aliqui; ita Chronicon paschale, et Severus (cat. Cord. et Cr.) refert Eusebium quoque asseruisse legi oportere horam tertiam, idem vult Ammonius (in eadem catena) et hanc lectionem Nonnus quoque sequitur. Eam tamen lectionem codices paucissimi exhibent et, uti ex verbis Eusebii clare elucet, hora tertia in hoc evangelio ab aliquibus scripta est, ut habeatur eadem cum Marco hora. Ceterum abundant testimonia et codicum et veterum scriptorum pro hora sexta, quae ex testimonio versionum quoque omnino retinenda est. Neque difficultas conciliandi narrationem utriusque adeo magna est; nam cum apostoli non haberent solaria vel horologia et insuper duratio horae pro vario anni tempore esset varia, utraque

1. Hanc acceptionem *Belser* quoque proponit; cf. Tübinger Quartalschrift 1896 p. 545.
2. Id quidem *Belser* negat l. c. p. 543; at locis quos laudavi tamen discrimen illud satis clare proponitur ipsa loquendi diversitate.
3. In apocrypho Petri evangelio legitur Christum esse crucifixum et sepultum πρὸ μιᾶς τῶν ἀζύμων, τῆς ἑορτῆς αὐτῶν.

expressio et hora tertia et hora quasi sexta satis vaga est. Ioannem autem computasse horas ab ortu solis, certum est (cf. 4,6. 52); vide quae de ea re accuratius exposui in Comment. Marc. p. 414.

Pilatus accusationem quam synedristae protulerunt in magnam irrisionem eorum vertit et hac ludificatione vindictam capit quod se invitum coegerint ad obsequendum; quare sedens pro tribunali antequam sententiam fert, irridens *dicit Iudaeis : ecce rex vester;* cum iam sedeat pro tribunali, proin ad sententiam ferendam sese paratum exhibeat, nullatenus haec verba cum aliquibus (*Euth. Aug. Thom. Cai.*) ad placandos et miseratione commovendos Iudaeos dici potuerunt neque ut persuaderet Iudaeis talem regem nihil damni inferre posse Caesari (*Tol.*), verum accusationem eorum se nunc accipere dicit et simul magno sarcasmo non dicit : se fecit regem, sed : ecce rex vester. Irrisione furiosi et sanguinem Iesu sitientes clamores tollunt, ut sine ulla mora sententia feratur v. 15 *illi autem clamabant : tolle, tolle, crucifige eum;* iam eius aspectum ferre non possunt; Pilatus autem exacerbatos etiam magis pungere, illudere, sugillare acerbis facetiis gestit; quo iram suam de coactione sibi illata expleat; *dicit eis Pilatus : regem vestrum crucifigam? responderunt pontifices : non habemus regem nisi Caesarem;* scit Pilatus quam aegre ferant dominationem romanam, neque ignorare poterat vigere inter eos spem certam resuscitandi regni iudaici; quare profecto laetatus est Pilatus quod eos coegerit ad publicam invisae suae servitutis professionem et ad publicam negationem illius exspectationis regni iudaici. Pontifices vero excaecati odio in Iesum hac voce sollemniter repudiant Messiam regem qui tot vaticiniis promissus est et quem omnes Iudaei magno animorum desiderio exspectant; « recalcitravit hic Israel et ab amicitia Dei aperte resilit atque iuxta Mosis vocem reliquit Deum factorem suum; animadverte enim quo pacto facies meretricis facta sit ipsi; gloriam suam abiecit, Dominum suum negavit » (*Cyr.*); « ergo concedatur illis non habere regem nisi Caesarem, quoniam omnes alios abiecerunt, neminem excipientes, sive Deum sive hominem, et condigna sibi accipiant dona Caesaris, scilicet interfectionem et captivationem gentis, eversionem civitatis, incendium et irrecuperabilem ruinam templi » (*Rup.*). Contigit illis quod Iud. 9,15 scribitur : egrediatur ignis de rhamno et devoret cedros Libani; et iterum eis evenit quod olim Isaias minatus erat : pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, ecce Dominus adducet super illos aquas fluminis fortes et multas (Is. 8,6; *Bar.*). Et merito monet *Salmeron :* vide insignem impudentiam et insolentiam pontificum; nam coram omni populo profitentur se regem non habere nisi Caesarem, quem tamen ut tyrannum et

iniustum regni invasorem et oppressorem habebant et odio prosequebantur. Postquam pontifices negarunt se habere Messiam regem, in Iesum sententia mortis profertur : ibis in crucem; morte enim sua Messias regnum suum condidit et subditos sibi et cultores comparavit v. 16 *tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur* i. e. Iesum tradidit voluntati eorum (Luc. 23,25); nam, ut Petrus Iudaeis exprobrat : hunc interemistis; auctorem vitae interfecistis (Act. 2,23; 3,15).

e) Iesus in cruce 19,16-30.

19,16. Susceperunt autem Iesum, et eduxerunt.

17. Et baiulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha. 18. Ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum.

19. Scripsit autem et titulum Pilatus; et posuit super crucem. Erat autem scriptum : IESUS NAZARENUS, REX IUDAEORUM. 20. Hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus; et erat scriptum hebraice, graece et latine. 21. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum : Noli scribere, Rex Iudaeorum, sed quia ipse dixit : Rex sum Iudaeorum. 22. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi.

23. Milites ergo quum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem), et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit; ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt.

25. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius Maria Cleophae, et Maria Magdalene. 26. Quum vidisset ergo Iesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae : Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.

19,17. Παρέλαβον δὲ τὸν Ἰησοῦν (καὶ ἀπήγαγον) καὶ βαστάζων αὑτῷ τὸν σταυρὸν ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον Κρανίου τόπον, ὃ λέγεται Ἑβραϊστὶ Γολγόθ· 18. ὅπου αὐτὸν ἐσταύρωσαν, καὶ μετ᾽ αὐτοῦ ἄλλους δύο ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, μέσον δὲ τὸν Ἰησοῦν.

19. Ἔγραψεν δὲ καὶ τίτλον ὁ Πειλᾶτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ· ἦν δὲ γεγραμμένον, Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. 20. τοῦτον οὖν τὸν τίτλον πολλοὶ ἀνέγνωσαν τῶν Ἰουδαίων, ὅτι ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως ὅπου ἐσταυρώθη ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἦν γεγραμμένον Ἑβραϊστὶ, Ῥωμαϊστὶ Ἑλληνιστί. 21. ἔλεγον οὖν τῷ Πειλάτῳ οἱ ἀρχιερεῖς τῶν Ἰουδαίων, Μὴ γράφε, Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· ἀλλ᾽ ὅτι ἐκεῖνος εἶπεν, Βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων εἰμί. 22. ἀπεκρίθη ὁ Πειλᾶτος; Ὃ γέγραφα, γέγραφα.

23. Οἱ οὖν στρατιῶται, ὅτε ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, ἑκάστῳ στρατιώτῃ μέρος, καὶ τὸν χιτῶνα. ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄραφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι᾽ ὅλου. 24. εἶπον οὖν πρὸς ἀλλήλους· Μὴ σχίσωμεν αὐτὸν, ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ, τίνος ἔσται· ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, Διεμερίσαντο τὰ ἱμάτιά μου ἑαυτοῖς, καὶ ἐπὶ τὸν ἱματισμόν μου ἔβαλον κλῆρον.

25. Οἱ μὲν οὖν στρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν· εἱστήκεισαν δὲ παρὰ τῷ σταυρῷ τοῦ Ἰησοῦ ἡ μήτηρ αὐτοῦ, καὶ ἡ ἀδελφὴ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ, καὶ Μαρία ἡ Μαγδαληνή. 26. Ἰησοῦς οὖν ἰδὼν τὴν μητέρα, καὶ τὸν μαθητὴν παρεστῶτα ὃν ἠγάπα, λέγει τῇ μητρὶ, Γύναι, ἴδε ὁ υἱός σου. 27. εἶτα λέγει τῷ μαθητῇ, Ἴδε ἡ μήτηρ σου. καὶ ἀπ᾽ ἐκείνης τῆς ὥρας ἔλαβεν

28. Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. 30. Quum ergo accepisset Iesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum.

ὁ μαθητὴς αὐτὴν εἰς τὰ ἴδια. 28. Μετὰ τοῦτο Ἰησοῦς εἰδὼς, ὅτι ἤδη πάντα τετέλεσται, ἵνα τελειωθῇ ἡ γραφὴ, λέγει, Διψῶ. 29. Σκεῦος ἔκειτο ὄξους μεστόν· σπόγγον οὖν μεστὸν τοῦ ὄξους ὑσσώπῳ περιθέντες, προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι. 30. ὅτε οὖν ἔλαβεν τὸ ὄξος Ἰησοῦς, εἶπεν, Τετέλεσται· καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν, παρέδωκε τὸ πνεῦμα.

In v. 17 τον Ιησουν sine addit B L X a b c e ff[2] cop Cyr; al add και απηγαγον. In v. 20 εβρ. ρωμ. ελλην. hoc ordine א[a] B L X alq minusc sah cop arm aeth Cyr e ff[2].

Sententia crucifixionis statim exsecutioni mandatur; *susceperunt autem Iesum*, scil. milites; cf. v. 23; milites enim crucifixerunt eum; *et eduxerunt;* Iesus enim extra portam passus est (Hebr. 13,12) v. 17 *et baiulans sibi crucem* βαστάζων etiam verti potest et imponens sibi crucem, *exivit in eum qui dicitur Calvariae locum hebraice autem Golgotha;* qui ad crucem damnati erant, ipsi sibi crucem ad locum supplicii qui apertus et publicus seligi solebat ferre debebant; plura vide in Comment. Matth. II p. 514; ex Matth. 27,32 et Marc. 15,21 discimus Iesum non per integram viam crucem portasse, sed Simonem Cyrenaeum coactum esse, ut tolleret crucem eius; Golgotha bene explicatur Luc. 23,33 κρανίον; cur ita vide Comment. l. c. p. 516 seq.; v. 18 *ubi crucifixerunt eum* milites v. 23 *et cum eo alios duos hinc et hinc, medium autem Iesum*, ut inter sceleratos primum locum habere credatur; cf. Is. 53,12 et cum sceleratis reputatus est. De crucifixione vide quae pluribus disputavi in Comment. l. c. p. 519-524.

In gestatione crucis impletam esse figuram quae in Isaac ligna portante habeatur *Chr.* docet; idem crucem dicit portari a Iesu ut tropaeum contra mortis tyrannidem; « et sicut victores, sic et ipse victoriae symbolum humeris gestabat »; ferebat crucem in humeris tamquam strenuus miles lanceam qua deiecturus erat adversarium (*Euth.*). Et *Aug.* ita de gestatione crucis disserit : « grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium; si spectet impietas, grande ignominiae documentum; si pietas, grande fidei munimentum; si spectet impietas, ridet regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum, in quo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum; ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat ».

More romano iis qui ad supplicium ducebantur tabula praeferebatur, in qua crimen scriptum erat; exempla habes in Comment. l. c. p. 525;

similis mos de Iudaeis quoque refertur (cf. *Surenhusius* IV p. 233). De quo titulo Ioannes plura refert v. 19 *scripsit autem et titulum Pilatus*, τίτλος, titulus, est vox propria ad eiusmodi causae inscriptionem designandam; Nonnus : χαλέουσι Λατινίδι τίτλον ἰωῇ; *et posuit super crucem* i. e. scribi, poni iussit; *erat autem scriptum : Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum;* habuit Pilatus, cur ita scriberet; cf. v. 14. 15; accusatus erat Iesus quod se faceret regem; ipse dixerat se esse regem; ante paucos dies salutatus erat a plebe : benedictus qui venit rex (Luc. 19,38); eo titulo et efficaciter declinavit minas pontificum v. 12 et ipsis illis haud parvum inferebat opprobrium suumque manifestabat contemptum. Sed pariter agnoscendum erit titulum eam in formam scriptum esse non sine peculiari Dei providentia; verba haec claram emittunt vocem et victoriam regnumque eius praedicant (*Chr.*); edicunt verba, Iesum ob eam solam causam esse cruci suffixum, quia sit rex Iudaeorum; et revera quia est unus ille rex, quem Iudaei ex vaticiniis collapso throno Davidis temporali exspectare iubebantur (cf. Ier. 22,30; 23,5. Ez. 21,27), propterea oportuit eum pati et reputari inter sceleratos et morte sua peragere redemptionem nostram.

Propter sollemnitatem paschalem multi in urbem convenerant (11, 55) v. 20 *hunc ergo titulum multi Iudaeorum legerunt, quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus, et erat scriptum hebraice*, aramaice, *graece et latine*, ut omnes, etiam ii ex dissitis regionibus, Hellenistae, eum legere possent; « latine, propter Romanos multis ac pene omnibus iam tunc gentibus imperantes » (*Aug.*). In more positum erat monumenta publica pluribus scribere linguis pro vario incolarum genere; eiusmodi monumenta reperta sunt in Aegypto, in Babylonia etc.; uti *Iosephus* refert, Caesar iussit decretum graece latineque tabulis aereis mandari, item Marcus Antonius iubet Tyrios edictum in tabulas publicas referre litteris latinis graecisque; latine et graece in columnis atrii templi inscriptum erat, nemini licere alienigenae in locum sanctum intrare (Antiq. 14,10,2. 12,5; Bell. iud. 5,5, 2). « Per illas tres linguas omnium celeberrimas Servatoris nostri regnum titulus fatebatur et primitias veluti quasdam scriptae de eo prophetiae offerebat crucifixo » (*Cyr.*). Cruce Christi eas linguas quasi sacratas esse ad cultum divinum ideoque in sacra liturgia adhiberi adnotant (cf. *Ians. Lap.*). Et cum mors haec pro omnium salute esset et omni linguae et nationi praedicanda, non sine providentia divina factum est, ut communi titulo omnibus proponeretur (*Tol.*).

Aculeum sentiunt pontifices v. 21 *dicebant ergo Pilato pontifices Iudaeorum : noli scribere : rex Iudaeorum, sed quia ipse dixit : rex sum Iudaeorum;* brevissime, sed fortiter eos repudiat v. 22 *respondit*

Pilatus : quod scripsi scripsi, id quod scriptum est a me, manet ita sine ulla mutatione. Nunc tandem Pilatus se talem exhibet qualem Philo eum describit (Leg. ad Caium, Mang. 2,590) hominem in decreto pertinacem, durum, inflexibilem, sententiae tenacissimum (*Calm.*). Et postquam invitus cessit postulationi pontificum, in hac eorum repulsa aliquam capit vindictam de coactione sibi illata sane gavisus quod ignominiam sentiant neque avertere possint. Ipsis autem pontificibus iam accidit quod sceleratis evenire solet. Sperabant enim triumphum agere et gaudio affici, si tandem Christum viderint sublatum in cruce; verum statim contaminatur gaudium eorum aegritudine et indignatione.

Vestes cruciariorum cedebant carnificibus (vide quae notavi ad Matth. 27,35) v. 23 *milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius* (*et fecerunt quattuor partes; unicuique militi partem*) *et tunicam;* praeter tunicam habuisse Iesus censeri potest pallium, interulam, cingulum, sandalia vel soleas. Ex Marc. 15,24 sequi videtur, eos etiam sortem misisse super quattuor illas partes quis quid tolleret; idque iam per se suadetur, quia certe illae partes non erant eiusdem singulae pretii; in tali autem diversitate recurri solet ad sortes. Quae alii summatim retulerunt, accuratius narrat Ioannes addens de tunica : *erat autem tunica* χιτών *inconsutilis* ἄρραφος nullam habens suturam, *desuper contexta per totum*, ἄνωθεν i. e. a summitate, ab apertura pro capite incipiebat textura; totum vestimentum erat opus textorium; *Nonnus* ἀπ' αὐχένος εἰς σφυρά a cervice ad talos. Erat itaque vestimentum, sicut *Iosephus* tunicam pontificis describit : haec tunica non constat ex duabus plagulis, ut suturas habeat in humeris ac lateribus, sed unicum est vestimentum in longum undique circumtextum, qua collo induitur aperturam habens (Antiq. 3,7,5). Haec texendi ars etiam hodie in regionibus orientalibus nota et in usu est; varia refert *Rosenmüller* (Morgenland V p. 273); plura quoque invenies in libro a *Bock* conscripto : Geschichte der liturgischen Gewänder tom. I p. 407 seq., ubi in tabula IX habes figuram ad eam artem illustrandam. Patet tali veste scissa pannos parvi esse pretii; vesti integrae vero suum manere usum et pretium; v. 24 *dixerunt ergo ad invicem : non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit;* « videlicet quia lucrose venumdare poterant vestimenta eius, idcirco prae magnae victoriae spoliis ea sorte milites acceperunt; non enim vilia putabantur vestimenta; nec utique tunc in illo spectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim se ingererent. Nam ut taceam de matre et discipulo quem diligebat Iesus, stabant, inquit Lucas, omnes noti eius a longe » (*Rup.*).

Eo quoque vaticinium est impletum : *ut scriptura impleretur dicens : partiti sunt vestimenta mea sibi et in vestem meam miserunt sortem;* Ps. 21,19; cuius psalmi prima verba Iesus in cruce ipse recitavit (Matth. 27,46. Marc. 15,34); ad v. 16 alludere videtur in verbo : sitio; ad ultimum psalmi verbum (hebr.) referri potest illud : consummatum est. « Haec omnia utiliter praedicta sunt, ut cum rerum eventu verba conferentes agnosceremus eum ipsum esse qui praedictus est quem venturum pro nobis in forma nostra et pro vita omnium moriturum sperabamus » (*Cyr.*); *et milites quidem haec fecerunt;* inscii oraculum implent. Tunicam inconsutilem figuram esse unitatis Ecclesiae frequenter dicunt (cf. *Rup. Ians.*); alii ea designari caritatem censent (*Aug. Bed. Thom.*); in quattuor illis partibus quadripartitam Ecclesiam cernunt exprimi, toto scil. qui quattuor partibus constat, terrarum orbe diffusam ab oriente ad occidentem, ab aquilone ad meridiem (cf. *Cyr. Aug. Tol.*).

Adfuisse in loco crucifixionis mulieres Iesu devotas etiam synoptici referunt; at earum mentionem faciunt solum morte Christi narrata (Matth. 27,55; Marc. 15,40. Luc. 23,49). Ioannes accuratius refert nominans Mariam, matrem Iesu et discipulum i. e. seipsum et verba Iesu recensens v. 25 *stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene;* uti textus effertur, Maria Cleophae est appositio ad antecedens, ita ut tres mulieres nominentur; versio communis syriaca et versio aethiopica inserunt *et* Maria Cleophae; etiam ex recentioribus aliqui quattuor mulieres designari volunt ea ratione potissimum moti, ne in una eademque familia duae sorores eodem nomine Mariae vocentur. Quae tamen ratio parum efficax est. Nam certum non est fueritne Maria Cleophae revera *soror* matris Iesu; haec enim Maria uxor Cleophae erat (uti plerique explicant; cf. *Euth. Ians. Calm. Corl. Schg. Schz. Fil. Weiss, Keil;* alii filiam [1] Cleophae *Theoph. Alb. Thom. Bon.*) mater Iacobi et Ioseph (Matth. 27,56); Cleophas autem, Κλωπᾶς, teste Hegesippo (apud Euseb. h. e. 3,11) frater erat Ioseph, sponsi b. Virginis. Quare sicut *frater* de cognato dicitur, ita *soror* quoque (cf. Gen. 20,12. Iob 42, 11). Ceterum uti in eadem familia duos fratres eodem nomine appellari reperitur (vide in Comment. Matth. II p. 3 annot. 1), ita etiam fieri potuit, ut duae sorores eodem vocarentur nomine. Proin nulla ratio est quattuor mulieres statuendi. Pariter plane arbitrarium est sororem matris eius intelligere matrem filiorum Zebedaei, Salomen; nam Ioannem fuisse cognatum Domini ne vestigium quidem ullum

1. At mulieres secundum patrem non nominantur, sed secundum maritum; cf. Matth. 1,6. Luc. 8,3.

reperitur. Attendendum est, quomodo Ioannes Mariam Magdalenen inducat : Μαριὰμ ἡ Μαγδαληνή; nullo modo indicat eam esse illam Mariam de qua iam saepius locutus erat 11,1. 2. 5 quam sororem Marthae esse scimus, quae unxerit Dominum, cuius frater Lazarus appellatur; de qua 11,19. 20. 28. 31. 32. 45. 12,3 mentionem satis frequentem fecit. Quae si consideraveris, certum est eam quam nunc alio prorsus cognomine inducit non esse eandem illam quam toties iam nominavit Mariam, cuius castellum dixerat Bethaniam. Atque idem discrimen advertitur Luc. 8,2; 24,10, si conferatur 10,39. 42. Haec itaque Maria designatur cognomine a Magdala petito, quod erat castellum in regione Genesareth ad litus occidentale maris Tiberiadis, et haec Maria recensetur inter illas mulieres quae Iesum secutae erant a Galilaea ministrantes ei (Matth. 27,55), id quod de altera Maria, sorore Lazari, non dici potest. Ceterum vide quae pluribus dixi in Comment. Matth. II p. 399 seq.

Merito expendunt verbum *stabant;* « stabat ante crucem mater et fugientibus viris stabat intrepida; videte utrum pudorem mutare potuerit mater Iesu quae animum non mutavit. Spectabat piis oculis filii vulnera, per quem sciebat omnibus futuram redemptionem; stabat non degeneri mater spectaculo, quae non metuebat peremptorem; pendebat in cruce filius, mater se persecutoribus offerebat. Alii evangelistae scripserunt quod in passione Domini terra contremuit, sol refugit, persecutoribus venia postulata est; iste dilectus Domini piae voluntatis arcana ab aliis dicta praeteriens hoc diligentius prosecutus est, ut maternae virginitatis perseverantiam suo iudicio comprobaret » (*Ambrosius*, de instit. virg. cap. 7; *M.* 16,318). Stabat corpore erecta et excelsa, animo excelsior spectans et admirans magnum hoc pietatis sacramentum (*Lap.*). Cernitur in ea constantissimus erga filium amor et fortitudo; neque enim timuit neque erubuit inter tam feros et tam multos inimicos quamvis mater eius qui crucifigebatur agnosceretur assistere et publico in loco omnibus conspicua stare. Maximo sane dolore cor eius premebatur et veluti conterebatur, dum filium tam crudelem mortem subeuntem videret; tunc plane impletum est prophetia Simeonis : tuam ipsius animam gladius pertransibit (*Tol.*). Quaerunt veteres quandoque, utrum b. Virgo dum primum Christum in cruce pendentem aspexit, spasmum seu animi deliquium passa sit necne; affirmant alii, alii longe communius negant; vide *Salmeron* t. 10 tract. 41, *Cai. Ians. Mald. Lap.* etc. Unus ex veteribus, *Cyr.* non dubitat matrem Iesu ad crucem ita loquentem inducere quasi de filii divinitate dubitaret et timeret, ne deceptus esset dum seipsum Filium omnipotentis Dei diceret (*M.* 74,661).

Iam lignum illud, ut ait *Aug.*, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit magistri docentis v. 26 *cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae : mulier, ecce filius tuus; mulier* compellatio est honorifica; vide ad 2,4; noluisse matrem dicere, ne eius augeret dolorem, quandoque dicunt (cf. *Ians. Lap.* qui alias quoque rationes afferunt) : *ecce filius tuus,* ecce qui loco filii tibi debeat obsequi, tuam gerere curam, cui tu tamquam filio confidas; « ipse vero crucifixus matrem suam filio commendat, ut nos doceat ad extremum usque halitum parentum curam praecipuam esse gerendam » (*Chr.*), et *Aug.* : « ex hac sane doctrina didicerat Paulus apostolus quod docebat : si quis autem suis et maxime domesticis non providet, fidem negavit et est infideli deterior (1 Tim. 5,8). Huius itaque saluberrimi praecepti ipse magister sanctorum de se ipso constituebat exemplum, quando non ut famulae Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua creatus fuerat et quam relinquebat alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit quod sequitur indicat; ait enim evangelista : et ex illa hora accepit eam discipulus in sua ». Quia igitur ipse iam terram hanc relicturus erat, filium ei alterum providet qui illius curam agat diligentissimam. Ostendit itaque Iesus sollicitam diligentiam de matre, uti *Thom.* loquitur, qui verbum illud exponit : usque modo curam tui habui et fui memor tui; tibi istum derelinquo. Matrem itaque solatur ei providens filium qui eius habeat curam (cf. *Alb. Bon. Cai. Ians. Salm. Sa, Estius, Lap. Tirinus, Nat. Calm. Corl. Schg. Schz. Fil.*). Ioanni commendat matrem, quia hic erat discipulus quem diligebat Iesus, cui ideo matrem suam tamquam pretiosissimum amoris pignus donavit (*Corl.*).

Uti matri indicat, qui iam loco filii obsequia praestare debeat, ita Ioanni quoque explicite commendatur, ut eam tamquam matrem foveat, custodiat v. 27 *deinde dicit discipulo : ecce mater tua*, cui scil. reverentiam et obsequia exhibere debes, et omnia pietatis filialis officia praestare, cui servias ut filius matri (cf. *Alb. Thom. Bon.* etc.). Magnum honorem discipulo esse collatum *Chr.* effert. Merito etiam concludunt ex utraque hac commendatione Iosephum fuisse iam mortuum (uti *Epiphanius*, haer. 78,9; *M.* 42,714; *Salm. Tol. Bar. Lap. Calm. Nat.*); pariter infertur eos qui fratres Iesu dicuntur, non fuisse filios Mariae (cf. *Epiphan.* l. c. etc.): quia si filii exstitissent, maxima fuisset ignominia illis illata, si mater alieno nutrienda et fovenda traderetur. Iure quoque advertunt matrem virginem virgini discipulo esse commendatam (*Hieronymus*, de vir. ill. *Epiph. Euth.* etc.). Promptissime Domini mandatum exsequitur discipulus : *et ex illa hora*

accepit eam discipulus in sua εἰς τὰ ἴδια, in domum suam, in qua habitabat et singularem eius gerebat curam in exhibendis pietatis officiis. Cum mater Ioannis recenseatur inter mulieres quae Domino ministraverint (Matth. 27,56), facultatibus matris uti poterat ad Virginem sustentandam. Nam etsi apostoli omnia reliquerant, eorum propinqui tamen possidebant quae ad vitam necessaria erant (*Schz.*). Alii explicant : ad se « quae explicatio praeplacet, quia pressius inhaeret textui. Iuxta contextum Christus commendavit quidem matrem discipulo, at non videtur discipulum vicissim matri commendasse, quamvis nequeat dubitari b. Virginem materno plane amore Ioannis erga se sollicitudinem rependisse » (*Corl.*). Id plane verum est; et insuper dici poterit, ex verbis Christi : *ecce filius tuus,* quibus ei Ioannes assignatus est ut curam gerens, consequi, ut mater eum etiam ut talem acceperit et gratum habuerit et quasi filium matris amantem dilexerit.

Quid igitur de pervulgata illa opinione Ioannem sub cruce stantem gessisse personam fidelium omnium, nosque omnes Mariae virgini tamquam filios esse commendatos et Christum nobis matrem suam in matrem nostram dedisse, Mariam sub cruce quasi testamento Filii esse nostram matrem constitutam? Uti ex explicatione textus patet quam dant interpretes et veteres et recentiores, haec in sensu litterali non continentur neque ab ullo s. Patre verba in eum sensum accipiuntur. Verbis enim illis solum « docemur Christum voluisse ante mortem suam matris orbitati subvenire, procurando ei refugium apud dilectionis discipulum; unde *ex illa hora accepit eam discipulus in sua* » (*Corl. Fil.*). Haec est interpretatio Aug. Chr. Cyr. etc. Unde illa vulgaris opinio non est interpretatio textus, verum solum *sensu accommodatitio* ex evangelio eruitur (*Corl. Fil.*). Primus qui reperiri potuit verba illa ad hunc sensum transtulit *Rup.* ita scribens : « quia in passione unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo, recte et de alio quolibet discipulo, si praesens adesset dici potuisset, nisi quia licet omnium, ut dictum est, mater sit, pulchrius tamen huic ut virgo virgini commendari debuit ». Postmodum haec applicatio verborum : in Ioanne nos omnes datos esse Mariae filios nobisque datam esse Mariam in matrem, satis communis evasit (cf. *Salm. Tol. Bar. Lap.*); multa recentiorum ascetarum effata videre potes in tomo 13 coronae aureae, quam edidit *Migne.*

In eam acceptionem posset *Origenes* dici viam ostendisse, si ab aliquo pro ea applicatione allegaretur. At eius applicationem satis mysticam non vidi ab ullo afferri. Scribit enim in praefatione ad Commentarium in Ioannem n. 6 : « evangelii sensum nemo percipere potest, nisi qui supra pectus Iesu recubuerit vel acceperit a Iesu Mariam quae etiam ipsius mater fiat:

adeo talem tantumque esse necesse est, qui Ioannes alius sit futurus, ut quemadmodum Ioannes, itidem etiam et iste a Iesu Iesus exsistere ostendatur. Nam si nullus est Mariae filius iudicio eorum qui de ipsa sane senserunt praeterquam Iesus, dicitque Iesus matri : ecce filius tuus, et non : ecce etiam hic est filius tuus, perinde est ac dixisset : ecce hic est Iesus quem genuisti. Etenim quisquis perfectus est, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus; cumque in ipso vivat Christus, dicitur de eo Mariae : ecce filius tuus Christus » (*M.* 14,32). Sed haec Origenes potius affert, ut explicet cur Christus dixerit : ecce filius tuus, et non : *etiam* hic est filius tuus.

Verba illa *pie adhiberi posse* ad commendandum cultum b. Virginis non est quod in dubium vocetur. Dici enim potest cum *Van Steenkiste* (in evang. Matth. 2. ed. II p. 586) : « possunt adhiberi, sed sensu quodam deducto ex sensu litterali per paritatem rationis hoc modo : per verba illa voluit Iesus, ut Ioannes Mariam in terris honoraret et coleret tamquam matrem suam, et hoc quidem propter amorem Iesu, quia huius mater erat; nos etiam qui sumus sicut Ioannes discipuli Iesu eumque diligimus (ut par est) votis Iesu obsequemur honorando matrem eius in coelis gloriosam ». — Ex hisce autem patet fundamentum et argumentum maternitatis Mariae quoad nos quaerendum esse non in his verbis, sed in relatione fraternitatis adoptivae quam cum Filio Dei per eius Incarnationem obtinuimus; vide 20,17 : vade ad *fratres* meos.

Omissis aliis quae apud synopticos referuntur de blasphemiis in Iesum iactis et de verbis Iesu in cruce prolatis, unum nobis narrat verbum, quo simul narratio synopticorum de aceto ei oblato illustratur v. 28 *postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt* τετέλεσται omnia vaticinia impleta, ἤδη πάντα *iam* omnia « quae oportebat ut fierent antequam acciperet acetum et traderet spiritum » (*Aug.*) vel « iam omnia quae passurus erat consummata esse sciens, iam fere esse completa nec aliud deesse praeter unum quod in Scriptura praedictum erat » (*Tol. Ians.*); ea voce simul significatur Dominum omnia provide passum esse et fecisse et voluisse cuncta quae de se erant implere (*Chr. Ians.*), *ut consummaretur Scriptura dixit : sitio,* ita plerique merito iungunt, ut ἵνα non ad antecedentia, sed ad sequentia referatur (*Chr. Theoph. Cyr. Aug. Rup. Patr. Corl. Schg. Schz. Fil.*); item ad Ps. 68,22 vocem hanc referri plerumque dicunt; sed etiam referri potest ad Ps. 21,16 aruit tamquam testa virtus mea et lingua mea adhaesit faucibus meis; quibus verbis id describitur quod verbo *sitio* Iesum passum esse et in se expertum declaratur. Dicitur enim Scriptura impleri in manifestatione illius perpessionis quae siti efficitur, non vero eo quod acetum milites ei porrexerunt. Quare, ut mihi videtur, melius *Scriptura* intelligitur de Ps. 21,16, in qua explicatione nulla est difficultas, dum alter locus Ps. 68,22 non caret

difficultate. « Ad extremum Christi caro proprium quiddam et naturale rursus patitur; multis enim ac variis doloribus exsiccata siti torquetur; graves quidem dolores magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam et inexplicabili calore humidum consumentes et igneis ardoribus praecordia urentes » (*Cyr.*). Id quod quam maxime iis accidere solet qui vulneribus acceptis multum sanguinis profuderunt. Iam Iesus a coena illa vespertina nihil neque cibi neque potus acceperat, maximas afflictiones in flagellatione, coronatione, gestatione crucis, crucifixione perpessus erat et iam per tres vel amplius horas corpore cruentato aeri expositus in cruce pendebat. Unde dici non potest quanta tormenta sustinuerit.

Cruciariorum causa acetum praesto fuisse apparet eo quod spongia et calamus erant parata v. 29 *vas ergo erat positum aceto plenum;* ὄξος explicatur quoque *posca,* potio ex aceto et aqua mixta; *illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes* i. e. calamo hyssopi; cf. Marc. 15,36; Matth. 27,48, *obtulerunt ori eius;* calamus hyssopi longitudine habet pedem unum atque dimidium; crucem itaque non adeo altam fuisse apparet. Calamum *hyssopi* adhibitum esse solus nos docet Ioannes. Fasciculus eius plantae sanguine agni paschalis tinctus olim inservivit ad aspergendum superliminare et utrumque postem (Ex. 12,22); quare aliqui concluserunt, ab evangelista consulto et contra rei veritatem mentionem hyssopi narrationi esse insertam, quia voluerit similitudinem quandam effingere inter primum pascha et Iesum agnum Dei. Sed homines acuti non vident si quis fingere vellet talem similitudinem, minime fore ut hyssopi calamo uteretur ad potum porrigendum, in qua re nulla prorsus est similitudo cum ritu agni paschalis. Ad multo meliorem considerationem nos avocat *Chr.* : tu vero mihi considera quomodo crucifixus omnia sine perturbatione faciat, discipulum de matre alloquatur, prophetias impleat, latroni bonam spem indat, etiamsi antequam crucifigeretur visus fuerit sudare, in agonia esse, timere; illic enim naturae infirmitas ostensa est, hic postestatis magnitudo. — Sunt qui putent acetum praesto fuisse, quo milites reos a deliquio excitarent vel fluentem sanguinem reprimerent; quam sententiam *Corl.* probabiliorem existimat. Verum cum voce Iesu audita statim ei eo modo quo fieri potest potum offerant, illud ex hoc saltem loco colligi nequit; « sic illi potum dederunt, ut damnatis porrigitur; nam hyssopus ideo praesto est » (*Chr.*).

« Deinde quia nihil remanserat quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, tamquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam et iterum sumendi eam, peractis omnibus quae ut peragerentur exspectabat inclinato capite tradidit spiritum » (*Aug.*) v. 30

cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit : consummatum est; ergo illationem ex antecedentibus indicat; est autem verborum consequentia haec : sciebat omnia consummata esse praeter unum nempe manifestationem cruciatus sitis (Ps. 21,16); ea ergo completa dixit : *consummatum est,* opus quod mandavit Pater consummatum est, opus redemptionis est absolutum; quod Christus ingrediens mundum spoponderat : ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam (Hebr. 10,7), opere complevit; cuncta quae prophetae de Messia patiente praedixerant impleta sunt; passioni eius finis est impositus; Christus factus est obediens usque ad mortem. Hac sua obedientia commendat spiritum suum in manus Patris (Luc. 23, 46) *et inclinato capite tradidit spiritum,* « quis ita dormit quando voluerit, sicut Iesus mortuus est quando voluit? quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit? quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis » (*Aug.*)? « non postquam exspiravit caput inclinavit, ut apud nos fieri solet, sed postquam inclinaverat exspiravit; quibus omnibus declaravit evangelista ipsum universorum esse Dominum » (*Chr.*).

Implet in se quod dixerat : bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis (10,11); venit Filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis (Matth. 20,28). Unde apostolus, empti estis, inquit, pretio magno (1 Cor. 6,20; 7,23), non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi et incontaminati (1 Petr. 1,18. 19); sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel, una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos (Hebr. 10,10. 14) Et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est (2 Cor. 5,15). Nunc quoque impletum est quod dixerat 12,31 nunc princeps huius mundi eiicietur foras; nam per mortem destruxit eum qui habebat mortis imperium, id est, diabolum (Hebr. 2,14); abstulit maledictum, nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : maledictus omnis qui pendet in ligno (Gal. 3,13). Christi morte vetus foedus de iure est abolitum, id quod velo templi scisso declarabatur; nunc enim habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam (Hebr. 10,19. 20). Unde omnibus patet aditus ad sancta sanctorum, ad sanctuarium coeleste, et qui aliquando erant longe facti sunt prope in sanguine eius (Eph. 2,13; cf. Rom. 3,25. 26).

f) Iesus sepelitur 19,31-42.

19,31. Iudaei ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. 32. Venerunt ergo milites; et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Iesum autem quum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. 34. Sed unus militum lancea latus eius aperuit; et continuo exivit sanguis, et aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit; ut et vos credatis. 36. Facta sunt enim haec ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

38. Post haec autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Iesu. 39. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire. 41. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter parasceven Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

19,31. Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι, ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν, ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ, (ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου,) ἠρώτησαν τὸν Πειλᾶτον, ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, καὶ ἀρθῶσιν. 32. ἦλθον οὖν οἱ στρατιῶται, καὶ τοῦ μὲν πρώτου κατέαξαν τὰ σκέλη καὶ τοῦ ἄλλου τοῦ συνσταυρωθέντος αὐτῷ· 33. ἐπὶ δὲ τὸν Ἰησοῦν ἐλθόντες, ὡς εἶδον ἤδη αὐτὸν τεθνηκότα, οὐ κατέαξαν αὐτοῦ τὰ σκέλη· 34. ἀλλ᾽ εἷς τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξεν καὶ ἐξῆλθεν εὐθὺς αἷμα καὶ ὕδωρ. 35. καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκεν καὶ ἀληθινὴ αὐτοῦ ἐστιν ἡ μαρτυρία, καὶ ἐκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει, ἵνα καὶ ὑμεῖς πιστεύητε. 36. ἐγένετο γὰρ ταῦτα, ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ, Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ. 37. καὶ πάλιν ἑτέρα γραφὴ λέγει, Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

38. Μετὰ δὲ ταῦτα ἠρώτησεν τὸν Πειλᾶτον Ἰωσὴφ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, (ὢν μαθητὴς Ἰησοῦ, κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων,) ἵνα ἄρῃ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ καὶ ἐπέτρεψεν ὁ Πειλᾶτος. ἦλθεν οὖν καὶ ἦρεν τὸ σῶμα αὐτοῦ. 39. ἦλθεν δὲ καὶ Νικόδημος (ὁ ἐλθὼν πρὸς αὐτὸν νυκτὸς τὸ πρῶτον), φέρων ἕλιγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡς λίτρας ἑκατόν. 40. ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν. 41. ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ, ὅπου ἐσταυρώθη, κῆπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον καινὸν, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἦν τεθειμένος. 42. ἐκεῖ οὖν διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων, ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον, ἔθηκαν τὸν Ἰησοῦν.

In v. 31 longe pler εκεινου του σαββ. In v. 34 percussit a ff^2 n; pupugit b; perfodit c; percussit et perfodit q. In v. 39 ℵ* B ελιγμα; al μιγμα. In v. 41 ην τεθειμενος ℵ B Cyr; al ετεθη.

Lege praescriptum erat : non permanebit cadaver in ligno, sed in eadem die sepelietur (Deut. 21,23). Ad eam legem synedristas respexisse, etiam hic quasi culicem colantes, postquam scelere ingenti patrato camelum deglutierunt, censent *Cyr. Theoph. Thom.* alii; eos

tamen metu potius et pudore commotos esse, censet *Ians.*, quia prodigiis apparentibus conturbati sibi male metuerint a populo et in conscientia pudefacti non pertulerint Christi corpus diutius oculis hominum esse conspicuum. Ceterum tamquam singulare impietatis exemplum effert *Iosephus* ab Idumaeis occisos pontifices esse abiectos insepultos, « quamquam tanta Iudaeis erat cura sepulturae, ut etiam post damnationem cruci affixos ante solis occasum tollerent et humarent » (Bell. iud. 4,5,2). Non legem, sed diem festum evangelista assignat causam, cur synedristae cruciarios celere morte voluerint exstingui et deponi de cruce, quam rationem fortasse propter lectores alienigenas maluit efferre, utpote satis obviam v. 31 *Iudaei ergo* i. e. nobiles, primores, praecipue uti ex tota passionis narratione colligi debet, pontifices, *quoniam parasceve erat,* vide ad v. 14, *ut non remanerent in cruce corpora sabbato — erat enim magnus dies ille* (*illius*) *sabbati* — qualis dies magnus fuerit, ex 18,28 elucet, erat primus dies festus et sollemnitas paschalis, et bene dicitur graece *illius* sabbati; nam ipse dies festus paschalis etiam dicitur sabbatum (Lev. 23,11. 15); quare illud sabbatum duplici ratione erat sabbatum, de quo praecipitur : dies primus erit vobis celeberrimus sanctusque (coetus sacer, hebr.), omne opus servile non facietis in eo (Lev. 23,7. Ex. 12,16 etc.). Haec itaque designatio de ipso die sollemni facillime et quasi per se intelligitur. Quod alii quandoque volunt, eo nomine designari diem post sollemnitatem in quo manipulus primus messis erat offerendus, nequit admitti. Nam hic dies secundus nulla peculiari sollemnitate prae reliquis hebdomadae paschalis diebus erat insignitus; solum manipulus offerebatur (Lev. 23,9-14); ceteroquin eo die opera fiebant sicuti aliis diebus anni qui non in sabbatum incidebant. Quare nulla potest afferri ratio cur hic dies secundus dicatur : magnus dies illius sabbati.

Cruciarii non statim ipsa crucifixione mortem obibant; nam eo supplicio nullum tale infligebatur vulnus, quo mox vita cum sanguine profunderetur. Illos inter supplicia tabescere, perire membratim et per stillicidia amittere animam Seneca dicit (ep. 101); poterant per unum alterumve diem miserrimam trahere vitam (cf. *Schg.* et quae notavi in Comment. Marc. p. 428). Recesserant pontifices a supplicii loco, antequam Christus moreretur; cum enim tenebrae fierent ab hora sexta, non poterant non excitari malae conscientiae stimulis et terrore quodam affici; unde iam ea ratione eos reliquisse locum probabile est; idem ostenditur eorum petitione. Nam « qui prius ira et invidia accensi Pilatum rogarunt ut Christum tolleret ex oculis hominum crucifigendo, iidem pudore suffusi eundem rogant ut illum tol-

lat ex oculis hominum cruci auferendo » (*Ians.*) *rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur;* crurifragio id quod diuturnitati supplicii deerat acerbitate cruciatus supplebatur satis superque. Eorum malitia cernitur eo quod non petunt perforationem seu percussionem sub alas, qua mors subito iis inferretur (cf. *Origenes*, in Matth. comment. ser. n. 140; *M.* 13,1793; *Quintilianus,* declam. 6,9) sed crurifragii cruciatum. Crurifragium erat supplicii genus apud Romanos usitatum (cf. *Sueton.* Octav. 67; Tiber. 44; *Ammianus Marcellinus* 14,9 in fine : Apollinares ambo, pater et filius... fractis cruribus occiduntur). Volunt itaque Iesu quam maximum inferre supplicium et opprobrium. At aliter divina ordinatione factum est.

Pilatus concessit; v. 32 *venerunt ergo milites* οἱ στρατιῶται; quo sensu dicitur ἦλθον? notum est vulgari narrandi modo verbum hoc saepe praemitti aliis agendi verbis, ita ut solum ampliorem quandam descriptionem exhibeat (11,48; 21,13. Matth. 13,19. 25. Marc. 2,18 etc.). Quodsi hoc loco assumpseris, milites erunt iidem de quibus in v. 23 mentio facta est. Sin aliter malueris, veniunt milites alii a Pilato missi cum instrumentis scil., ascia, malleo, ad crura frangenda; *et primi quidem* latronis ad quem primo venerunt (*Thom.*) *fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo;* v. 33 *ad Iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura;* crurifragium enim ad mortem inferendam seu accelerandam erat, non per se ad opprobrium, uti v. g. appensio mortui in patibulo; v. 34 *sed unus militum* qui fortasse dubitabat essetne solum torpore vel animi defectione similis mortuo et quo certissime de morte eius constaret *lancea latus eius aperuit* ἔνυξεν pupugit, transfixit; dicitur verbum de percussione letali (uti apud Graecos, ita v. g. apud *Iosephum:* hasta sub inguine νύττει κάτωθεν statimque occidit, Bell. iud. 3,7,35). Quare ipsa iam voce explosa iacet opinio eorum qui, ne Iesum vere mortuum esse fateri cogantur, de parva quadam rima levissimoque vulnere verbum explicare tentant. Egregie quoque negligunt, quo tandem consilio miles lancea latus percusserit et quis fuerit eius transfixionis effectus : *et continuo exivit sanguis et aqua;* ex verbis id unum colligitur, ita effluxisse sanguinem et aquam, ut utrumque clare videri ac discerni potuerit. Sed, utrum prius effluxerit sanguis et postea aqua, an simul sanguis et aqua; utrum exierit guttatim an magna copia, non indicatur narrandi modo.

Obvium videtur assumere latus sinistrum esse percussum, nisi miles fuerit ἀριστερόχειρ, qui sinistra manu pro dextera uti solebat. Atque revera in versione aethiopica, in evangeliis Nicodemi et infantiae apocryphis (cf. *Tischendorf,* evang. apocr. p. 192. 289; ev. Nicod. cp.

11; inf. cp. 35) dexterum latus dicitur percussum, quod cum a consueto modo recedat fortasse certa traditione proditum est. Nomen militis illius fertur Longinus, e λόγχη enatum? ceterum in evangelio Nicodemi centurio hoc nomine appellatur. Uti verba dicunt, verum sanguinem et veram aquam e latere transfixo exisse tenendum est; nam cavere oportet errorem ab Innocentio III damnatum (cf. Decret. Greg. IX lib. III tit. 41 c. 8) non veram aquam fuisse sed humorem phlegmaticum, phlegma. Dubium vix est quin in hoc eventu miraculi quidquam intervenerit, saltem in aqua (cf. *Theoph. Euth. Thom. Cai. Bar. Lap. Corl. Schg. Schz.*), quamvis aliqui negent evangelistam eum eventum considerasse miraculosum, quia id nullatenus indicet (*Fil. Weiss*). Sed ubique evangelista narrat rem, prouti gesta est nihil dicens de miraculo, quod igitur ex eventu ipso concludendum est. Aliqua naturalis conditio cui res miraculosa aquae effluentis quasi superstruitur cerni potest in pericardio quo cor involvitur; nam in spatio quod corde non impletur continet pericardium liquorem pericardii, fere dimidiam unciam (cf. *Hyrtl,* Anatomie 12. ed. p. 882). Pericardio itaque laeso liquor ille effluxit (cf. *Langen,* Letzte Lebenstage Jesu p. 357). Alii rem explicant distinctione facta inter serum et placentam (cf. *Schz.*); per mortem enim sanguinis coagulati globulos separatos ab liquore quem serum vocant una cum sero quod maximam partem aquae continet effluxisse; at serum tamen proprie aqua non est, sicuti etiam ille liquor pericardii viscosus est et minime fluit sicut aqua. Quare concludit *Corl.* sanguinem fluxisse iuxta leges naturae, aquam per miraculum.

Ad quem eventum Ioannem quoque respicere saepe aiunt in prima sua epistola 5,6 : hic est qui venit per aquam et sanguinem, Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Sed haec verba multo melius congruunt baptismo Christi, quo mortem se obiturum significavit, et sanguinis effusioni in passione factae; praeterea attende cum emphasi dici : non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Sed si de perforatione lateris esset sermo, potius dicendum erat : non in sanguine solum, sed in sanguine et aqua; nam aquam e percusso latere effluere vix quisquam exspectaret, sanguinem effluere nemo miraretur. Dein quod l. c. additur : spiritus est qui testificatur, videtur referri ad baptismum.

Quod aliqui opinati sunt Christum rupto corde obiisse, admitti nequit. Nam artis medicae periti dicunt rupturam cordis non evenire nisi in organismo morbido seu aliquo defectu laborante; ita scribit v. g. *Niemeyer :* niemals zerreisst ein gesundes Herz, cor sanum rumpitur nunquam (Pathologie I p. 304; item *Lebert,* Praktische Medizin, 2. ed. I p. 685). Iam evidens est in Iesu morbidam cordis affectionem, noxiam cordis pinguitudinem quae est rupturae causa praecipua, assumi nullatenus posse. Porro

Christus exhibetur nobis non morbo aliquo obiisse, sed : occident eum (Luc. 18,33), interficient eum (Marc. 10,34) et Petrus dicit Iudaeis : auctorem vitae interfecistis (Act. 3,15) et : quem occiderunt suspendentes in ligno (Act. 10,39). Quo modo loquendi enuntiatur, Christum supplicio crucifixionis obiisse, et nullo modo eum obiisse quidem pendentem in cruce, sed ex alia prorsus causa. Neque dici potest cor Iesu ruptum fuisse ob dolorem de malitia hominum. Contra quam opinionem militant rationes eaedem. Et quis diceret Iudaeos non aliter Iesum occidisse ac filium pessimum, qui sua vivendi licentia ac libidine causa sit, ut prae dolore pater eius diem obeat? Si itaque quandoque sermo fit de corde rupto Iesu, uti v. g. saepius in precibus gertrudianis, id intelligendum erit sensu non physiologico, sed metaphorico.

In eo eventu aliquid sublimius significari communis est sententia. Cernunt scil. ibi praefigurari baptismum et eucharistiam; ita *Cyr.* : lancea latus eius perfodiunt (διανύττουσιν), unde cruor aqua mistus scaturiit, quod eulogiae mysticae et sancti baptismatis imago quaedam erat atque primitiae (sim. *Theoph. Aug. Bed. Bon. Thom. Apolinarius* in cat. Cord. etc.); baptisma fluminis et sanguinis ibi *Euth.* cernit. Pervulgata est sententia ex latere Christi natam esse Ecclesiam; ita *Chr.* : « non sine causa vel casu hi fontes manarunt, sed quia ex hoc utroque Ecclesia est constituta; hoc sciunt initiati qui per aquam regenerantur et per sanguinem et carnem nutriuntur; hinc initium mysteria sumunt, ut cum ad tremendum poculum accesseris, sic venias ac si ex hoc latere potaturus esses » et frequenter monent, uti Eva formata sit ex latere Adam dormientis, ita Adam secundum inclinato capite in cruce dormivisse, ut inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit (*Aug. Bed. Rup. Thom. Bon.* etc.). Ponit *Aug.* vim in voce *aperuit* : « vigilanti verbo evangelista usus est, ut non diceret : latus eius percussit aut vulneravit aut quid aliud, sed *aperuit,* ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quae vera vita est non intratur »; legitur quippe in paucis minusculis ἤνοιξεν, unde in vulg. quoque *aperuit;* sed in vetere quoque latina versione habebatur : pupugit, percussit et perfodit. Alii latus Iesu esse percussum docent, ut per saucium latus vulnus lateris i. e. Evae sanaretur (*Apolinarius, Theoph. Euth.*). In hac percussione lateris cordisque Iesu vulneratione, quam sanguis et aqua prodiens testatur, devotio et cultus sacratissimi Cordis ipsis sacris litteris commendatur quippe quibus explicite illa percussio narratur.

Iam haec quae narravit evangelista sollemni modo vera esse et ita facta testatur v. 35 *et qui vidit testimonium perhibuit* μεμαρτύρηκεν

ille ipse qui oculis suis spectavit rem eam suo testimonio comprobatam esse et hoc suum testimonium ac testificationem permanere vult *et verum est testimonium eius* ἀληθινή; testificatio est scil. talis qualis esse debet secundum veram naturam et indolem testimonii genuini; haec est enim vis ac notio ἀληθινός (cf. 4,23. 37; 6,32; 7,28; 15,1 etc.) et ipsum esse evangelistam testem eumque intima veri persuasione rem testari cum emphasi declaratur : *et ille scit*, attende praesens tempus, quo se haec scribere indicat; neque obstat ἐκεῖνος; ponitur enim eodem modo quo 9,37 : qui loquitur tecum ἐκεῖνός ἐστιν i. e. is idem est Filius Dei; *quia vera dicit* ἀληθῆ, *ut et vos credatis*. Quid credendum sit, sequentibus declaratur, Iesum scil. esse Christum praedictum (*Cyr.*) in quo oracula sint impleta. Quare tanta asseveratione affirmat illa vere in Iesu facta esse, quia ex illis cognosci debet eum esse verum Agnum paschalem, verum Messiam. Fidem itaque docet parari et inniti factis historicis eorumque certa cognitione tamquam praeambulo quodam. Dicit *ut et vos credatis*, sicut scil. ipse aliique ex impletione vaticiniorum credunt Iesum esse Messiam. Quare dubito sitne ad rem quod *Aug.* notat : non dixit : ut et vos sciatis; sed ut credatis; scit enim qui vidit, cuius credat testimonio qui non vidit.

Sed evangelista non id vult, ut eventus illos credant, sed ut ex eventibus illis ex certissimo testimonio cognitis fidem suam confirment; ideo pergit v. 36 *facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur : os non comminuetis ex eo;* id dicitur Ex. 12,46 et Num. 9,12 de agno paschali; proin docet evangelista Iesum qui eo die immolatus est, imo eo tempore quo Iudaei occiderunt agnum paschalem, esse impletionem huius figurae, esse Agnum Dei qui tollat peccatum mundi, sicut a baptista annuntiabatur. Et singularis divinae providentiae dispositio cernitur, quia milites missi erant ad crurifragium et duorum aliorum crura revera fregerunt neque tamen Iesu, quamvis sane pontifices desiderassent tale opprobrium etiam mortuo Iesu inferri. Verum, ut bene dicit *Apolinarius*, non decebat ossium disturbare harmoniam; decebat sane agnum paschalem cum reverentia tractare, unde ab ossium confractione et ingluvie illa quam Mich. 3,3 reprehendit, omnino erat abstinendum. Omiserunt igitur milites id facere quod facere iussi erant; at fecerunt quod iussi non erant. Unde peculiaris Dei ordinatio ignorari non potest, quam demonstrat evangelista v. 37 *et iterum alia Scriptura* γραφή de uno loco dicitur saepius Marc. 12,10; Luc. 4,21; Act. 1,16, *dicit : videbunt in quem transfixerunt*, Zach. 12,10, quem locum Ioannes quoque affert Apoc. 1,7; recitatur ad sensum ex hebr. : aspicient ad me quem transfixerunt. Apud pro-

phetam Iahve loquitur; sermo est de bonis et gratia temporis messiani. Unde verbis illis duo continentur vaticinia; alterum de transfixione, alterum de spe, fiducia, reverentia, qua multi ad percussum illum oculos animosque levabunt. Qui sint illi qui eum transfixerunt, ex serie prophetiae apud Zachariam satis patet; nam ipse grex dicitur 11,12. 13 male tractare pastorem suum; transfixum autem esse Messiam pariter ex serie ordineque oraculorum elucet. Nam Messias iam apud Isaiam nobis exhibetur vulneratus, attritus, percussus (49,7-9; 50,6. 7; 53,3-12) et apud Zachariam legimus eum despectum a suis et framea impetitum ac percussum (11,12. 13; 13,7). Verba hebraea eo modo esse intelligenda, דקר perfodere, LXX legisse רקד, lectionem *ad me* esse genuinam, vide in Comment. Proph. min. II p. 371-375. Transfixionem effert evangelista et in seriem narrationis verba inserit eo modo quo apte congruunt; unde : videbunt in quem transfixerunt; quis enim non miraretur, si subito legeret : videbunt ad me quem transfixerunt?

Ex variis illis quibus Christi mors iam reddita est et ostensa gloriosa et quae synoptici narrant, unum refert Ioannes de sepultura, in aliquibus tamen supplens illorum narrationem v. 38 *post haec autem rogavit Pilatum Ioseph ab Arimathaea*, nobilis decurio εὐσχήμων βουλευτής, nobilis synedrista (Marc. 15,43), oriundus ab Arimathaea, probabilissime Ramathaim (1 Reg. 1,1; hodie pagus Er-Ram? Rentis? vide ad Matth. 27,57); discipulum Iesu eum fuisse, Matthaeus quoque narrat; sed quantum terrorem in alios exercuerint nobiles etiam hic evangelista notat (cf. 7,13; 9,22); *eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudaeorum;* verum passione et morte Iesu fortis factus iam spernit odium et inimicitias nobilium; imo, ut Lucas refert, machinationibus eorum contra Iesum nunquam consenserat; quare iam antea saltem suspicionibus illorum se exposuerat; rogavit itaque Pilatum, *ut tolleret corpus Iesu; et permisit Pilatus;* lege enim romana statuebatur, ut corpora damnatorum ad sepulturam concederentur amicis et cognatis id petentibus (vide ad Matth. 27,58); *venit ergo et tulit corpus Iesu;* apud Iudaeos cum ignominia sepeliebantur qui mortis damnati erant; lapidatus non sepelitur in sepulcris maiorum; pro malefactoribus sepulcreta a synedrio constituta erant (cf. de synedriis 6,5; *Surenhusius* IV p. 236).

In Iesu autem impletur vaticinium Is. 53,9 hebr. dari sepulcrum eius cum divite post mortem eius (cf. Comment. in Is. II p. 315 seq.). Nam praeter Iosephum, nobilem decurionem et virum divitem (Matth. 27,57), etiam pharisaeus quidam, magister in Israel et princeps Iudaeorum omni metu seposito palam demonstrat quanta teneatur in

Iesum reverentia v. 39 *venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum;* cf. 2,1 seq., *ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum;* haec solus narrat Ioannes; Nicodemus etiam iam in festo tabernaculorum ausus erat pharisaeos monere de sua in Iesum iniusta agendi ratione (7,50. 51); myrrha, σμύρνα, aroma pretiosum quod ex arbore stillat, cui a peritis nomen inditur balsamodendron myrrha; eiusmodi arbores in Arabia, Aethiopia, apud Indos reperiuntur; etiam incisuris in corticem factis succus ille acquiritur; aloe est lignum odoriferum, aromaticum, quod ad thymiamata conficienda et ad condienda cadavera adhibebatur (cf. Prov. 7,17. Cant. 4,14). Magnam fert copiam aromatum; copia ipsa demonstratur magnitudo amoris et reverentiae et honoris (cf. Gen. 43,34). Volebat enim Iesum sepelire eo modo quo viro magno et admirando convenit (*Chr.*) et quantopere Iudaeis cordi fuerit abundantia quadam aromatum magnificentiam et honorem sepulturae exhibere, constat ex iis quoque quae *Iosephus* memoriae tradidit; funus enim Herodis sequebantur quingenti famuli aromata portantes, et ipse Herodes Aristobulum (quem occiderat) magna aromatum copia sepeliendum curavit (Antiq. 15,3,4; 17,8,3). Aromata illa non solum addebantur corpori et inter lintea recondebantur, verum totum sepulcri spatium iis replebatur. Quare facile ad eum usum libras centum insumere poterant; v. 40 *acceperunt ergo corpus Iesu,* quanta reverentia, quanto dolore visis vulneribus corpus Christi de cruce deposuerint, non tam verbis exprimendum, quam pia meditatione prosequendum erit, *et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaeis sepelire;* id in gratiam alienigenarum addit evangelista; lintea illa fuisse pretiosa etiam colligi potest ex sindone munda qua corpus involutum fuit. Non dicitur corpus esse unctum, sed solum ligatum linteis cum aromatibus; quare myrrham intellige non liquidam, sed arefactam. Cum sabbatum iam proximum esset, celeriter sepultura erat praeparanda; unde aromata corpori iungebantur; tempus ad unctionem non iam erat. Ne de lotione quidem corporis cruentati mentio fit; at eam factam esse non erit in dubium vocandum.

Iesum sepultum esse prope locum crucifixionis nos docet Ioannes omittens quod ex synopticis scitur monumentum illud excisum de petra fuisse Iosephi ab Arimathaea v. 41 *erat autem in loco ubi crucifixus est hortus et in horto monumentum novum in quo nondum quisquam positus erat;* ad Domini enim cultum et servitium illa deputare decet, quae usibus humanis nondum inservierunt; ita lege ferebatur (Num. 19,2. Deut. 21,3. 1 Reg. 6,7. Luc. 19,30). Nobiles sibi sepulcrum in suis hortis aut praediis construere solebant (cf. 11,38); coe-

meteria communia habebantur solum pro pauperibus et peregrinis (cf. 4 Reg. 23,6. Ier. 26,23. Matth. 27,7); v. 42 *ibi ergo propter parasceven Iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum;* urgebat enim tempus, quia sabbatum instabat. Hora nona i. e. hora tertia post meridiem Christus exspiravit. Per aliquod tempus, dum crurifragium fieret et Pilatus de morte certior factus corpus donaret Iosepho, corpus pependit in cruce. Id deponere de cruce ablatis clavis iam ob reverentiam sacro corpori habendam celerrime fieri non poterat. Quare locus proximus ad sepulturam erat seligendus, idque propter parasceven, ne scil. labor ille fieret in sabbato, die festo. Etiam hic ita loquitur Ioannes de parasceve, ut de ipso die sollemni paschatis ne cogitatio quidem ulla suboriri possit. « Vide autem et divitias paupertatis Domini propter nos; qui enim non habuit domum in vita, neque post mortem sepulcrum habet, sed in alieno deponitur,... pone tu eum in monumento animae tuae » (*Theoph.* similiter *Severus* in cat. Cord.).

3. *Iesus gloriam suam manifestat resurrectione facta* 20,1-21,25.

Sepulcro vacuo, apparitionibus factis ostendit Iesus se vere a mortuis resurrexisse et apostolis qui testes esse debent resurrectionis documenta tradit quam maxime evidentia. Suam iis committit potestatem et migraturus a terra Petro tamquam suo vicario curam et regimen totius tradit Ecclesiae.

a) **Iesus se manifestat Mariae Magdalenae 20,1-18.**

20,1. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, quum adhuc tenebrae essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum a monumento. 2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Iesus; et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et quum se inclinasset, vidit posita linteamina; non tamen introivit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit lintea-

20,1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ ἔρχεται πρωΐ, σκοτίας ἔτι οὔσης, εἰς τὸ μνημεῖον· καὶ βλέπει τὸν λίθον ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου. 2. τρέχει οὖν καὶ ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον καὶ πρὸς τὸν ἄλλον μαθητὴν ὃν ἐφίλει ὁ Ἰησοῦς, καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἦραν τὸν κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. 3. ἐξῆλθεν οὖν ὁ Πέτρος καὶ ὁ ἄλλος μαθητής, καὶ ἤρχοντο εἰς τὸ μνημεῖον. 4. ἔτρεχον δὲ οἱ δύο ὁμοῦ· καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς προέδραμεν τάχειον τοῦ Πέτρου, καὶ ἦλθεν πρῶτος εἰς τὸ μνημεῖον, 5. καὶ παρακύψας βλέπει κείμενα τὰ ὀθόνια, οὐ μέντοι εἰσῆλθεν. 6. ἔρχεται οὖν καὶ Σίμων Πέτρος ἀκολουθῶν αὐτῷ, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ θεωρεῖ τὰ ὀθόνια κείμενα, 7.

mina posita. 7. Et sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum; et vidit, et credidit : 9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum. 12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. 13. Dicunt ei illi : Mulier quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum; et nescio ubi posuerunt eum. 14. Haec quum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Iesum stantem; et non sciebat quia Iesus est. 15. Dicit ei Iesus : Mulier, quid ploras? quem quaeris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum; et ego eum tollam. 16. Dicit ei Iesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister.) 17. Dicit ei Iesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum; vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi.

καὶ τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, οὐ μετὰ τῶν ὀθονίων κείμενον, ἀλλὰ χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον. 8. τότε οὖν εἰσῆλθεν καὶ ὁ ἄλλος μαθητὴς ὁ ἐλθὼν πρῶτος εἰς τὸ μνημεῖον, καὶ εἶδεν καὶ ἐπίστευσεν· 9. οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφὴν, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. 10. ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς αὐτοὺς οἱ μαθηταί.

11. Μαρία δὲ εἱστήκει πρὸς τῷ μνημείῳ ἔξω κλαίουσα, ὡς οὖν ἔκλαιεν παρέκυψεν εἰς τὸ μνημεῖον, 12. καὶ θεωρεῖ δύο ἀγγέλους ἐν λευκοῖς καθεζομένους, ἕνα πρὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τοῖς ποσὶν, ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. 13. καὶ λέγουσιν αὐτῇ ἐκεῖνοι, Γύναι, τί κλαίεις; καὶ λέγει αὐτοῖς, Ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. 14. ταῦτα εἰποῦσα ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ θεωρεῖ τὸν Ἰησοῦν ἑστῶτα· καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι Ἰησοῦς ἐστί. 15. λέγει αὐτῇ Ἰησοῦς, Γύναι, τί κλαίεις; τίνα ζητεῖς; ἐκείνη δοκοῦσα ὅτι ὁ κηπουρός ἐστιν λέγει αὐτῷ, Κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, εἰπέ μοι ποῦ ἔθηκας αὐτὸν, κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ. 16. λέγει αὐτῇ Ἰησοῦς, Μαριάμ. στραφεῖσα ἐκείνη λέγει αὐτῷ Ἑβραϊστί, Ῥαββουνεί, ὃ λέγεται, Διδάσκαλε. 17. λέγει αὐτῇ Ἰησοῦς, Μή ἅπτου μου. οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα, πορεύου δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, Ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν. 18. ἔρχεται Μαριὰμ ἡ Μαγδαληνὴ ἀγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς, ὅτι ἑώρακα τὸν Κύριον, καὶ ταῦτα εἶπεν αὐτῇ.

In v. 1 mu codd vulg videt; ℵ pl minusc απο της θυρας του μνημειου, item ab ostio monumenti f r dub sah cop arm aeth sin. In v. 2 Dominum meum r dub fuld mt et secundum Aug nonnulli codd gr, X Δ Eus Chr; nescio r, non scio e sin, ουκ οιδα S arm aeth syr (sch) aeth Eus Chr. In v. 4 e sin om primus; a b c d f ff² q r cav tol wil prior. In v. 5 pler codd vulg videt; sin add in sepulcrum. In v. 6 sin om sequens cum et in v. 7 om super caput, non cum lint. positum, et in v. 8 om qui venerat primus. In v. 8 duo minusc (69.124) sin viderunt et crediderunt. In v. 9 ℵ* ηδει, sciebat b c ff² q am cav dub dun eg hub car st tol val. In v. 10 sin discipuli quando viderunt haec abierunt. In v. 16 sin et intellexit eum et respondit et dixit; add ℵ^ca 13.346 και προσεδραμεν αψασθαι αυτου, item Cyr syr (hr, sin) dub eg gat : et occurrit ut tangeret eum.

Quod in narratione passionis observatur, hic quoque cernitur. Nar-

rationem quippe synopticorum et supponit et supplet Ioannes; v. 1 *una autem sabbati* i. e. prima die hebdomadis; nam τὸ σάββατον et τὰ σάββατα notionem quoque induunt hebdomadis (cf. Matth. 28,1; Marc. 16,1; Luc. 18,12 etc.), *Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebrae essent ad monumentum;* summo mane se itineri dat; declaratur fervor amoris. Ex synopticis patet eam non solam profectam esse ad monumentum, sed una cum aliis mulieribus, quae paraverant aromata, ut venientes ungerent Iesum. Nam, ut *Chr.* dicit, et viros, Iosephum et Nicodemum, et mulieres amorem quidem magnum in Iesum exhibuisse constat, at non magni quidpiam de ipso sensisse; ei enim curam impendere volunt tamquam perpetuo in sepulcro mansuro. Cur Ioannes solius Mariae mentionem faciat, quaerunt; quia ceteris ferventior amore erat, censet *Aug.;* ratio videtur esse quia quae alii omiserant de ea narrare vult et explicare quae Marcus 16,9 tetigerat, ei apparuisse primo Dominum. Supponit Ioannes notum esse illam cum aliis venisse ad monumentum, idque clare quoque indicat v. 2 *nescimus;* ergo aperte dicit se non solam ibi fuisse; *et vidit lapidem sublatum a monumento,* de quo mulieres in via sollicitae erant Marc. 16,3. 4; uti Lucas narrat, mulieres ingressae in monumentum non invenerunt corpus et steterunt aliquamdiu mente consternatae de hoc (24,3. 4).

Maria Magdalene pro fervidiore ingenio, simulac sepulcrum cernit vacuum, non exspectat cum aliis mulieribus, quae mox angelorum apparitionem et alloquium habent, sed v. 2 *cucurrit ergo et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum quem amabat Iesus* ἐφίλει tenerum qui sentitur amorem exprimit; cum repetatur πρὸς, aliqui concludunt, non in eadem domo fuisse discipulos; ad hos cucurrit, quia Petrus erat omnium primus et quia Ioannes ceteris amplius Iesum diligebat, et hi soli inter omnes eum secuti erant cum ad Annam duceretur (*Euth.*) *et dicit illis : tulerunt Dominum de monumento et nescimus ubi posuerunt eum;* illud *nescimus* non ob *tulerunt* in plurali effertur (*Schg.*), sed plures mulieres cum ea accessisse idque apostolos nosse indicatur; nam infra v. 13, ubi de se sola refert Maria, non obstante *tulerunt* dicit *nescio.* Eo igitur modo facillime et aptissime haec narratio v. 1. 2 cum relatione synopticorum concordare ostenditur.

Dum mulieres aliae nuntio angelico accepto redeunt domum, duo discipuli, quos Magdalene mox ad sepulcrum sequitur, alia via tendunt ad monumentum v. 3 *exiit ergo Petrus et ille alius discipulus et venerunt ad monumentum;* Petrum euntem ad monumentum etiam commemorat Lucas 24,12 et v. 24 loquentes facit euntes in Emmaus :

et abierunt quidam ex nostris ad monumentum et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. Quomodo hi duo venerint ad monumentum, evangelista qui ipse interfuit accurate describit v. 4 *currebant autem duo simul* prae ardore et desiderio rem investigandi, *et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro*, utpote iunior (*Corl. Schz.*) robustior (*Euth.*), per aetatem agilior (*Ians. Tol.*) *et venit primus ad monumentum* v. 5 *et cum se inclinasset* i. e. inclinato corpore per ostium prospexit in monumentum, ut examinaret quid rei esset, *vidit posita linteamina* τὰ ὀθόνια fascias illas sepulcrales quibus corpus Iesu ligatum erat 19,40; *non tamen introivit*, quodam timore cohibitus, ut videtur; alii malunt non introisse, quia Petro seniori ac digniori voluerit honorem deferre (*Tol.*); v. 6 *venit ergo Simon Petrus sequens eum et introivit in monumentum*, utpote indolis fervidioris, θερμότατος (*Theoph.*) *et vidit linteamina posita* et praeterea ingressus vidit quod Ioannes prospiciens in monumentum advertere non potuit v. 7 *et sudarium quod fuerat super caput eius non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum*, convolutum et κείμενον *in unum locum;* « quod erat resurrectionis signum; nam si quipiam corpus abstulissent illud antea neque nudavissent neque ita curassent sindonem auferre, involvere, certo loco ponere, sed ut erat, corpus abstulissent; ideo Ioannes dicere praeoccupat cum multa myrrha fuisse sepultum, quae non minus quam plumbum linteamina corpori conglutinat, ut cum audieris sudaria seorsim posita iacuisse, ne feras eos qui dicunt ipsum furto ablatum fuisse; neque enim fur adeo stultus fuisset, ut in re superflua tantam poneret curam » (*Chr. Theoph. Euth.*).

Verum quoque est quod *Patr.* notat : res adeo minutatim descripta satis esset, ut scriptor proderetur, qui quae a Petro visa esse narrat et ipse viderit, etiamsi non adderet, sicut continuo facit, se quoque ea vidisse v. 8 *tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum et vidit et credidit* scil. Iesum revera resurrexisse (*Chr. Cyr. Thom. Cai. Tol. Lap. Corl. Schz. Weiss*); non, quod *Aug. Bed. Rup. Ians.* volunt, id solum credidit, quod mulier dixerat corpus esse ablatum; nam id vidit; neque ei in mentem venire poterat Iesum fuisse sicuti Henoch et Elias (Gen. 5,24; 4 Reg. 2,11) translatum et in paradisum abreptum (uti *Schg.* explicat); viderat enim Iesum mortuum. Neque ἐπίστευσαν est legendum; nam quid Petrus senserit, nos docet Lucas : abiit secum mirans quod factum fuerat. Dein Ioannes reddit rationem, cur ipse ea re visa opus habuerit ut ad fidem resurrectionis perveniat et simul de mente Petri de qua narrat Lucas 24,12, de eius scil. admiratione, qua nondum ei de resurrectione per-

suasum erat, causam affert v. 9 *nondum enim sciebant Scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere;* « refertur ad hoc quod dicit : vidit et credidit; quasi diceret : antequam videret, non sciebat Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere; sed quando vidit, credidit » (*Thom.*). Excusat itaque tarditatem credendi ex ignorantia Scripturae (*Cai.*) et simul declarat, cur alii quoque non crediderint mulieribus quae eis postea annuntiarunt resurrectionem, sed cur iis visa sint quasi deliramenta (Marc. 16,11. Luc. 24,11. 23. 24). Et tamen Iesus adeo clare resurrectionem praedixerat, ut ipsi synedristae intellexerint (Matth. 27,63); « consuetudine audiendi ab illo parabolas non intelligebant et aliquid aliud eum significare credebant » (*Aug. Bed.*). Postea cum accepissent Spiritum sanctum, etiam perspexerunt resurrectionem esse praedictam (cf. Act. 2,25-27. 31; 13,33. 1 Cor. 15,3). — Mysticam istius cursus discipulorum etc. explicationem de fide synagogae et gentium tradit *Gregorius*, hom. in evang. 22,2 seq. (*M.* 76,1175) eumque secuti *Rup. Thom. Lap.* etc.

Non invento corpore in sepulcro unus admirans, alter credens revertuntur (*Tol.*) v. 10 *abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos,* « id est, ubi habitabant et unde ad monumentum cucurrerant » (*Aug.*); comparat *Ians.* illud Marc. 5,35 veniunt ab archisynagogo, id est ab eius domo. Interea Magdalene iterum, dum aliae mulieres iam recessissent, ad sepulcrum advenerat. Quo erat amore et qua de Iesu sollicitudine, postquam Petrum et Ioannem certiores reddidit, continuo viam ad monumentum relegit et fortasse advenit, antequam illi duo recesserant, ita ut dum illi abirent, ipsa remaneret. Id enim indicari videtur v. 11 *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans,* « viris redeuntibus infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus » (*Aug.*); constantiam eius *Thom.* quoque laudat. Ut feminae assolent — proclive ad commiserationem est muliebre genus (*Chr.*). — largos ex oculis fletus emittit, et non solum mortuum plangit Dominum sed quod existimaret a monumento sublatum (*Cyr.*); *dum ergo fleret inclinavit se et prospexit in monumentum;* iam scivit monumentum esse vacuum; tamen iterum circumspectat, si qua spes affulgeret inveniendi corporis, pro more eorum qui quod impense diligunt quaerunt etiam ibi ubi antea non invenerunt, et vel ex conspecto loco ubi Dominus positus erat consolationem capiens (*Ians.*). Nam, ut *Tol.* notat : magna est amoris vis; cum enim iam vidisset semel et experta esset illic non esse corpus, cum tamen ubi esset non inveniret, ne se omni spe inveniendi privaret, maluit se primo non diligenter quaesivisse nec adamussim prospexisse sibi persuadere; iterum ergo prospicit, si forsan videat quod antea non viderat. Proprium est hoc quae-

rentium aliquid et non invenientium, qui ex nimio inveniendi studio ad ea quae prius perlustraverant se convertunt iterum perscrutantes, quia nolunt sibi adimere spem inveniendi.

Iam ei paratur praemium amoris et constantiae v. 12 *et vidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu;* angelos esse non cogitat nec mirari videtur una cogitatione ablati Domini unice occupata (*Corl.*). Non parvam tantae diligentiae mercedem accepit; quod discipuli non viderunt, illa videt; ipse habitus angelorum hilaritatem et gaudium prae se ferebat in vestibus scil. albis (*Chr.*). Ut Deus lux est, ita beati illi spiritus et Dei in aula gloriosi apparent in lucida veste; v. 13 *dicunt ei illi: mulier quid ploras? dicit eis: quia tulerunt Dominum meum et nescio ubi posuerunt eum;* ideo ploro, nescio quo transtulerint, ut eo vadens inungam corpus et vel mediocrem ex eo consolationem inveniam (*Theoph.*); v. 14 *haec cum dixisset, conversa est retrorsum;* cur subito se converterit retrorsum, rationem reddit ad animi indolem plane consentaneam *Bon.:* amor non sinebat eam sistere, immo modo huc, modo illuc respiciebat; ut anxia erat in quaerendo, non exspectabat responsum sed continuo respectabat (*Ians.*). Causam reddunt alii, quia ex angelorum vultibus vel ex strepitu quodam intellexerit adstare aliquem a tergo (cf. *Chr. Theoph. Euth. Tol. Ians. Lap. Bar. Calm.*); verum, cum nihil tale in narratione innuatur, melius est huiusmodi motus ex inquieto affectu quaerentis explicare, quo scil. fit ut omnia circum se perlustret (*Nat. Corl. Schz.*); *et vidit Iesum stantem et non sciebat quia Iesus est,* vel quia Iesus in alia effigie ei ostenditur, cf. Marc. 16,12; vel quia oculi eius tenebantur ne eum statim agnosceret, uti euntibus in Emmaus evenit; etiam postea discipuli non continuo Dominum apparentem cognoverunt; cf. 21,4 seq.

Iesus, ipse iam beatus, totus in id incumbit, ut suos consoletur suique gaudii consortes efficiat. Dolorem et lacrimas Magdalenae diutius videre non valens ipse se ei conspiciendum continuo praebet; quasi delectatus audire quanto animi affectu ab ea quaeratur et desideretur antea ex ea quaerit v. 15 *dicit ei Iesus: mulier quid ploras? quem quaeris? illa existimans quia hortulanus esset,* non ex veste id coniectat, sed quis alius summo mane in horto (19,41) adesset, nisi qui curam horti habet (*Schz.*)! *dicit ei: domine,* quia favorem petit, magna reverentia eum alloquitur et hortulanus aliquo modo est dominus horti, quia de rebus in horto disponit, ordinat; sed fortasse in ipso habitu vultuque istius hortulani iam elucet maiestas quaedam ac dignitas, qua appellatio illa honorifica sua sponte sit enata; *si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum et ego eum tollam:* magna

benevolentia, magnus amor mulieris (*Chr.*); dicit *eum* quasi omnes eadem secum cogitatione essent occupati; nam vis amoris hoc agere solet in animo, ut quod ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare (*Thom. Ians.*) et paratam se dicit de quovis loco tollere, nullum timens periculum; « mirabilis mulieris audacia quam mortui non terret aspectus et cuius valetudo ad grave mortui funus tollendum plus intentat quam possit » (*Thom.*); « perpende efficaciam persuasionis : facillimam rem peto, ut tantum indices; nolo aliquem tibi laborem imponere; ego tollam; minus laborabis in indicando quam in auferendo laborasti; si in horto tuo habere non vis, dicito mihi; ego tollam; a me causam lacrimarum petiisti, animum compatientem indicasti; si meas vis lacrimas exsiccare, dicito mihi, ubi posuisti eum » (*Tol.*).

Iam Iesus delectatus tanto mulieris desiderio diutius se illi non putavit celandum sed voce nota et familiari eam compellando se illi voluit innotescere (*Ians.*) v. 16 *dicit ei Iesus : Maria;* proprio nomine eam vocans magnam familiaritatem et amicitiam exhibet; *conversa illa dicit ei : rabboni* (*quod dicitur magister*); una voce Iesu a lacrimis ad summum avocatur gaudium; invenit quem tanto desiderio mortuum quaesivit vivum, sui amantem; prae nimio gaudio, quo animus eius abundat, non plus valet proferre. Quam vere scribit auctor aurei libelli de Imitatione Christi : si Iesus unum tantum verbum loquitur, magna consolatio sentitur (2,8). Rabboni רַבּוּנִי διδάσκαλε; qua explicatione ab evangelista addita ostenditur vel significationem suffixi esse usu et consuetudine detritam ac perditam (uti in Monseigneur, Monsieur, Madame) vel illud jod esse paragogicum, uti in rabbi; rabboni maioris reverentiae significationem habet prae usitato rabbi (cf. Marc. 10,51). Sed cur dicitur *conversa,* στραφεῖσα? modo enim ad eum locuta est sane vultu non averso. Existimat *Patr.* translatam esse significationem : ex stupore quo tenebatur sese recipiens Iesum agnovit, ad se reversa; quae tamen notio ab usu verbi abest. Neque opus est novam significationem effingere. Iam *Thom.* bene notat : dum loqueretur, sollicita de eo quod gerebat in corde, circumquaque respexit, si aliquod signum videret sepulti, et *Cai.* : hinc clare patet quod averterat se ex inquietudine affectus et statim agnita voce magistri convertitur ad Iesum verbo et facto (sim. *Ians. Tol. Corl. Schz.*); eam ad angelos sese vertisse, ut interrogaret cur obstupescerent, *Chr. Theoph. Euth.* censent et alii etiam (*Ians. Lap.*) commemorant; sed nihil indicatur de apparitione angelorum eousque permanente.

Maria itaque post tantam tristitiam videns Dominum vivum seque pristina familiaritate compellatam audiens summo perfunditur gaudio

et procumbens ad Iesu pedes arcte eos complectitur, ne iterum a Iesu separetur. Putat enim iam nunc impleri verbum Iesu : iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis (14,3); quare desiderat, ut in hoc amplexu et in intima cum eo unione assumatur a Iesu ad locum quem vadens ad Patrem suis praeparaverit (14,2. 3). Ex hac eius animi sententia verba Christi sunt explicanda, vel potius, ex responsione Christi eam fuisse eius opinionem et exspectationem colligimus; nam certum est Christum ei respondisse secundum id quod animo gerebat (tacitae eius interrogationi respondet, ait *Tol.*) v. 17 *dicit ei Iesus : noli me tangere*, μή ἅπτου μου i. e. noli mihi adhaerere, *nondum enim ascendi ad Patrem meum;* non est, ut putas, me iam ad Patrem ivisse et nunc me redire, ut vos mecum assumam ad Patrem; quare noli ita pedes meos complecti quasi adhaerens mihi et iam non discessura. Permittit ei certe quod postea aliis quoque mulieribus permisit Matth. 28,9 : illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius; at postquam aliquamdiu dulcissimo illo amplexu consolationem et praemium amoris sui et desiderii consecuta est, faustissimum hunc de Iesu nuntium aliis quoque perferre iubetur; *vade autem ad fratres meos,* nota Iesum in gloria constitutum etiam teneriore cordis affectu suos complecti; antea eos vocavit amicos (15,15); nunc fratres compellat, et eos quidem qui tempore passionis in eo scandalizati sunt, qui nunc quidem lugent et flent (Matth. 26,31. Marc. 14,27; 16,10. Ioan. 16,32), sed quos maiore hac dilectionis significatione erigere vult et consolari, *et dic eis : ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* i. e. vivo, sed non iam uti antea vobiscum in terris mansurus, sed ascensurus ad Patrem, hanc relicturus regionem terrestrem; quibus verbis indicat, etsi per aliquod tempus maneat et suis se videndum praebeat, tamen rationem novae ipsius vitae fore plane aliam (cf. *Tol. Ians.*). Notandus quoque est modus loquendi : « alio itaque modo eius Pater est, alio noster? sane quidem; nam si alio modo iustorum Deus est, alio ceterorum hominum, multo magis aliter Filii, aliter noster est Deus. Cum enim dixit : dic fratribus, ne hinc aliquam suspicarentur aequalitatem, differentiam apponit » (*Chr.*); « non ait Patrem nostrum; aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum » (*Aug. Cyr. Bed. Rup. Bon. Barh.* etc.)

Iussa exsequitur v. 18 *venit Maria Magdalene annuntians discipulis: quia vidi Dominum et haec dixit mihi;* ita narrat Ioannes explicite quae paucissimis referuntur Marc. 16,9; non refert Ioannes quod ibidem habetur : nuntiavit lugentibus et flentibus, et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea non crediderunt (v. 10. 11); cf. Luc.

24,10. 11. Verum ipse Ioannes non iis annumerandus est qui non crediderunt; ipse iam credidit viso vacuo monumento (v. 8). Unde ea quoque re narratio synopticorum suppletur.

De explicatione v. 17 et nexu magna est opinionum diversitas; scil. quomodo cohaereat illud : noli me tangere, et ratio addita : nondum enim ascendi. Sunt qui nexum ita adstruant, ut id quo nexus efficitur supplendum esse dicant : noli diutius immorari in hoc meo contactu; *saepius enim postea id tibi facere licebit;* nondum enim ascendi (*Bar. Lap. Nat. Patr. Corl.* alii). Sed tum id quod rem constituit suppletur; porro Christus enuntiaret quod Magdalena oculis cernit ipsum non esse in coelis, et taceret quod scire maxime eius interest scil. fore ut saepius ei liceat amori suo satisfacere. Alii volunt indicari a Domino se nolle, ut accedat sicuti prius; priorem conversationis modum non restitui, se velle ut maiore reverentia sibi attendat (*Chr. Theoph. Euth. Ians. Tol.*). At Christus permisit, ut aliae mulieres accederent et pedes tenerent; praeterea non videtur adesse nexus : maiorem oportet adhiberi mihi reverentiam, *nondum enim* ascendi. Quid, num minor erit adhibenda postquam ascendit? Id incommodi sensit *Tol.;* unde ait : causa haec non refertur immediate ad tactus prohibitionem, sed ad aliud quod consequebatur; et duas supplet cogitationes et interrogationes : cur te non tangam, cum sis vivus? et si non es vivus, ut nobiscum degas, quomodo nunc ad me venis? Quae omnia nimis esse coacta nemo negabit. Aliam rationem affert *Cyr.* : cum nondum Spiritus sanctus missus esset, idcirco Mariam abigit, ut quae nondum Spiritum accepisset. Neque cernitur connexio in explicatione a *Cai.* data : ex hoc quod adhuc sum in terris, non putes me esse passibilem uti prius; neque video quid sibi velit haec acceptio : doceri Mariam, Iesum nondum ascendisse, debere itaque opus suum perficere ideoque non posse priorem conversandi modum admittere (*Schz.*). Alii ad mysticam explanationem confugiunt, figurari in Magdalene Ecclesiam de gentibus quae in Christum non crediderit, nisi cum ascendisset in coelum (*Aug. Thom.*) vel : nondum in corde tuo ascendi, quia non credis me esse unum cum Patre (*Aug. Bed. Alb. Thom.*). Melius exponit *Bon.* : noli tangendo me hic frui velle; nondum ascendi, ubi est locus fruitionis, ubi nunquam frustraberis; et similiter *Fil.* concipit.

Dein ostendendum est, ut explicatio quam supra proposui stabiliatur, μή ἅπτου μου recte verti : noli mihi adhaerere; proin ἅπτεσθαι significare non solum tangere simpliciter, verum etiam induere notionem firmiter, constanter adhaerendi. Pro qua re sufficit ea commemorare paucis, quae in Thesauro graeco a Stephano constituto et a Dindorf aucto et edito adnotantur. Explicatur enim verbum hoc ἅπτω : alligo, annecto, haereo; Plato Crat. p. 417 B : τὸ ἅπτειν καὶ δεῖν ταὐτόν ἐστιν; Suidae quoque ἅπτων est δεσμεύων addenti et κρατῶν; ἁπτόμενος i. e. annexum, consertum; ἅπτομαι ponitur pro συμφύομαι; ἡμμένος appensus (Thesaurus graecus, Parisiis 1831-1856 s. v.). Quibus exemplis satis constat verbo inesse eam notionem, secundum quam verba illa explicari debere existimo, ut nexus habeatur.

b) **Iesus se manifestat discipulis 20,19-31.**

20,19. Quum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum venit Iesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. 20. Et quum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. 22. Haec quum dixisset, insufflavit; et dixit eis : Accipite spiritum sanctum;

23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.

24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. 25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum in latus eius, non credam. 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomae : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. 29. Dixit ei Iesus : Quia vidisti me, Thoma, credidisti : beati qui non viderunt et crediderunt.

30. Multa quidem, et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. 31. Haec autem scripta sunt ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

20,19. Οὔσης οὖν ὀψίας, τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ σαββάτων, καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον, καὶ λέγει αὐτοῖς, Εἰρήνη ὑμῖν. 20. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἔδειξεν καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῖς. ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ ἰδόντες τὸν Κύριον. 21. εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς πάλιν, Εἰρήνη ὑμῖν· καθὼς ἀπέσταλκέν με ὁ πατήρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. 22. καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησεν καὶ λέγει αὐτοῖς, Λάβετε Πνεῦμα Ἅγιον.

23. ἄν τινος ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίονται αὐτοῖς· ἄν τινος κρατῆτε, κεκράτηνται.

24. Θωμᾶς δὲ, εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ λεγόμενος Δίδυμος, οὐκ ἦν μετ' αὐτῶν ὅτε ἦλθεν Ἰησοῦς. 25. ἔλεγον οὖν αὐτῷ οἱ ἄλλοι μαθηταὶ, Ἑωράκαμεν τὸν κύριον. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω μου τὴν χεῖρα εἰς τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, οὐ μὴ πιστεύσω. 26. καὶ μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ πάλιν ἦσαν ἔσω οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ Θωμᾶς μετ' αὐτῶν. ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ ἔστη εἰς τὸ μέσον καὶ εἶπεν, Εἰρήνη ὑμῖν. 27. εἶτα λέγει τῷ Θωμᾷ, Φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου· καὶ φέρε τὴν χεῖρά σου, καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μου· καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός. 28. ἀπεκρίθη Θωμᾶς, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου. 29. λέγει αὐτῷ Ἰησοῦς, Ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας· μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.

30. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν ἃ οὐκ ἔστιν γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ. 31. ταῦτα δὲ γέγραπται, ἵνα πιστεύητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

In v. 19 συνηγμενοι non habetur in ℵ A B D I; item non in syr (sch, sin) a q gat am ben cav dub dun ept fuld ger rush tol st lind. In v. 23 B τινος, a r Cypr cuius; si cui (cuius) a e f q r; etiam sin effert numerum singularem, uti Orig. In v. 25 sin add :

venit Dominus; nisi videro manus eius et locum clavorum; b c d e big ben dub ept fuld ing mt ox rush figuram; f in foramina clavorum. In v. 26 sin add primo (die) hebdomadis altero. In v. 27 sin om sed fidelis; v. 29 sin credidisti in me... crediderunt in me; item in v. 31 ut credatis in eum et vivatis in nomine eius.

Quae v. 19 seq. narrantur, evenerunt die resurrectionis vespere, cum duo illi, qui mane iverant in Emmaus, viso Domino regressi erant in urbem; quae apud Lucam ea de re narrantur 24,36-43, Ioannes more suo brevissime tangit, sed multa iis addit; v. 19 *cum ergo sero esset die illo,* οὔσης ὀψίας cum esset hora vespertina; dictio non est satis determinata, nam Matth. 8,16; 14,23; Marc. 1,32; 6,47 denotatur tempus post solis occasum; alias etiam tempus ante solis occasum Matth. 20,8; 27,57 etc., *una sabbatorum* primo die hebdomadis, *et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum,* de hac cautione et metu Ioannes solus nos edocet; eo magis animus discipulorum fortis et intrepidus postea ostendit vim et operationem Spiritus sancti induentis eos virtute ex alto (Act. 1,8), *venit Iesus et stetit in medio,* subito, sine ullo advenientis indicio, sine strepitu, foribus non apertis, improviso constitit in medio, quo melius ab omnibus conspiceretur seque illis ostenderet (*Mald.*); subito adstitit « ut Deus et corpore suo quasi levi ac subtili et purissimo (ἀκηράτου) effecto » (*Euth.*); moli enim corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt (*Aug.*). Apparitiones istae Christi nos etiam docent quid de indole corporis post resurrectionem iudicandum sit, quod corpus πνευματικόν apostolus appellat (1 Cor. 15,44) *et dixit eis: pax vobis,* consueta salutationis formula eos blande alloquitur; et quid haec pax velit, additur Luc. 24,36 : ego sum, nolite timere.

Subita hac apparitione conturbati et conterriti erant; putabant spiritum seu phantasma adesse; quare ostensis vulnerum cicatricibus eos certiores reddit se esse Iesum, quem surrexisse, apparuisse Simoni et duobus in Emmaus euntibus iam sciunt (Luc. 24,33-35. 37-39) v. 20 *et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus,* pedes quoque (Luc. 24,40); ex signis vulnerum discunt Iesum gerere idem corpus; esse verum corpus, non meram apparentiam discunt ex verbis Iesu : palpate et videte etc. (Luc. l. c.). Quanto gaudio perfusi sint qui mane lugebant et flebant (Marc. 16,10), quis describere poterit : *gavisi sunt ergo discipuli viso Domino;* iam impletur illud : iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum (16,22); « vide rebus verba confirmari; nam quod dixit ante crucem, hoc nunc opere complevit » (*Chr.*) et gaudium hoc nemo tollet ab ipsis; gaudebant antea Iudaei, cum Iesum cruci affixum cernerent, et discipulorum corda summo premebantur dolore; sed iam gaudium Iudaeorum exstinctum est, sanctis

autem apostolis versus est luctus in gaudium et perpetuum animi gaudium germinavit (*Cyr.*). Iterum cernitur Iesus suos erigens ac consolans et fidem eorum roborans qui testes esse debent et praedicatores resurrectionis (Act. 1,22; 2,32. 1 Cor. 15,3 seq.); « clavi enim manus fixerant, lancea latus eius aperuerat; ubi ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt servata vestigia » (*Aug.*).

Verum non solum discipulos primo resurrectionis die statim gaudio afficere voluit, sed omnibus nobis statim bonum maximum legare in votis habuit. Ex thesauro enim meritorum apostolis et eorum successoribus miram illam confert potestatem remittendi peccata. Ad Ecclesiam suam et ad omnium suorum fidelium utilitatem et consolationem continuo vult impendere quod passione et morte sua nobis promeruit v. 21 *dixit ergo eis iterum : pax vobis; sicut misit me Pater et ego mitto vos;* neque ultra Patrem rogat, sed auctoritate sua illis virtutem indit (*Chr.*); tradit eis opus suum sibi eos successores constituens (*Euth.*); « sicut Pater me misit in mundum, ita et ego mitto vos, nimirum ut vestra praedicatione et vita gloriam Patris et nominis mei et salutem hominum promoveatis, sicut ego glorificavi nomen Patris et salutem hominum quaesivi. His autem verbis sicut suam Dominus insinuat divinitatem, dum se Patri aequat in mittendo, ita et apostolorum indicat excellentiam, dum illos vicarios traditae sibi olim functionis facit » (*Ians.*). Atque optime incipit ab apprecatione et mentione pacis; nam, ut *Rup.* notat, « quomodo enim vel ad quid misit Filium Pater, nisi ut inter Deum et homines pacem faceret? quomodo itidem vel ad quid suos in universum mundum mittit Filius praedicatores, nisi ad hoc ut inimicos Deo reconcilient homines »? cf. 2 Cor. 5,18-20.

Ad quam pacem et reconciliationem efficiendam maxime confert potestas illa quam tradit et quae est eximia quaedam pars illius : sicut misit me Pater et ego mitto vos; v. 22 *haec cum dixisset, insufflavit et dixit eis : accipite Spiritum sanctum;* signo externo id quod verbis declarat exprimit. Insufflando dat Spiritum sanctum, ut ipsam Spiritus sancti naturam declararet; est enim veluti flatus quidam Patris et Filii et nomen ipsum Spiritus flatum designat; habebat enim hoc imaginem quandam sacramenti, in quo externum symbolum Spiritum sanctum qui intrinsecus dabatur, significabat (*Mald.*) Et merito notant insufflando et dando Spiritum significare Christum, Spiritum non esse Patris solius Spiritum, sed et suum (*Aug. Rup.*), Spiritum per ipsum a Patre procedere esseque consubstantialem (*Cyr.*). Et sicut olim Deus animam et vitam dedit inspirando in faciem Adam spiraculum vitae naturalis, ita Christus insufflando voluit dare Spiritum sanctum largitorem vitae supernaturalis (*Thom.*). Quia Christus dixe-

rat : si abiero, mittam Paraclitum ad vos (16,7), aliqui perperam explicarunt accipite i. e. estote idonei ad suscipiendum Spiritum quem mittam (*Theoph.*). Verum λάβετε id exprimit quod hic et nunc revera accipiunt; « sancti Spiritus participationem (μέθεξιν) accipiunt; neque enim mentiri Christus potest, nec diceret : accipite, nisi traderet » (*Cyr.*). Neque id promissioni de missione ullo pacto repugnat. Nam, ut *Mald.* observat, mitti Spiritus sanctus dicitur, cum eius persona visibili apparet specie, uti factum est in baptismo Christi et in die pentecostes. Apostoli eo ipso quod erant iustificati habebant inhabitantem Spiritum sanctum; eum novo titulo et excellentiore modo acceperunt inhabitantem illisque gratiam conferentem verbis Christi et potestatem eam quam Iesus declarat. Quare perperam aliqui dicunt ab evangelista diem pentecostes ignorari eumque iam in ipsum resurrectionis diem transferri. Datur nunc invisibiliter et ad certum effectum; in die pentecostes datur visibiliter et ad plures maioresque effectus, uti tum ex apostolorum et discipulorum variis charismatis, fortitudine, intrepiditate et libertate praedicandi, ex scientia et intelligentia s. Scripturae apparet.

Quod autem genus operationis iis largiatur per Spiritum sanctum ostendit (*Chr.*) v. 23 *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ἀφέωνται (ἀφίενται, ἀφίονται) remissa sunt (cf. *Blass*, Grammatik d. neutest. Gr. p. 50,7), *et quorum retinueritis retenta sunt* ἄν τινων, ἄν τινος si quorum etc.; « magna sacerdotum dignitas » (*Chr.*). Remissio peccatorum est, ut *Thom* dicit, conveniens fructus Spiritus sancti; nam ipse caritas est et per eum nobis datur caritas; remissio autem peccatorum non fit nisi per caritatem. Proinde quod Christus de se dixit : Filium hominis habere potestatem in terra dimittendi peccata (Matth. 9,6), iam suis apostolis eandem largitur potestatem, utpote qui mittit eos, sicuti ipse missus est a Patre, scil. praeprimis ad reconciliationem efficiendam. De vera remissione peccatorum esse sermonem verba indubie enuntiant, non de sola remissione poenae, uti *Alb.* vult, quam explicationem *Thom.* aliique constanter reiiciunt. Solus utique Deus auctoritate peccata dimittit, sacerdos ministerio (*Thom.*). Retentionem intellige ligationem, veniae carentiam (*Euth.*). Hac itaque potestate remittendi peccata hominum et ea retinendi instructi eo ipso constituuntur iudices quibus incumbit iudicium ferre. Cum autem de ignotis nemo iudicari possit, per se sequitur id de quo iudicandum sit debere declarari. Quare ex hoc loco semper intellexit Ecclesia catholica contineri praeceptum confessionis peccatorum distinctae (cf. Concil. trident. sess. XIV cap. 5. 6; can. 2. 3. 6. 7. 9). Porro cum potestas haec per modum iudicii exercenda proponatur, etiam clarum est non omnibus

eam dari fidelibus (id quod v. g. *Weiss* vult), sed iis quos in sua Ecclesia postestate regiminis instructos esse voluit Christus (vide ad Matth. 18,18). Non opus erit monere, verba neque de baptismo neque de praedicatione accipi posse.

Ex multis veterum testimoniis pauca afferre sufficiet. Contra Novatianos haec inter alia scribit *Ambrosius :* « sed aiunt se Domino deferre reverentiam cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Immo nulli maiorem iniuriam faciunt quam qui eius volunt mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cum ipse in evangelio suo dixerit Dominus Iesus : accipite etc. quis est ergo qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque servat obedientiam, ut peccatum et alliget et relaxet;... ius hoc solis permissum sacerdotibus est; recte igitur hoc Ecclesia vindicat quae veros sacerdotes habet »; et ex iisdem evangelii verbis porro concludit : « munus Spiritus sancti est officium sacerdotis; ius autem Spiritus sancti in solvendis ligandisque criminibus est » (de poenitentia 1,2,6. 8; *M.* 16,467 seq.). Et *Cyr.* « : ipse (Iesus) tamquam Deus humanatus legisque Dominus peccata remittit; verumtamen nos quoque tam splendidam miramque accepimus ab eo gratiam; namque hac etiam dignitate naturam hominis voluit exornare; ait itaque sanctis apostolis (Ioan. 20,23); eos suae maiestatis participes effecit, potestatem tribuens remittendi vel etiam retinendi peccata; et nos hoc idem facere iussi sumus » (in Luc. 5,24; *M.* 72,567). Et in liturgia s. Basilii coptica habentur inter alia haec : Domine Iesu Christe... qui inspirasti in faciem discipulorum tuorum apostolorumque sanctorum dicens : accipite etc., tu etiamnum, Domine, per apostolos tuos sanctos eos elegisti qui sacerdotio semper in Ecclesia tua fungerentur, ut relaxarent peccata super terram, ligarentque et solverent omnia iniquitatis vincula (*M.* 31, 1639). Et in oratione super confitentem haec habentur : Domine Deus noster, qui dixisti : quorum remiseritis... inspice super servum hunc et sordes animae propter quas in peccata incidit per os meum, quamvis peccator sim dissolve (Ioannes ieiunator, sermo de poenit. *M.* 88,1926). Et *Aug.* in h. l. : Ecclesiae caritas quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit. Et *Gregorius* recitatis verbis quorum remiseritis..., ait : libet intueri, discipuli illi ad tanta onera humilitatis vocati ad quantum culmen gloriae sint perducti; ecce alienae obligationis potestatem relaxationis accipiunt principatumque superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant quibusdam relaxent; ecce qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt et alios damnant vel liberant qui semetipsos damnari metuebant (hom. 26, 4; *M.* 76,1199). Et *Anastasius* sinaita breviter dicit : confitere Deo per sacerdotes peccata tua (de synaxi; *M.* 89,834); cf. *Orig.* hom. in Levit. 3,4; *M.* 12,429 etc.

Apostolos minime credulos fuisse, verum certissimis solum argu-

mentis et indubitata sensuum testificatione adductos esse ad persuasionem de vera Iesu a mortuis resurrectione, satis etiam ex hoc evangelio patet. Cuius rei Ioannes exemplum aliud addit v. 24 *Thomas autem, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus*, gemellus; cf. 11,16, *non erat cum eis quando venit Iesus;* quaerunt cur abfuerit. Respondent *Chr.* aliique eum tardius a fuga rediisse quam disciputi capto Domino arripuerant; eum abiisse statim post reditum duorum qui in Emmaus perrexerant (*Aug.* de cons. evang. 3,25 n. 74; *Bon. Tol.*); eum recepisse se ex consuetudine cum apostolis ex nimia quadam diffidentia *Schg.* existimat. At cum nulla certa causa assignetur, frustra variae causae excogitantur; melius dicit *Ians.* eum per aliquam occasionem abfuisse, id quod utique per se clarum est; v. 25 *dixerunt ergo ei alii discipuli : vidimus Dominum;* eos etiam reliqua narrasse de ostensione manuum ac lateris, satis per se probabile est et ex responsione Thomae consequitur; *ille autem dixit eis : nisi videro in manibus eius fixuram* τύπον, vestigium, notam impressam; alia lectione codd. vulg. figuram, *clavorum et mittam digitum meum in locum clavorum et mittam manum meam in latus eius, non credam;* vulnus lateris ea locutione βάλω τὴν χεῖρα εἰς... satis magnum fuisse declarat. Sane Thomas valde egit imprudenter quod tot aliorum consentienti testimonio non adhibuit fidem; immo male fecit ponens eas conditiones quibus sibi concessis vellet credere, ac si ipse favorem praestaret Domino, si crederet. Verum mala eius contumacia cessit in nostram utilitatem. Nam, ut *Cyr.* dicit, existimo singulari Dei providentia infidelitatem ad tempus exstitisse discipuli, ut per certam eius fidem nos quoque posteri indubitanter crederemus carnem illam quae in ligno pependit mortemque pertulit vivificatam esse a Patre per Filium.

Tu vero, ait *Chr.*, cum vides non credentem discipulum, Domini clementiam cogita, quomodo vel pro una anima ostendat seipsum vulnera habentem et adveniat ad unius salutem, etiamsi ille crassiore quam ceteri animo esset v. 26 *et post dies octo iterum erant discipuli eius intus et Thomas cum eis; venit Iesus ianuis clausis et stetit in medio et dixit eis : pax vobis;* uti Iesus primo die hebdomadis surrexit, suis apparuit, ita denuo discipuli primo die hebdomadis congregati sunt et Iesus eum diem iterata apparitione consecrat. Non erraveris, si iam quaedam quasi germina videris sanctitatis ei diei attribuendae (cf. 1 Cor. 16,2. Apoc. 1,10); ceterum vide ad v. 19. Etiam *Cyr.* ex ista apparitione eo die facta concludit : « iustissimis itaque de causis sanctos conventus in ecclesiis agimus octava die ». Potuit Dominus multis modis Thomam ad fidem revocare; propter nostram instruc-

tionem id ita effecit, ut argumenta illi exhibita sint nostrae fidei confirmatio; cedebant pariter in utilitatem Thomae; tanta enim Domini clementia confusum esse et magnam humilitatem concepisse certum est (*Tol.*); v. 27 *deinde dicit Thomae : infer digitum tuum huc et vide manus meas, et affer manum tuam et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis;* iisdem verbis, quibus Thomas usus est, de industria utitur Christus ostendens se minime ignorare quod factum fuerat, etsi non adfuisset, se audisse ut Deum, cum ille loqueretur (*Euth.*); simul in ea repetitione tacita quaedam exprobratio continetur, quam explicat verbis : noli esse etc. (*Mald.*).

Quaerunt, tetigeritne vere Thomas vestigia vulnerum? Et *Tol.* quidem scribit : « certa res est et in confesso apud omnes Thomam secundum Domini praeceptum tetigisse; et prius tetigisse et postea credidisse, est sententia communis »; eum tetigisse *Mald.* multis Patrum locis adductis probat, quam sententiam interpretes veteres generatim sequuntur; *Aug.* tamen uno in loco dici posse concedit eum non ausum fuisse tangere et *Euth.* scribit : « videns in manibus eius vestigium clavorum et latus ipsius apertum, continuo credidit non exspectans dum contrectasset », *Ians.* rem in medio relinquit; in sententiam eum tetigisse, ut omne excutiat dubium, etiam *Schz.* concedit. Alii tamen Thomam id non ausum esse existimant; ita *Patr. Corl.* (saltem probabiliter). Cum evangelista statim referat responsionem Thomae, nihil aliud erit interponendum v. 28 *respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus,* quae responsio talis est, ut plenissimam fidem explicet et ipsa exclamatione abruptisque vocibus animum prodat confusione obruti veniamque petentis. Cum hac fidei confessione quam continuo edit, cum hac confusione de sua priore incredulitate et cum hac deprecatione iniuriae Iesu sua dubitatione illatae mihi stare non posse videtur, Thomam revera digitos in loca clavorum misisse manumque in latus. Verba haec quae ex narratione nulla interposita mora profert potius edicunt eum statim adorantem ad pedes Iesu procidisse et Iesum Dominum suum ac Deum professum esse. Neque valet quod obiiciunt ex v. 27 Iesum id praecepisse et Thomam debuisse praecepto obedire. Sed si rem ex communi sermonis humani norma, quam Christus loquens alias quoque observat, metimur, statim ipsa illa verborum Thomae repetitione apparet, non mandatum dari, sed audacem postulationem Thomae et eius tarditatem ac duritiem credendi potius perstringi; id quod ultimis etiam verbis indicatur. Simili modo illud : quod facis fac citius (13,27), non est praeceptum, sed potius demonstrat Iesu indignationem et reprehensionem Iudae. Accedit quod Christus fidem Thomae soli visioni resur-

gentis adscribit : quia *vidisti me* scil. vivum, coram te stantem; neque dicit : quia tetigisti in corpore meo vulnera. Proin standum erit ipsa narratione; neque opus est plus asserere et nescio quas moras interponere inter v. 27 et 28. Neque valet quod generatim cum *Aug.* dicunt : generalis quodammodo sensus est visus; unde *vidisti me* posse praeterea significare : tetigisti me. Verum *talem* usum vocis minime probant locutiones : audi et vide quam bene sonet; olfac et vide quam bene oleat, tange et vide quam bene caleat (*Aug.*), neque locutiones, quas *Tol.* affert : Ex. 20, cunctus populus videbat voces; Marc. 15, vide in quantis te accusant.

Thomas cognita resurrectione Iesum verum Deum confitetur ὁ Θεός μου [1]; « duas enim naturas et unam hypostasin unius Christi docuit; dicendo Dominum humanam indicat naturam, dicendo autem ὁ Θεός μου divinam substantiam ostendit et ita unum et eundem esse Dominum et Deum » (*Theoph.*). Merito dicit *Patr.* : qui negant Thomam haec pronuntiasse compellando Christum ipsum, sed admiratione raptum in exclamationem prorupisse Deum invocando, risu eos magis excipi quam argumentis refutari par est ». Ex veteribus tamen ita accepit *Theod. M.* : non ipsum (Iesum) Dominum ac Deum dicit, sed quasi pro miraculo Deum collaudat; quae explicatio in synodo oecumenica quinta damnata est (can. 12 ex can. 14 de tribus capitulis; cf. *Denzinger,* Enchiridion n. 183). Et evidens est eam explicationem esse falsam, cum explicite dicatur *dixit ei*, εἶπεν αὐτῷ id quod *Weiss* quoque contra explicationem Socinianorum urget; praeterea Iesus hanc confessionem assumit et approbat : agnovit Christus utique repulsurus, si falso dictus fuisset Deus (quae Erasmi verba *Weiss* approbans allegat). Insuper hoc exemplo ostendit evangelista iterum suum in conscribendo consilium scopumque manifestans, quomodo manifestatione Iesu homines adducantur ad fidem in eius divinitatem.

Christus accipit et laudat confessionem Thomae v. 29 *dixit ei Iesus : quia vidisti me Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt;* « audit Servator discipulum dicentem sentientem ac credentem Dominum se revera esse ac Deum, nec reprehendendum censuit, sed laudavit credentem » (*Cyr.*). Sed dum fidem eius approbat, nonnihil reprehensionis addit : *quia vidisti,* ac si diceret : non recte fecisti quod tamdiu credere distulisti, donec videres; debuisti prius credere quando audisti resurrectionem meam (*Tol.*) a me praedictam et a tot testibus fide dignis tibi assertam. Fides eius vera erat, sed modus quo ad eam

1. Ad articulum attendendum esse monet *Cyr.* : observandum est quod μοναδικῶς καὶ συνάρθρως dicitur, ne quis existimet ad nostram aut angelorum similitudinem Dominum eum dictum esse ac Deum.

pervenit imperfectus erat; non enim fidem aliorum testimonio adhibuit, sed ipse voluit experiri, ita ut in eum aliquo modo cadat illa Christi exprobratio: nisi signa et prodigia videritis non creditis (*Tol.*). Ceterum aliud vidit, aliud credidit; vidit hominem et cicatrices et credidit divinitatem resurgentis (*Thom.*); videbat hominem et confitebatur Deum (*Aug. Tol.* etc.). Quamvis itaque praeclaram edidisset confessionem, tamen non, sicut olim Petrus, laudatur; sed comparatione eius illi laudantur et commendantur qui sine tali sensus experientia credunt ad magnam posterorum et nostrum omnium confortationem et consolationem (*Ians. Tol.*). Bene autem notat *Theoph.* ea voce Thomam non privari μακαρισμῷ; at beatiores dici illos qui credant quamvis non viderint (sim. *Ians.*). Duo profitetur Thomas, quorum alterum ex conspectu intellexit, alterum ex eius omnipotentia et omniscientia; ex aspectu agnovit illum qui praesens erat esse Dominum illum suum quem antea secutus fuerat; ex potentia in resurgendo et in ingressu ianuis clausis declarata et ex cognitione occultorum agnovit Dominum illum suum esse etiam Deum suum (*Ians.*). Adnotat *Tol.* in Thoma resurrectionem credere non ex fide, sed ex experientia processisse, i. e. eum assensisse resurrectioni, sed eius assensum non fuisse ex fide; sed confessionem divinitatis fuisse veram fidem.

Hoc effato Christi de beatitudine credentium finis evangelio fit, quod effatum tum Ioannis consilio ac proposito tum clausulae ab ipso usurpari solitae apprime respondet (*Patr.*). Iam libri epilogum ponit (*Thom.*) v. 30 *multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc;* sciebat enim Ioannes se pauca signa a Iesu facta retulisse; sciebat multa alia ab aliis evangelistis relata, et propterea ne quispiam crederet ipsum omnia aut pleraque complexum esse, vel minorem fidem adhiberet aliis evangelistis, subiunxit haec (*Cai.*). De quibus autem signis loquitur? respondetur ab aliquibus de solis signis post resurrectionem factis (*Chr. Rup. Tol. Mald.*); nam de hisce esse sermonem in antecedentibus, et haec sola facta esse in conspectu discipulorum; alia ante resurrectionem in conspectu turbarum quoque. At verba haec de omnibus signis in vita mortali et post resurrectionem factis intelligenda sunt (*Cai. Ians. Bar. Corl. Schg. Schz. Fil. Keil, Weiss.*); id iam indicatur *in libro hoc;* « non enim scripta sunt in libro hoc omnia, sed ea sola sunt posita quae ad persuadendos auditores plane sufficiant ut credant » (*Cyr.*). Et quia ita libro finis imponitur, verba non ex contextu proximo sunt diiudicanda, sed potius ex iis quae iam 1,14 evangelista indicavit et quae in toto libro ob oculos habuit et quae in v. 31 explicite statuit. Dicit autem *in conspectu discipulorum*, quia hi

testes sunt et esse debent pro aliis et tamquam testes a Domino sunt constituti (*Bar.*). Unde eorum mentio facienda erat, neque tamen turbarum.

Conceptis verbis id demum enuntiat quod per totum librum sedulo prosecutus est (cf. 1,14-18. 27. 33. 49-51; 2,11; 3,13. 15; 5,18; 6,68; 7,29; 8,58 etc.) v. 31 *haec autem scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus Filius Dei et ut credentes vitam habeatis in nomine eius* i. e. Iesum hominem illum qui perambulavit in Galilaea, Iudaea, crucifixus est etc. esse Messiam in lege et per prophetas promissum eundemque vere Filium Dei adeoque Deum — Verbum caro factum est — et in hac demum fide haberi vitam illam de qua Iesus toties locutus est (3,15. 16; 5,24; 6,35 seq. etc.). Haec vita supernaturalis habetur a credentibus *in nomine eius,* tota innititur et fundatur in Iesu, in confessione eius quod ipse de se nobis revelare dignatus est, in eius meritis et virtute quam nobis largitur (15,4. 5); nam non est aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri (Act. 4,12).

c) Miraculosa piscatio 21,1-14.

21,1. Postea manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: 2. Erant simul Simon Petrus et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis eius duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navim; et illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto stetit Iesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est. 5. Dixit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram navigii rete; et invenietis. Miserunt ergo; et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium.

7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus quum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. 8. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. 9. Ut

21,1. Μετὰ ταῦτα ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν πάλιν Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος· ἐφανέρωσεν δὲ οὕτως. 2. ἦσαν ὁμοῦ Σίμων Πέτρος, καὶ Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, καὶ Ναθαναὴλ ὁ ἀπὸ Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ δύο. 3. λέγει αὐτοῖς Σίμων Πέτρος, Ὑπάγω ἁλιεύειν. λέγουσιν αὐτῷ, Ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς σὺν σοί. ἐξῆλθον καὶ ἀνέβησαν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ ἐπίασαν οὐδέν. 4. πρωΐας δὲ ἤδη γενομένης ἔστη Ἰησοῦς εἰς τὸν αἰγιαλόν· οὐ μέντοι ᾔδεισαν οἱ μαθηταὶ ὅτι Ἰησοῦς ἐστίν. 5. λέγει οὖν αὐτοῖς Ἰησοῦς, Παιδία, μή τι προσφάγιον ἔχετε; ἀπεκρίθησαν αὐτῷ, Οὔ. 6. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Βάλετε εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ πλοίου τὸ δίκτυον, καὶ εὑρήσετε. ἔβαλον οὖν, καὶ οὐκέτι αὐτὸ ἑλκῦσαι ἴσχυον ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων.

7. λέγει οὖν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς τῷ Πέτρῳ, Ὁ κύριός ἐστιν. Σίμων οὖν Πέτρος, ἀκούσας ὅτι ὁ κύριός ἐστιν, τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, (ἦν γὰρ γυμνὸς,) καὶ ἔβαλεν ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν. 8. οἱ δὲ ἄλλοι μαθηταὶ τῷ πλοιαρίῳ ἦλθον, (οὐ γὰρ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τῆς γῆς,

ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. 10. Dicit eis Iesus : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et quum tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Iesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es? scientes quia Dominus est. 13. Et venit Iesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. 14. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis quum resurrexisset a mortuis.

ἀλλὰ ὡς ἀπὸ πηχῶν διακοσίων,) σύροντες τὸ δίκτυον τῶν ἰχθύων. 9. Ὡς οὖν ἀπέβησαν εἰς τὴν γῆν, βλέπουσιν ἀνθρακιὰν κειμένην καὶ ὀψάριον ἐπικείμενον, καὶ ἄρτον. 10. λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς, Ἐνέγκατε ἀπὸ τῶν ὀψαρίων ὧν ἐπιάσατε νῦν. 11. ἀνέβη οὖν Σίμων Πέτρος, καὶ εἵλκυσεν τὸ δίκτυον εἰς τὴν γῆν, μεστὸν ἰχθύων μεγάλων ἑκατὸν πεντήκοντα τριῶν· καὶ τοσούτων ὄντων, οὐκ ἐσχίσθη τὸ δίκτυον. 12. Λέγει αὐτοῖς Ἰησοῦς, Δεῦτε ἀριστήσατε. οὐδεὶς ἐτόλμα τῶν μαθητῶν ἐξετάσαι αὐτόν, Σὺ τίς εἶ; εἰδότες ὅτι ὁ κύριός ἐστιν. 13. ἔρχεται Ἰησοῦς καὶ λαμβάνει τὸν ἄρτον καὶ δίδωσιν αὐτοῖς, καὶ τὸ ὀψάριον ὁμοίως. 14. τοῦτο ἤδη τρίτον ἐφανερώθη Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν.

In v. 1 sin om iterum; mu codd vulg om discipulis. In v. 6 dub eg ept rush add ex Luc. 5,5 dixerunt autem praeceptor per totam noctem laborantes nihil coepimus; in verbo autem tuo mittemus rete; sim. Cyr; sin et cum misissent sicut dixit eis, quaerebant trahere rete in navim et non poterant prae pondere multorum piscium quos continebat; pler codd vulg a multitudine. In v. 7 sin om erat enim nudus; misit se in mare et natabat et venit. In v. 8 a cubitis viginti; sin ita v. 8 nam non erant longe a terra et reliqui discipuli veniebant in navi trahentes rete. In v. 9 sin inveniebant coram Iesu prunas etc. In v. 11 sin et invenerunt in eo (reti) pisces magnos... et cum omni hoc pondere non est ruptum rete. In v. 12 nemo audebat *discentium* b ff² ger med; ex discipulis a f r rush; sin nam credebant ipsum esse. In v. 13 add D ευχαριστησας, dub eg wil et benedixit item sin (et om initio versus venit).

Ad ea quae 20,30. 31 habentur merito adnotat *Aug.*: hoc capitulum velut libri huius indicat finem, et *Thom.* ea vocat epilogum libri. Idque recte. Cur itaque nova additur narratio? « Evangelio iam absoluto hanc quasi appendicem a Ioanne adiectam ideo esse ut opinionem eorum refelleret qui ipsum nequaquam moriturum putabant, ipsa huius capitis materies nos docet. In hac quoque historia nemo Ioannem auctorem non agnoscit testemque oculatum eorum quae narrantur. Narrationis forma eadem illa ipsa totius libri propria, simplex et nativa, simulque pellucens ac vivida » (*Patr.*; cf. de evang. lib. I cp. IV n. 37-44). Rationem cur hoc caput adiectum sit clare exprimi in v. 23 satis patet (cf. *Schg. Schz. Weiss*). Quomodo vero epilogus dici queat qui correspondeat prologo (*Fil.*), non facile cernitur, saltem si argumenti rationem habueris. Putabant *Ians. Tol.* hoc caput additum esse quia narrationem habeat de Petro cognitu necessariam, ita ut mirum non sit Ioannem post impositum semel evangelio suo finem rursum commotum esse ut haec adiiceret. Verum potius ita dixeris

necessariam fuisse refutationem sermonis qui exierat inter christianos, adeoque apostolum totam illam occasionem explicuisse. Illi ergo falso rumori tandem debemus quod de scena illa utique pro Petro gravissima edocemur. Habes exemplum sacros auctores minime sollicitos fuisse integram quandam doctrinarum et institutionum summam litteris mandare. Si non ex verbis Christi falsa illa opinio apud fideles exstitisset, nihil ex evangelii libro scripto sciremus de verbis illis: pasce oves meas, non haberemus testimonium Scripturae de *collato* primatu (de promisso, Matth. 16,18. 19).

Uti Christus mandaverat (cf. Matth. 28,7. Marc. 16,7), apostoli aliquo tempore post resurrectionem se receperunt in Galilaeam, patriam regionem. Ibi et ab infestatione Iudaeorum tuti erant et quiete fruebantur et piscatione facilius quam in urbe victum sibi comparabant; v. 1 *postea* μετὰ ταῦτα, formula consueta transeundi ad aliam narrationem; cf. 5,1; 6,1; 7,1 *manifestavit se iterum Iesus discipulis ad mare Tiberiadis,* ad lacum Genesareth; ex ipsa voce *manifestavit se* iam indicatur plane aliam fuisse rationem agendi Iesu cum suis post resurrectionem; « liquidum est illum ex indulgentia solum visum esse, quia iam incorruptibile et immortale corpus gerebat » (*Chr.*). Est enim « in natura corporis gloriosi et virtute ut possit videri et non videri sicut vult a corpore non glorioso, et ideo dicit : manifestavit i. e. se visibilem praebuit » (*Thom.*). Hoc enim indicatur Christum post resurrectionem certis quibus volebat intervallis a discipulis visum fuisse (*Mald.*); *manifestavit autem sic* v. 2 *erant simul Simon Petrus et Thomas qui dicitur Didymus et Nathanael* cf. 1,45 seq., i. e. Bartholomaeus, filius Tholmai, *qui erat a Cana Galilaeae*, qui igitur hic medius inter apostolos enumeratur, quare eum esse Bartholomaeum vix non certum est (vide Comment. Matth. I, p. 374), *et filii Zebedaei*, Iacobus et Ioannes, *et alii ex discipulis eius duo;* monet quidem *Mald.* cum evangelista non dicat qui fuerint isti duo, non esse nimis curiose vestigandum; nihilominus coniectat ipse, uti iam *Barh.* coniectavit, fuisse Andream et Philippum, quia hi fuerint ex Bethsaida et istum locum designari in Petro et filiis Zebedaei omnino probabile sit. Putat *Weiss* in filiis Zebedaei iam haberi indicium hoc caput non esse scriptum a Ioanne; nam nunquam Ioannem se ita designare. Sed cur *debuit* hoc loco scribere : et Iacobus et discipulus alius quem diligebat Iesus? nonne in tali enumeratione multo brevius erat ita scribere, uti scripsit? Est hic *unicus* locus ubi se et fratrem suum coniunctim nominat; quo igitur iure dici potest talem loquendi modum ab eius more abhorrere? Etiam *Schg.* coniectat ut *Mald.;* aliis placuit Aristionem et Ioannem presbyterum (qui

presbyter Ioannes ipse est figmentum tamquam alius ab Ioanne apostolo) illis discipulis accensere.

Consuetae suae occupationi vacabant; nam nihil adhuc iis commissum erat (*Chr.*); v. 3 *dicit eis Simon Petrus : vado piscari,* qui igitur hic quoque quasi reliquorum dux cernitur; *dicunt ei : venimus et nos tecum; et exierunt et ascenderunt in navim et illa nocte nihil prendiderunt;* iam dispositione divina praeparatur, ut miraculum piscationis luculentissime appareat. Tempus enim noctis ad piscationem aptissimum est; et si nocte nihil capitur, iam quae poterit esse spes tempore matutino? Uti in numero septenario discipulorum mysticam rationem deprehendunt veteres, ita in singulis fere narrationis partibus. Hic in labore nocturno cernunt *Cyr. Rup.* et *Anonymus, Severus* (in cat. Cord.) significatum laborem veterum prophetarum qui nihil ad perfectum adduxerint. Sed apostolis post laborem illum nocturnum et fatigationem amplissimum tribuitur praemium v. 4 *mane autem facto stetit Iesus in littore* ἔστη εἰς uti 20,19. 26 subito se sistit; *non tamen cognoverunt discipuli quia Iesus est* vel quia noluit cognosci vel quia aliena forma se videndum praebuit (Marc. 16,12). Mercatoris quasi speciem induens ac si vellet pisces emere eos alloquitur (*Chr. Euth. Ians. Mald. Tol.*) v. 5 *dixit ergo eis Iesus : pueri,* παιδία, est amica compellatio; *Euth.* moris fuisse ait ita operarios appellare propter illorum robur ac strenuitatem ad labores; *numquid pulmentarium habetis?* προσφάγιον quidquid cum pane ad comedendum sumitur; eodem modo explicatur vox latina; « pulmentarium vocat hic omne id quo panis conditur, sive piscis sit sive aliud quod nos communiter dicimus pulmentum » (*Bon.* sim. *Cai. Mald.*), est idem quod obsonium (*Tol.*); *responderunt ei : non;* simpliciter respondent, nolentes ignoto homini sine causa declarare infelicem piscationem qua per totam noctem laborabant (*Mald.*).

Quasi amicus consilium dat Iesus (*Mald.*) v. 6 *dicit eis : mittite in dexteram navigii rete et invenietis;* locum designat, ne fortuito locutus videretur, sed praescius futurorum (*Euth. Tol.*); monent dexteram partem censeri ominis felicis; in ea collocandos esse beatos (*Aug. Gregorius* hom. 24; *Rup. Mald. Tol.* etc.); *miserunt ergo; et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium;* mirum ad verbum hominis ignoti rete iecisse, cum per totam noctem nil prendere potuissent; sed aut aliquid in eo sanctum et venerabile animadverterunt ideoque concepta spe rete coniecerunt, aut, ut ego suspicor, quia ita comparatum natura est, ut ea consilia quae vera esse cupimus facile sequamur (*Mald.*). Hac uberrima piscatione verbo Domini facta praefigurari uberes fructus et multitudinem hominum, quibus

per apostolos a Iesu missos salus afferatur facile perspicitur. Ex copia piscium adeo repentina miraculum agnoscit Ioannes et Iesus primo omnium a dilecto discipulo voluit agnosci, qui id statim Petro qui verisimiliter totus erat in attrahendo reti indicat v. 7 *dixit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus Petro : Dominus est; Simon Petrus cum audisset quia Dominus est tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare;* « proprios sibi mores exhibent discipuli, Petrus et Ioannes; ille ferventior, hic sublimior erat; ille promptior, hic perspicacior; ideo Ioannes prior Iesum agnovit, Petrus prior illum adiit » (*Chr.*). Petrus enim quam primum audit esse Dominum confestim quae in manibus erant proiicit nec sustinens donec navigio ad eum perveniret se in mare iacit quo citius accedat (*Euth.*); fervens quippe et ad Christi amorem ac studium semper incitatus erat et audax (*Cyr.*). In eo quod Ioannes prior agnovit Dominum, laudem virginitatis celebrant : prior virginitas virginale corpus agnoscit (cf. *Mald. Ians. Lap. Calm.*). Quo facilius labori incumberet, vestem superiorem abiecerat Petrus i. e. erat nudus i. e. sola subucula indutus. In reverentiam Domini succingit sibi ἐπενδύτην, tuniculam manicis carentem quae corpus ad genua usque contegat et hac utebantur qui in mari degebant; nam simul et agilitatem eis tribuebat et decentiam (*Euth.*); *Theoph.* linteum quoddam fuisse dicit quo Phoenices et Syri piscatores se amiciebant, sive nudi essent sive vestiti hoc superimponentes.

Dum Petrus magnitudine desiderii veniendi ad Dominum se mittit in mare ad Dominum natans, v. 8 *alii autem discipuli navigio venerunt — non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis* — vides scriptorem navigandi peritum qui oculis litorum distantiam metiri didicit (*Patr.*) — distantia erat pedum trecentorum (centum *meter*); illi tardius advenerunt navigantes et non sine labore *trahentes rete piscium* per aquam. Pro magna sua benignitate Iesus discipulis qui tamdiu laboraverant iam praeparavit prandium v. 9 *ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas et piscem superpositum et panem*, quae nutu Domini allata esse ministerio angelorum (*Schg. Schz.*) vel miraculo effecta certum est. Ita Iesus se familiarem suis praebet largitorem bonorum. Et ad ea quae ipse paraverat, ut de sua piscatione ipsi quoque afferant vult — ita Dominus incipit efficere bonum, dein discipuli ad salutem efficiendam eius nutu collaborant (cf. *Cyr.*) v. 10 *dicit eis Iesus : afferte de piscibus quos prendidistis nunc;* iubet afferri ut ex eorum magnitudine et multitudine magnitudinem miraculi oculis cernerent (*Mald.*). « Et utique iubente illo eos non fecisse quis credat? hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem

discipulis suis, de pisce scilicet quem prunis superpositum viderant huic adiungens ex illis quos ceperant et de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est; piscis assus, Christus est passus; ipse est et panis qui de coelo descendit (6,41); huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam » (*Aug.*).

Etiam hic Petrus audito Domini mandato primus et ceteris ferventior et tamquam artis piscatoriae peritior (*Ians.*) v. 11 *ascendit Simon* in navim, *et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus;* si solus traxit, intelligi potest cum *Rup. Thom. Mald.* Petro praecipuum datum esse ius super omnes pertinentes ad regnum Dei et signari hic in opere quod postea verbo declaretur (*Greg.* hom. 24); si cum sociis traxit, tamen Petrus ut primus in opere cui alii assistunt designatur; *et cum tanti essent, non est scissum rete;* omni modo piscationem miraculosam effert Ioannes; quare mystica explicatio quam plerique sequuntur per partes fere singulas merito consistit (cf. *Theod. Her. Severus* in cat. Cord. *Cyr. Aug. Rup. Thom. Tol. Mald.* qui cum alias fere abstineat a mystica interpretatione, in hac tamen narratione eam libenter agnoscit).

De numero piscium 153 variae feruntur acceptiones. Centenario numero utpote plenissimo ex decem decadibus composito designari omnes electos (*Cyr.*), vel conversos ex gentibus (*Severus, Ammonius, Theoph. Euth.*), quinquagenario conversos ex Iudaeis (*Cyr.*, alii), ternario mysterium Trinitatis. Alii tres ordines salvandorum exprimi opinantur : per centenarium numerum coniugatos, per quinquagenarium viduos et continentes, per ternarium virgines (*Rup.*). Aliis placet eo numero significari « universitatem, quia sicut dicit Hieronymus, tot genera piscium in mari esse a philosophis descripta leguntur » (*Bon.* cf. Hier. in Ez. 47,6. Ceterum Plinius animalium aquatilium centum quadraginta quattuor genera esse affirmat, nat. hist. 32,11 (53) ed. Detlefsen vol. 5 p. 32). Subtilius in eum numerum inquirunt *Aug. Thom.;* varia quoque affert *Mald.;* ipse tamen sobrie non aliud mysterium agnoscit quam quod voluerit Christus ista numerorum varietate designare, ut apostoli ex omni hominum genere multos, ex alio tamen plures, ex alio pauciores piscarentur. Varia quoque ab acatholicis excogitata sunt. Ita Grotius quem Hengstenberg secutus est numerum explicat ex 2 Chron. 2,16, ubi numerus alienigenarum tempore Salomonis in terra Israel fuisse traditur 153 600; unde praefigurari plenitudinem gentium intraturam ad populum Dei et haberi praesagium mirae unitatis eorum qui per apostolos in Ecclesiam essent colligendi. Verum suntne soli alienigenae colligendi? Pluribus placuit in numero 153 quaerere nomen ex significatione numeraria singularum litterarum; ita Volkmar : Schimeon (71) bar (22) Iona (31) Kepha (29); Keim : Schimeon (71) Iohanna (53) Kepha (29); cf. *Keil, Weiss.* Quae tamen ut arbitraria et ludicra merito exploduntur.

Postquam rete pertractum est, v. 12 *dicit eis Iesus : venite, prandete*, « docens nimirum his verbis post labores et sudores insumptos in eos qui vocati fuerint et servati secum tandem recubituros ineffabilibus deliciis appositis atque una perpetuo futuros » (*Cyr.*); *et nemo audebat discumbentium* τῶν μαθητῶν discentium, discipulorum (vide lect. var.) *interrogare eum : tu quis es? scientes quia Dominus est :* « non iam solitam loquendi libertatem habebant, sed cum silentio, timore et reverentia magna sedebant illi attendentes » (*Chr.*) v. **13** *et venit Iesus et accipit panem et dat eis et piscem similiter;* utitur ipse consueta familiaritate, tamquam paterfamilias sicuti alias facere consueverat; « Christus eis distribuit, ut rursus velut in typo quodam disceremus Christum fore nobis divinorum donorum largitorem » (*Cyr.*); v. **14** *hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis;* scil. tertio pluribus discipulis simul; cf. **20,19. 26**; praeterea sese manifestaverat iam Petro et duobus euntibus in Emmaus.

d) Iesus Petro primatum confert 21,15-25.

**21,15. Quum ergo prandissent, dicit
Simoni Petro Iesus : Simon Ioannis, di-
ligis me plus his? Dicit ei : Etiam, Do-
mine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce
agnos meos. 16. Dicit ei iterum : Simon
Ioannis, diligis me? Ait illi : Etiam, Do-
mine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce
agnos meos. 17. Dicit ei tertio : Simon
Ioannis, amas me? Contristatus est Pe-
trus quia dixit ei tertio : Amas me, et
dixit ei : Domine, tu omnia nosti : tu scis
quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas.
18. Amen, amen dico tibi : quum esses
iunior, cingebas te, et ambulabas ubi
volebas; quum autem senueris, extendes
manus tuas, et alius te cinget, et ducet
quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit si-
gnificans qua morte clarificaturus esset
Deum. Et quum hoc dixisset, dixit ei :
Sequere me.**

**20. Conversus Petrus vidit illum disci-
pulum quem diligebat Iesus, sequentem,
qui et recubuit in coena super pectus
eius, et dixit : Domine, quis est qui tra-
det te? 21. Hunc ergo quum vidisset Pe-
trus, dixit Iesu : Domine, hic autem**

21,15. Ὅτε οὖν ἠρίστησαν, λέγει τῷ
Σίμωνι Πέτρῳ ὁ Ἰησοῦς, Σίμων Ἰωάνου,
ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; λέγει αὐτῷ, Ναί,
κύριε· σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. λέγει αὐτῷ,
Βόσκε τὰ ἀρνία μου. 16. λέγει αὐτῷ πάλιν
δεύτερον, Σίμων Ἰωάνου, ἀγαπᾷς με; λέγει
αὐτῷ, Ναί, κύριε· σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε.
λέγει αὐτῷ, Ποίμαινε τὰ προβάτιά μου. 17.
λέγει αὐτῷ τὸ τρίτον, Σίμων Ἰωάνου, φι-
λεῖς με; ἐλυπήθη ὁ Πέτρος, ὅτι εἶπεν αὐτῷ
τὸ τρίτον, Φιλεῖς με; καὶ εἶπεν αὐτῷ, Κύ-
ριε, πάντα σὺ οἶδας· σὺ γινώσκεις ὅτι φιλῶ
σε. λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Βόσκε τὰ προβά-
τιά μου. 18. ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, Ὅτε ἦς
νεώτερος, ἐζώννυες σεαυτὸν, καὶ περιεπάτεις
ὅπου ἤθελες· ὅταν δὲ γηράσῃς, ἐκτενεῖς τὰς
χεῖράς σου καὶ ἄλλος ζώσει σε, καὶ οἴσει
ὅπου οὐ θέλεις. 19. τοῦτο δὲ εἶπεν σημαί-
νων ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν. καὶ
τοῦτο εἰπὼν λέγει αὐτῷ, Ἀκολούθει μοι.

20. Ἐπιστραφεὶς ὁ Πέτρος βλέπει τὸν μαθη-
τὴν, ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, ἀκολουθοῦντα, ὃς
καὶ ἀνέπεσεν ἐν τῷ δείπνῳ ἐπὶ τὸ στῆθος αὐτοῦ
καὶ εἶπεν, Κύριε, τίς ἐστιν ὁ παραδιδούς σε;
21. τοῦτον οὖν ἰδὼν ὁ Πέτρος λέγει τῷ
Ἰησοῦ, Κύριε, οὗτος δὲ τί; 22. λέγει αὐτῷ

quid? 22. Dicit ei Iesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec; et scimus quia verum est testimonium eius.

25. Sunt autem et alia multa, quae fecit Iesus; quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

ὁ Ἰησοῦς, Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ; σύ μοι ἀκολούθει. 23. ἐξῆλθεν οὖν οὗτος ὁ λόγος εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει· οὐκ εἶπεν δὲ αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, ὅτι οὐκ ἀποθνήσκει· ἀλλ', Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σέ;

24. Οὗτός ἐστιν ὁ μαθητὴς ὁ καὶ μαρτυρῶν περὶ τούτων, καὶ ὁ γράψας ταῦτα· καὶ οἴδαμεν ὅτι ἀληθής αὐτοῦ ἡ μαρτυρία ἐστίν.

25. ἔστιν δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ἃ ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, οὐδ' αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρήσειν τὰ γραφόμενα βιβλία.

In v. 15 plus his om a b c e r sin et pauc minusc gr. sin om tu scis quia amo te; item om in v. 16; sin diligis me valde (bene). In v. 17 sin dicit ei iterum... quia tribus vicibus ita Iesus ad eum loquebatur. In v. 21 sin et cum eum vidisset Simon sequentem. In v. 22 si sic eum volo manere ff[2] ben val fuld* et ita edidit Wordsworth; si eum e f q med; sed codd vulg longe pler sic eum volo manere. In v. 23 sin exiit sermo inter discipulos; in fine sin om quid ad te, uti om aliq minusc a e dub arm. In v. 25 sin mundus non sufficeret pro eis; *posse* add a q theod wil hub (in marg); versum om Ti cum ℵ*; at eum habent codd omnes, versiones, Patres.

Prandio peracto Iesus Petrum singulariter alloquitur eique gubernationem omnium fidelium et totius Ecclesiae curam ac regimen committit ita implens quod ei antea promiserat : super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et tibi dabo claves regni coelorum (cf Matth. 16,18. 19). Prius tamen de amore inquirit et id quidem ter, dilectionemque exquirit non communem, sed eximiam, ut ostendat qualis esse debeat cui reliquorum cura concreditur et qua ratione curam illam ac regimen exercere debeat, simul manifestat Dominus quanto amore ipse suos prosequatur quos non commissos vult nisi amanti se plus ceteris (cf. *Tol.*). Supra 20,21 aequalem omnibus contulit potestatem; nunc vero unum omnibus praeficit, curam et regimen omnium uni tradit atque ita unitati quam pro suis a Patre efflagitavit (17,21-23) efficaciter prospicit; v. 15 *cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus : Simon Ioannis* i. e. fili Ioannis, appellatio est eadem ac Matth. 16,17 Simon Bar Iona; nam ut *Tol.* notat abbreviato vocabulo Iona explicandum est Ioannes (vide quae ad Matth. l. c. dixi), eum nomine proprio vocat, ut ad eum solum, non ad alios apostolos, haec quae dicturus est pertinere pateat, *diligis me plus his?* plus quam hi me diligunt? *dicit ei : etiam Dominus, tu scis quia amo te;* humiliter respondet Petrus; non se aliis praefert, ut ante passionem non sine quadam iactatione fecerat (Matth. 26,33) iudicium Domino defert.

Quaerit Dominus diligatne plus ceteris, non solum ut intelligamus eximiam ac singularem dilectionem requiri in eo qui praeficiatur omnibus, sed etiam ut apertum fiat ad solum Petrum pertinere quod ei dicitur neque hoc aliis quoque apostolis in Petro dici, ut quidam volunt, ac si Petrus tamquam os omnium apostolorum responderet (cf. *Ians.*): *dicit ei : pasce agnos meos;* ergo praeter id quod omnibus apostolis contulit Iesus (20,21), Petro peculiaris quaedam potestas eaque in omnes, universalis traditur.

Notum est ex vetere foedere populum Dei nomine gregis Domini designari, eum oves pascuae Domini appellari (cf. Ps. 73,1; 76,21; 78,13; 99,3. Ier. 10,21; 13,17; 23,1. Ez. 34,4 per totum caput; Mich. 7,14. Zach. 10,3 etc.), quem loquendi modum ipse Iesus usurpavit (cf. Matth. 9,36; 10,6. Ioan. 10,1 seq.). Unde verborum sensus nequit esse obscurus; v. 16 *dicit ei iterum : Simon Ioannis diligis me? ait illi : etiam Domine, tu scis quia amo te; dicit ei : pasce agnos meos* ποίμαινε τὰ προβάτιά μου esto pastor ovicularum mearum; v. 17 *dicit ei tertio : Simon Ioannis, amas me?* « ter interrogat et ter eadem imperat, ut ostendat quanti faciat ovium curam et hoc maximum esse amoris erga se argumentum » (*Chr.*); ter Christus tam cognitam, tam exploratam Petri caritatem examinat; quantum igitur momentum ponit in caritate pastoris animarum! Praeterea certum quoque esse videtur, quae est plurimorum sententia, respici a Christo trinam Petri negationem; « redditur negationi trinae trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori et plus vocis elicuisse videatur mors imminens quam vita praesens » (*Aug.* sim. *Cyr. Theoph. Isidorus, Ammonius, Apolinarius* in cat. Cord. *Thom. Mald. Ians. Tol. Lap. Calm. Corl.*) et idem etiam satis ostenditur, quoniam *contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio : amas me?* turbatus est ob priora timidus effectus (*Chr.*) et tristis quod eum Christus tam saepe et tam diligenter interroget quasi indicare videretur se illum habere suspectum, idcirco ne semel quidem et iterum affirmanti amorem credidisse (*Mald.*); contristatus est sibi quidem de suo in Iesum amore conscius, at aliquid sinistri suspicans quasi Dominus de ipsius amore dubitaret vel alium rursus lapsum vellet praedicere (*Tol. Corl.*); *et dixit ei : Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te; dixit ei : pasce oves meas,* « sit amoris officium pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem » (*Aug.*); « si amas me, fratrum praefecturam suscipe (προΐστασο τῶν ἀδελφῶν) et ferventem illum amorem quem semper exhibuisti et de quo exsultabas nunc ostende animamque illam quam te pro me daturum esse dicebas, da pro ovibus meis » (*Chr.*).

Legitur primo βόσκε, dein ποίμαινε, tertio βόσκε. Discrimen hoc statui potest, ut βόσκειν sit pascere, ποιμαίνειν autem sensu translato adhibeatur de notione regendi, gubernandi (*Cai.*); ita 2 Sam. 5,2; 7,7. Ps. 2,9; 22,1; 77,71. Mich. 5,2. Matth, 2,6. Aliud discrimen *Theoph.* statuit, ποιμαίνειν severiorem significare praefecturam, mitiorem βόσκειν. Verum in *pascere* quae est notio nativa vocis utriusque omnia officia veri bonique pastoris includuntur, qualia sunt providere gregi de pascuis bonis ac salubribus, a noxiis et periculo plenis locis eum arcere, defendere a lupis, errantes reducere, et ea quae Ez. 34,16 enumerantur : quod perierat requiram et quod abiectum erat reducam et quod confractum fuerat alligabo et quod infirmum fuerat consolidabo et quod pingue et forte custodiam. Regimen designatur paternum (cf. 1 Petr. 5,2. 3 pascite qui in vobis est gregem Dei... neque ut dominantes).

Graece primo ἀρνία, dein προβάτια (πρόβατα), tertio προβάτια (πρόβατα) ponuntur. Notum est in graecitate seriore saepius nomina deminutiva usurpari notione illa deminutiva abiecta. Id quod ipsa versione latina iam advertitur; neque enim ἀρνία dicuntur agnelli, sed agni v. 16 (oves a b c d e r theod), pariter in v. 16 προβάτια agni (oves a c d e f ff² r eg); sed Ambrosius (in Luc. 10,176) habet oviculas, et in v. 17 προβάτια oves (agni eg). Hisce universum gregem dominicum designari extra controversiam est. Estne discrimen ponendum inter agnos et oves? saepe agnoscunt discrimen, in agnis designari imperfectiores, perfectos in ovibus (*Euth. Thom. Bon.*); aliis placet in agnis fideles, in ovibus magistros, pastores, episcopos, apostolos indicari, qui quasi matres sint fidelium (cf. *Tol. Lap. Nat.*). Alii tamen discriminis mentionem non intelligunt, id unum asserentes totum exprimi gregem; immo *Mald.* monet non esse subtiliter disputandum, « cur agnos potius quam oves appellaverit, quod qui fecerit, videat etiam atque etiam ne doctis hominibus risum praebeat; quod si quidquam discriminis inter oves et agnos est, id non in re, sed in voce est, quod cum idem sint, tamen vocabulum agni blandius est maioremque amorem prae se fert; magis enim amabiles quia magis simplices agni quam oves sunt. Cum ergo Christus fideles suos agnos vocat blandius et maiore quadam amoris significatione eos Petro commendat quam cum vocat oves ».

Christus igitur, iam mox relicturus terram, gregem suum totum Petro committit pascendum et regendum; ergo revera eum instituit suum vicarium. Dicit agnos *meos*, oves *meas;* « oves meas, sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quaere, non tuam, dominium meum non tuum, lucra mea non tua » (*Aug.*). Universum gregem Domini curae ac regimini Petri tradi verbis enuntiatur; proin apostolos quoque eius regimini subdi negari nequit; quid enim est : pasce gregem meum, nisi rege meam Ecclesiam? quicumque ergo intra Ecclesiam sunt, ei traduntur pascendi; ergo et reliqui apostoli qui certe extra Ecclesiam non sunt (*Mald.*). Et « cur aliis praetermissis de his hunc alloquitur? eximius erat inter apostolos et coetus illius caput (κορυφὴ τοῦ χοροῦ) » (*Chr.*). Et *Ambrosius :* « id quia solus profitebatur ex omnibus, omnibus antefertur » (in Luc. lib. 10 n. 175;

M. 15,1848) et *Petrus Chrysologus* : « oves suas Petro vice sua ut pascat ad coelum remeaturus commendat » (or. 6; *M.* 52,202) et *Leo Magnus* : « de toto mundo unus Petrus eligitur qui et universarum gentium vocationi et omnibus apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus quos principaliter regit et Christus; magnum et mirabile huic viro consortium suae potentiae tribuit divina dignatio et si quid cum eo commune ceteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit » (serm. 4,2; cf. 4,4; *M.* 54,149. 152). Similiter *Cyprianus* : « super illum unum aedificat Ecclesiam suam et illi pascendas mandat oves suas » (de unit. Eccl. 4; *M.* 4,499). Et *Theoph.* : « totius orbis ovium praefecturam (τὴν προστασίαν) Petro committit; non autem alii, sed huic tradit, primum quidem quia omnes praecellebat, deinde ostendens ipsi fiduciam esse sumendam negatione veluti deleta et oblivioni tradita » et *Rup.* : « Petro praecipuum datum est ius super omnes pisces pertinentes ad regnum coelorum »; sim. *Thom.* etc. Etiam *Holtzmann* dicit Petro conferri imperium summum (Oberleitung) et verba vocat Papstspruch.

Commisit itaque Christus Petro pastorale officium; nunc declarat passionis martyrium et satis convenienter; nam ad bonum pastorem pertinet ut pro ovibus suis animam ponat (*Thom.*). Et simul hac praedictione confirmat Christus vera esse quae Petrus de sua dilectione affirmarit (*Cyr.*) et Petrum demum summum dilectionis documentum exhibiturum, ut animam ponat in testimonium Christi, eum scil. impleturum quod antea promiserat nec tamen praestiterat : tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire (Luc. 22,33); animam meam pro te ponam (13,37) et Christus ei manifestat quomodo futurum sit quod ei dixerat : quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea (13,36) v. 18 *amen, amen dico tibi : cum esses iunior, cingebas te et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas et alius te cinget et ducet quo tu non vis;* in manuum extensione crucifixionem intelligunt, ut *Mald.* merito dicit, omnes hic auctores (cf. *Theod. her. Amm.* in cat. Cord. *Theoph. Euth. Rup. Thom. Bon. Barh. Corl. Schg. Schz. Fil. Keil*); extendes scil. manus in cruce; « crucifigeris ; ad hoc autem ut venias, alius te cinget et ducet non quo vis, sed quo non vis; prius dixit quod fieret et deinde quomodo fieret » (*Aug.*). Et revera extensionem manuum etiam scriptores profani ad crucis supplicium referunt (cf. *Wetstein* ad h. l. qui exempla affert ex Arriano, Artemidoro, Licinio Macro, Plauto). Et quomodo ad supplicium sit perventurus explicatur in oppositione ad vitam anteactam : *alius te cinget* vel funibus, vinculis te astringet, vel « tum Petrus ab altero cingitur, cum cruci adstringitur » (*Tertull.*

Scorpiac. 15) *et ducet quo tu non vis*, i. e. naturae affectum indicat innuitque animam invitam a corpore separari; nemo enim sine dolore corpus deponit (*Chr. Theoph. Euth.*). Hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori usque adeo naturalem reliquit, ut eum Petro ne senectus quidem auferre potuerit; hunc Christus ad nos consolandos in se quoque transfiguravit (*Aug.*), hunc apostolus quoque expressit : ingemiscimus gravati eo quod nolumus exspoliari (2 Cor. 5,4).

Uti evangelista saepius facit (cf. 1,21; 6,64; 7,39; 11,13. 51; 12,6. 33; 13,11), ita hic quoque sermonem antecedentem explicat v. 19 *hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum;* « ex hoc loco manifeste efficitur Petrum cum Ioannes haec scribebat iam fuisse interemptum » (*Patr. Corl.*) et eos quibus scribit nosse modum eius martyrii (*Schg.*). *Et cum hoc dixisset, dicit ei : sequere me;* quam vocem explicant vel in universum : sequere vestigia mea, vel sequere me in genere mortis (cf. *Theoph. Euth. Rup. Mald.*). Verum alii accipiunt de progressu corporali; surrexit enim Christus a loco ubi discumbebant et progrediens dicit Petro, ut sequeretur; sed corporali hac sequela simul indicari aiunt Petrum secuturum in morte crucis (*Tol. Ians. Cai. Lap. Schg. Fil.*). Verba Christi *Mald.* quidem de sequela spirituali solum vult intelligi; at Iesum cum haec diceret abire coepisse, non ut iuberet Petrum pedibus se sequi oportere, sed ut ipso abeuntis habitu declararet ita se mortis genere sequi debere, quemadmodum pedibus sequeretur.

Atque ex v. 20 certum est quod *Thom.* dicit : Domino dicente Petro : sequere me, Petrus progressu corporali coepit eum sequi et Ioannes etiam cum eo; v. 20 *conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Iesus sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius;* cf. 13,23, *et dixit : Domine, quis est qui tradet te?* v. 21 *hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu : Domine, hic autem quid?* videt Ioannem sequentem; coniectat eum quoque velle Dominum de sua sorte interrogare; unde sicut in coena Ioannes pro Petro interrogavit (13,24 seq.), ita nunc Petrus quasi vicem reddens putansque eum non audere interrogare sciscitatur (*Chr.*). Scivit Petrus Dominum singulari quoque modo a Ioanne diligi atque Ioannem a Domino; videt eum, cui non dictum erat : sequere me, tamen sequentem, quippe qui a Domino avelli non posset; Petrus ex familiari Christi colloquio iam audacior factus partim ex amore quo Ioannem prosequebatur quem interrogare modestiae causa non audere indicat, partim ex curiositate ad quam amor eum pertraxit hanc quaestionem Domino ponit (cf. *Ians.*). Ex amore eum sollicitum fuisse de sorte Ioannis eumque voluisse habere consortem : annon eadem nobiscum via incedet? cen-

set *Chr.*; amore ductum (*Tol. Lap. Bar. Schz. Fil.*), curiositate impulsum (*Cyr. Bon. Calm.*) Petrum rogasse censent; si « curiositatem » non deterius accipias, verum illam intellexeris quae amorem necessario consequitur, utrumque coniungere poteris.

Sed in ea quoque re Petrus nimium fervorem ostendisse censendus erit; nam « quia Petrus semper ad tales quaestiones fervens promptusque erat, fervorem eius praecidens et docens non ulterius esse inquirendum Iesus respondit » (*Chr.*) v. 22 *dicit ei Iesus : sic* ἐὰν, si *eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere;* qui latinam lectionem sequuntur : *sic* eum etc. explicant Ioannem placide esse moriturum, non violenta morte discessurum; sic ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona (*Aug. Rup. Alb. Bon.*); volo eum superstitem, illaesum esse, sicut modo est, donec veniam; eam autem vocem tunc oportebit explicare eodem modo quo 14,3 dicitur : et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum venio et accipiam vos ad me ipsum, ubi *iterum venio* dici omnino videtur non de altero Christi adventu, sed de eius adventu in morte singulorum (vide supra). Verum lectionem latinam esse mendosam certum est. Iam *Cai.* dicit : corruptus est textus latinus, non ab interprete, sed a nescio quo; et *Ians.* : « legendum esse *si* et non *sic* ut multi tamen libri corrupte habent, merito adeo certum esse debet, ut de eo contendere protervi videatur qui inveteratum errorem agnoscere nolit aut agnitum corrigere » et ulterius dicit omnes graecos codices et expositores legere ἐάν; apud latinos *si* potuisse facile mutari in *sic*. Et *Mald.* quoque conqueritur quod lectio *sic* omnes fere latinos codices scriptorum incredibili negligentia contaminavit nulla prorsus specie probabilitatis; bene notat *Thom.* : sed sciendum quod in graeco non habetur *sic*, sed *si*. Ex iis quae *Hieronymus* (adv. Iovin. 1,26) habet : quid ad te, si eum volo sic esse, fortasse coniectari licet eum legisse : si sic eum volo manere (vide lect. var.).

Porro ex ipsa responsione Christi et ex v. 23 quo ille falsus rumor refellitur, apparet omnino sequendum esse textum graecum : *si* eum volo manere, donec veniam, *quid ad te* ad te non pertinet de ea re curare, ad te nihil attinet, ad ea quae tibi dixi, nihil id facit (*Tol.*). Secundum latinam lectionem autem Christus clare et directe dixisset Ioannem aut victurum usque ad secundum adventum, aut morte placida e vita migraturum. Christus sub conditione locutus est ἐὰν; nihil affirmavit; rem ad Petrum non spectare, neque eum debere moleste ferre, etiamsi eum manere vellet (*Mald.*). Cum haec conditio et illud *manere* dicatur in oppositione ad mortem Petri praedictam, facile intelligitur, quae est hominum coniectandi indoles, serpsisse opinio-

nem Ioannem non esse moriturum. Quare magna cum emphasi Ioannes in memoriam revocat quid Christus dixerit v. 23 *exiit ergo sermo iste inter fratres*, christianos, *quia discipulus ille non moritur; et non dixit ei Iesus : non moritur, sed : sic* lege si *eum volo manere donec veniam, quid ad te?* sunt qui illud *donec veniam* ad iudicium in urbem Ierusalem referant; cuius sententiae iam meminit *Theoph.*, eam sequitur *Tol.* et fere approbat *Schz.*; alia quoque explicatio proponitur; legimus enim Matth. 16,28 : sunt... qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo, quae verba Marc. 8,39 ita efferuntur : donec videant regnum Dei veniens in virtute, et similiter Luc. 9,27 donec videant regnum Dei. Unde inferri potest : Christum venire etiam significare regnum eius i. e. Ecclesiam esse in virtute constitutam. Verum praeplacet illud *donec veniam* ex ipso evangelio hoc 14,3 explicare; nam dictionem posse solum adventum secundum Christi significare, eo ipso loco excluditur.

Explicite ergo monet Ioannes non dixisse Iesum sibi se non moriturum, ne scil. animi simplices turbentur et de promissione Christi falso iudicent, si mortuus fuerit. Sed non obstante hac eius monitione rumor ille et opinio tamen animis nonnullorum alte inhaesit. Est enim multorum indoles rerum mirarum ac portentosarum appetens amansque. De morte Ioannis aliquos dubitasse narrat *Ambrosius* (in Ps. 118 serm. 20 n. 12; *M.* 15,1487); alios asserere eum vivere et in sepulcro suo apud Ephesum dormire et eius anhelitu terram sensim scatere et quasi ebullire *Aug.* refert; secundum alios, ut *Theoph.* scribit, vivus ingressus est in sepulcrum et deinde translatus, sicut Henoch et Elias, et tandem occidetur ab antichristo cum Elia praedicans Christum. Tandem Nicephorus ita verba interpretatur : « non dixit ei, inquit, Iesus quod moriturus non sit; moriturus est enim eo quo Dei Genetrix modo; confestim vero reviviscet ac resurget incorruptibili scilicet corpore alterum magistri exspectaturus adventum » (eccl. hist. 1,35; *M.* 145,742).

Testimoniis veterum asseritur Ioannem rogatum a familiaribus suis vel ab Asiae episcopis evangelium suum scripsisse (cf. *Clemens alex.* apud Euseb. h. e. 6,14; *M.* 20,552; *Hieronymus*, de vir. ill. 9; *M.* 23,623) vel ut in fragmento muratoriano dicitur : recognoscentibus cunctis suo nomine descripsisse (cf. *Cornely*, Introd. III, 2. ed. p. 218. 220). Huius rei indicium etiam cernitur in v. 24 *hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his et scripsit haec et scimus quia verum est testimonium eius;* unde subito illud *scimus?* nam lectio οἶδα μὲν quam *Theoph.* sequi videtur est plane negligenda. Corroborat suum testimonium etiam scientia aliorum discipulorum : non solum

ego, sed omnes, scimus hoc testimonium esse verum, ita ut totius ecclesiae ephesinae quasi vox et affirmatio habeatur (cf. *Alb. Thom. Mald. Corl. Schg. Schz. Fil.*). Est sollemnis attestatio veritatis non solum rei in hoc capite narratae, sed totius libri; unde modus testificationis sollemnior *scimus*, quam 19,35 ille scit.

Ceterum cavet apostolus ne quis secundum libri huius argumentum iudicet Iesum pauca solum signa fecisse, solum breviter docuisse occasione paucarum festivitatum v. 25 *sunt autem et alia multa quae fecit Iesus quae si scribantur per singula nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros;* « atque haec hyperbolice quidem enuntiari dicimus » (*Cyr. Theoph.*); qui loquendi modus, ut *Aug.* notat, etiam aliis in locis Scripturae reperitur (Ps. 67,22; 72,9), et qui habetur « quando id quod apertum est vel augetur vel extenuatur nec tamen a tramite significandae veritatis erratur, quoniam sic verba rem quae indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit quousque credatur, a quo ultra quam credendum est vel minuitur loquendo aliquid vel augetur » (*Aug.* sim. *Thom. Bon. Cai. Mald.* etc.). Sensus itaque est, multos scribendos fuisse libros, si omnia singulatim essent enarranda; sed eam voluminum multitudinem per hyperbolen declarat. — Hyperbolen alii tollere studebant exponentes mundum de hominibus mundanis et capere de intellectu; « ecce enim hunc solum librum mundus capere non potest » (*Rup.* et sim. *Orig. Ammonius, Severus* in cat. Cord. *Aug. Theoph. Euth. Bon. Lap.*).

A. M. D. G.

INDEX
